

De la Compagnia de Jesus de Granada B-12679

ANTONII

BROIKVVY A KONIN-
CKSTEYN, VIRI DOCTISSIMI, ET
OBSERVANTIAE REGULARIS NOUIMAGÆ. GAR-
DIANI, ERUDITISSIMARUM IN QUATUOR EUAN-
GELIA ENARRATIONUM, DENUO QUAM ANTE-
HAC LONGÈ CASTIGATIS. EX IP SO ARCHETYP O
EXCERPTATUM.

PARS SECUNDA.




V. de Nivimot

PARISIIS.

Apud Ioannem Foucherium, sub scuto
Florentiæ, via ad D. Iacobum.

1550.



De la Compagnia de Jesus de Granada B-12674

ANTONII

BROIKVVY A KONINCKSTEYN, VIRI DOCTISSIMI, ET Observantiæ regularis Nouimagē. Gardiani, eruditissimarum in quatuor Evangelia enarrationum, denuò quàm antehac longè castigatis. ex ipso archetypo excerptatum.

PARS SECVNDA:



V. de Nini mos

PARISIIS.

Apud Ioannem Foucherium, sub scuto
Florentiæ, via ad D. Jacobum.

1550.



471-7

ILLVSTRIS.

PRINCIPI AC DOMI-

no D. Gulielmo duci Iuliacensi,
Gelriensi, Cliuiensi, Monten-
si, comiti Marclzensi, Zut-
phanienfi, Rauens pur-
genfi, ac domino in
Rauensteyn
&c.

F. ANTONIVS

Broiczvvy à Koniczsteyn,

S. P. D.



Visquis primitium Christianæ reli-
gionis statum, illustrissime princeps,
huic nostro conferre studuerit, tantò
interuallo distare perspicier, quanto
lux ab vmbra, imò à tenebris distat.
Sic enim commixta confusaque sunt
passim omnia, vt inter sacrû & pro-
phanum, iustû & iniustum discernere

*Sap. 2.
Esa. 3.
Prou. 14.*

non liceat. Siquidem, fortitudo lex est iustitiæ, & quod
infirmum est, inutile inuenitur. Tumultuatur puer con-
tra sené, & ignobilis cõtra nobilè. Ambulans recto itine
re, & timés deû, despicitur ab eo qui infami graditur via.
Deridetur iusti simplicitas, lâpas cõtempta apud cogita-

Iob. 12.

tionem diuitum parata ad tempus statutum. Abundant et
 bernacula prædonum, & audacter prouocant deum, cum
 ipse dederit omnia in manus eorum. Tacet deus concul-
 cante impio iustiore se, incidimus in ea tempora, de
 quibus dominus conuerteritur: Aduenam, inquit, calumnia
 ti sunt, pupillum & viduam contristauerunt apud te: san-
 ctuaria mea spreuistis, & sabbata mea polluistis. Coniura-
 tio prophetarum in medio eius sicut leo rugiens, rapiensque
 prædam, animas deuorauerunt, opes & precium accepe-
 runt, uiduas ejus multiplicauerunt, in medio eius. Sacer-
 dotes eius contempserunt legem meam, & polluerunt san-
 ctuaria mea: inter sanctum & prophanum non habue-
 runt distantiam, inter pollutum & mundum non intelle-
 xerunt, & à sabbatis meis auerterunt oculos suos, & co-
 inquinabar in medio eorum. Principes eius in medio il-
 lius, quasi lupi rapientes prædam, ad effundendum san-
 guinem, ad perdendas animas, & auarè sectanda lucra.
 Prophetæ autem ejus liniebant eos absque tempera-
 mento, uidentes uana, diuinantes ei mendacium, dicen-
 tes, Hæc dicit dominus deus, quum dominus non sit lo-
 quutus. Populi terræ calumniabantur calumniam, & ra-
 piabant uolenter, egenum & pauperem affligebant, ad-
 uenam opprimebant calumnia absque iudicio. Et quasi
 ui de eis uirum qui interponeret sepem, & staret oppo-
 situs contra me pro terra, ne dissiparem eam, & non in-
 ueni: & effudi super eos indignationem meam, in igne
 iræ meæ consumpsi eos. Verè à planta pedis usque ad verticem ca-
 pitis non est sanitas. Hereditas C. H. R. I. S. T. I
 uersa ad alienos. Sed unde hæc tantorum malorum
 colluues? Cum dormirent (inquit dominus) homines,
 uenit inimicus, & superseminauit zizania in medio
 triticij, & abiit. Quare Apostolus adhortatur, di-
 cens: Qui præest, in sollicitudine. Et dignè nam per-
 uigilare debet tanquam rationem de animabus subdito-
 rum redditurus. O obstupescendum honoris omnis, de
 tot & tantorum salute rationem reddere. Quæ ad-
 modum enim ex bona capitis dispositione, corporis fa-

Abac. 1.

zech. 22.

Esai.

Thre. 5.

Matt. 18.

Rom. 12.

Hebr. 13.

Ius dependet, sic ex præsentium probitate & sollicitu-
 dine, reipublicæ profectus. Nam secundum iudicem po-
 puli, sic & ministri eius. & qualis rector ciuitatis, tales
 & inhabitantes in ea. Vbi autem non est gubernator, po-
 pulus corruet: salus uero ubi multa consilia. Hinc Salo-
 mon, quò feliciter concreditum sibi populum guberna-
 re posset, supplex dominum adiit, d. Ego (inquit) sum
 puer paruulus, ignorans egressum meum & introitum,
 & seruus tuus in medio populi est quem elegisti. Dabis
 ergo seruo tuo cor docile, ut populum tuum iudicare pos-
 sit, & discernere inter bonum & malum. Placuit sermo
 coram domino, & ait: Quia postulasti uerbum hoc, &
 non petisti tibi dies multos, nec diuitias, nec animas ini-
 micorum tuorum, sed postulasti tibi sapientiam ad dis-
 cernendum iudicium, ecce feci tibi secundum sermo-
 nes tuos. Et dedi tibi cor sapiens & intelligens, in tan-
 tum ut nullus ante te similis fuerit, nec post te surrecturus
 sit. Sed & hæc quæ non postulasti, dedi tibi, diuitias
 scilicet & gloriam, ut nemo fuerit similis tui in regibus
 cunctis retro seculis. Si autem ambulaueris in uis meis,
 & custodieris præcepta mea, sicut ambulauit pater tuus,
 longos faciam dies tuos. Sic populi sui ducem dominus
 Iosue successorem Moyse instituens, ait: Confortare
 & esto robustus ualde, ut custodias atque facias om-
 nem legem quam præcepit tibi Moyse seruus meus.
 Ne declines ab ea ad dexteram uel ad sinistram, ut in-
 telligas cuncta quæ agis. Non recedat uolumen legis ab
 ore tuo, sed meditaberis in eo diebus ac noctibus, ut cu-
 stodias & facias omnia quæ scripta sunt in eo: tunc di-
 riges uiam tuam, & intelliges eam. Noli metuere, no-
 li timere, quoniam tecum est dominus deus tuus in om-
 nibus ad quæcunque perrexeris. O uerè felicem & in-
 uicissimum ducem, qui deum in cunctis habet directo-
 rem. Unde sapiens orat: Da mihi sedium tuarum assistri-
 cem sapientiam, & noli me reprobare à pueris tuis, quo-
 niam seruus tuus ego sum, & filius ancillæ tuæ, homo
 infirmus, & exigui temporis, & minor ad intellectum
 iudicij & legum. Mitte illam de cælis sanctis tuis, & à
 sede magnitudinis tuæ, ut mecum sit & mecum labo-

Eccle. 10.

Prou. 11.

3. Reg. 3.

Iosue. 1.

Sap. 9.

Ad illustrib. Iuliae, Gelbiae, Cli-

ret, vt sciam quid acceptum sit apud te. Scit enim illa omnia & intelligit, & deducet me in operibus meis sobriè, & custodiet in sua potentia, & erunt accepta opera mea, & disponam populum tuum iustè, & ero dignus sedium patris mei. Nec dissona detreuit inuictissimus ille imperator & verè diuus Augustus Iustinianus, dicens: Imperatoriam maiestatem nò solum armis decoratam, sed etiam legibus oportet esse ornatam, vt vtrunque tempus, & bellorum, & pacis, rectè possit gubernari, & princeps Romanus victor existat nò solum hostilibus præliis, sed etiam per legitimos tramites, ca luminiantium iniquitates expellat. Quorum vtrunque viam cum summis vigiliis, summâque prouidentia annuente deo per fecimus, victoriis à cælesti numine præstitis. Non sibi, sed (vt decuit) deo victoriæ gloriam tribuit, Sic strenuis populi dei propugnator Dauid, dominum legem diligens, in ea meditabatur die ac nocte, ac totus diuinæ nixus prouidentiae, ait: Benedictus dominus deus meus, qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum. Sic Goliadam illum fortissimè propriis viribus confidentem aggressurus, dixit: Tu venis ad me cum gladio & hasta & clypeo, ego autem venio ad te in nomine domini exercituum, dei Israel agminè quib⁹ exprobraſti hodie, & dabit te dominus in manu mea, & percutiam te, & auferam caput tuum à te, & dabo cadauera Philistiim hodie volatilibus cæli & bestiis terræ, vt sciat omnis terra quia est dominus deus in Israel, & noverit vniuersa ecclesia hæc; quia non in gladio, nec in hasta saluat dominus. Ipsi⁹ enim est bellum. Vnde sapiens: Equus paratur ab bellum, dominus autem salutem tribuit. Facile autem est concludi multos in manu paucorum, non est differentia in còspectu dei cæli, liberare in multis vel in paucis: quoniam non in multitudine exercitus victoria belli, sed de cælo fortitudo est. Sic Moyſes non ferro pugnâdo, sed præcibus sanctis orando Amalech deuicit. Non enim in fortitudine equi voluntatem habebit dominus, neque in tibiis viri beneplacitum erit ei: beneplacitum verò est domino super timentes eum, & in eis qui sperant super misericor-

Psal. 118.

Psal. 143.

1. Reg. 17.

Prou. 21.

1. Mac. 3.

Exod. 17.

Psal. 146.

uia, &c. principem, epistola.

dia eius. Respicite, ait Sapiens, filij nationes hominum, quia nullus sperauit in domino, & confusus est. Quis enim permanſit in mandatis eius, & derelictus est? aut quis inuocauit eum, & despexit illum? Ipse enim mutat tempora & ætates: transfert regna atq; constituit: dat sapientiam sapientibus, & scientiam intelligentibus disciplinam. Regnum verò de gente transfertur in gentem propter iniustitias, & iniurias, & contumelias, & diuersos dolos, nam radicè gètium superbarum arefecit deus, & plantauit humiles ex ipsis gentibus. Sedes quoq; ducū superborum destruxit deus, & sedere fecit mites pro eis. Sic & memoriam superborum perdidit deus, & reliquit memoriam humilum sensu. Hinc Saul à domino audiuit: Cùm esses paruulus in oculis tuis, caput in tribubus Israel factus es. Pro eo ergo quòd abieciſti sermonem domini, abiecit te dominus ne sis rex. Iudex ergo sapiens iudicabit populum suum, & principatus sensati stabilis erit. Sensati (inquit) principatus stabilis erit. Nec mirū, quia erga omnes se debitè gerit. Primò, erga deum reuerenter. Vnde Heli dictum est: Quicumque honorificauerit me, glorificabo eum: qui autem contemnunt me, erunt ignobiles. Hinc Dauid filium suum Salomonem successorem regni instituens, ait: Det tibi dominus prudentiam & sensum, vt regere possis Israel, & custodire legem domini dei tui, tunc enim proficere poteris, si custodieris mandata & iudicia quæ præcepit dominus. Quare dominus in lege, constituendo regi præcepit: Postquam, inquit, sederit in solio regni sui, describet sibi deuteronomium legis huius in volumine, accipiens exemplar à sacerdotibus Leuiticæ tribus, & habebit secum, legetque illud omnibus diebus vitæ suæ, vt dicat tunc de domino deum suum, & custodire verba & ceremonias eius quæ in lege scripta sunt. Nec eleuetur cor eius in superbiam super fratres suos, neque declinet in partem dexteram vel sinistram, vt longo tempore regnet ipse & filij eius. Secundo, erga subditum clementer. Misericordia enim & veritas custodiunt regem, & roboratur clementia thronus eius. Vnde Dauid ait: Man-

*Eccle. 2.
Dan. 2.*

Eccle. 2.

1. Reg. 5.

Eccle. 10.

1. Reg. 2.

1. Par. 22.

Deut. 17.

Prou. 20.

2. Reg. 22.

Ad illustriss. Iulie, Gelie, Cli-

Eccle. 32. fuetudo mea multiplicauit me. Hinc sapiens hortatur: Rectorem te posuerunt? noli extolli, esto in illis quasi vnus ex ipsis, curam illorum habe, & si considera, & omni cura tua explicata recumbe, vt lateris propter illos.

Prou. 19. Tertio, erga peruerum potenter. Nam pestilente flagellato, stultus sapientior erit: si autem corripueris sapientem, intelliget sapientiam. Abominabiles autem regi qui agunt in pie, quoniam iustitia firmatur solium eius. Nam

Prou. 20. rex qui sedet in solio iustitiæ, dissipat omne malum in tuit suo. Hinc Achab dictum est: Quia dimisisti virum dignū morte de manu tua, erit anima tua pro anima eius. & populus tuus pro populo eius. Ideo Dauid ait: In matutino interficiebam omnes peccatores terra, vt disperderem de ciuitate domini omnes operantes iniquitatem. Vnde Sapiens: Aufer rubiginem de argento, & egredietur vas purissimum: aufer impietatem de vultu regis, & firmabitur iustitia thronus eius. Quarto, erga inimicum prudenter. Vir enim sapiens fortis est: & vir doctus, robustus & validus: quia cum dispositione initur bellum, & erit salus vbi multa consilia. Hanc sub sole vidi sapientiam, & probaui maximam: ciuitas parua, & pauci viri in ea, venit contra eam rex magnus, & vallauit eam, extruxitque munitiones per gyrum, & perfecta est obsidio. Inuentusque est in ea vir pauper & sapiens, & liberauit urbem per sapientiam suam: & dicebam ego meliorem esse sapientiam fortitudine. Meliorque est sapientia quam arma bellica. Nam certamen festinatum incendit ignem; & lis festinans effundit sanguinem. Quinto, erga seipsum decenter, quantum ad vitium per sobrietatem. Beata enim terra, cuius rex nobilis est, & cuius principes vescuntur in tempore suo, ad reficiendū, & non ad luxuriā. Væ autem terræ, cuius rex puer est, & cuius principes manē comedunt. Noli ergo regibus dare vinum (quia nullum secretum, vbi regnat ebrietas) ne forte bibant & obliuiscantur iudiciorum, & mutant causam filiorum pauperum. Auditum per equitatem, ne obire statorem adulationibus seducatur: Princeps enim qui libenter audit verba mendacij, omnes ministros habet impios. Detrahentem secretis proximo

uie, &c. principem, epistola.

suo, ait Dauid, hunc persequebar. Et quidem dignè: quia *Ps. 100.* mendacio Sibæ circumsuentus, iniustam & impiam contra Miphiboseth dominum ipsius, dederat sententiam. *2. Reg. 16.* Affatum per veritatem. Non enim decent stultum verba composita, nec principem labium mentiens. In manu artificum opera laudabuntur, & princeps populi, in sapientia sermonis sui. Actum per strenuitatem. Vnde Sapiens: Noli citatus esse in lingua tua, & inutilis & remissus in operibus tuis. Ante omnia opera tua verbum verax præcedat te, & ante omnem actum consilium stabile. Sicut enim loramentum ligneum colligatum fundamento ædificij non dissoluitur, sic & cor confirmatum in cogitatione consilij, & cogitatio sensati in omni tempore vel metu non deprauabitur. Ergo sine consilio nihil fac, & post factum non penitebis. Cum fatuus autem consilium non habeas: non enim poterunt diligere nisi quæ eis placent. Et corā extraneo ne facias consiliū: nescis enim quid pariet, nec omni homini cor tuum reueles: ne forte inferat tibi gratiam falsam, & conuicietur tibi. Multi pacifici sint tibi, & consiliarius vnus de mille. Ideo à consiliario serua animam tuā, prius scito quæ sit illius necessitas, & quid ipse in animo suo cogitabit, ne forte mittat sudem in terram, & dicat tibi, bona est via tua, & ster e contrario videre quid tibi eueniat. Sed cum viro sancto assiduus esto, quemcunque cognoueris obseruantem timorem dei, cuius anima est secundum animam tuam. Et cor boni consilij statue tecum, non enim est tibi aliud plus illo: anima enim viri sancti annunciat aliquando veriora, quam septem speculatores sedentes in excello ad speculandum. Et in his omnibus deprecare altissimū, vt dirigat in veritate viam tuam. Ipse enim ait: Meum est consilium & æquitas, mea est prudentia & fortitudo: per me reges regnant, & legum conditores iusta decernunt: per me principes imperant, & potentes decernunt iustitiam. Ipse nouit decipientem & eum qui decipitur, adducit consiliarios in stultum finem, & iudices in stuporem. Dissipat cogitationes malignorum ne possint implere manus eorum quod cœperant, apprehenditque sapientes in astutia eorum, & consilia prauorum dissi-

Job. 12.
Job. 5.

Prou. 11
Hier. 17. pat. Non enim est sapientia, non est prudentia, non est
 consilium contra dominum. Ego feci, inquit, terram &
 homines, & iumenta quæ sunt super terram, in fortitu-
Job. 34.
Ecle. 8.
Ecle. 10. dine mea magna, & in brachio meo extenso, & dedi eã
 qui placuit in oculis meis. Nonnunquam tamen propter
 peccata populi deus regnare facit hypocritam. Nam &
 interdum homo dominatur homini in malum suum. In
 manu enim dei potestas terræ, & execrabilis omnis ini-
 quitas gentium, & vtilem rectorem suscitabit super illã.
Deut. 34. Sic populi sui ex Aegypto educendi, Moysen mitissimũ,
 cui non fuit propheta similis, quem nosset dominus facie
Exodi. 3. ad faciem, ducem instituit. Huic Iosue filius Num, vir
 omnibus numeris vitæ inculpatæ, successit, repletus spi-
Deut. 34.
1eſue. 1. ritu sapientiæ, eò quòd Moyses posuisset super eum ma-
 nus suas. Hic fortè filiis Israel terram promissionis diui-
 dit, sicut dominus promiserat, seruiuitque Israel domi-
Iosue. 24. no cunctis diebus Iosue, & seniorum qui longo vixerant
 tempore post Iosue, & qui nouerant omnia opera domi-
Judic. 2. ni quæ fecerat in Israel. Quo mortuo, & omni illa gene-
 ratione, surrexerunt alij qui non nouerunt dominũ & ope-
 ra quæ fecerat cũ Israel: feceruntque malũ in conspectu
 domini, & seruiuerunt Baalim, & dimiserunt dominum deũ
 patrum suorum. Cũ enim non esset rex in Israel, vnus-
Judic. 17. quisque quod sibi rectum videbatur, hoc faciebat. Citò de-
 feruerunt viam, per quam ingressi fuerat patres eorum,
 & audiētes mādāta domini, omnia facere cōtraria: qua-
 re iratus dominus, tradidit in manus diripientium, & sic
Judic. 2.
Eſaiæ. 28 afflicti (intellectum vexatione dante auditui) clamaue-
 runt ad dominũ. Cumque iudices suscitaret eis, fleſtēbatur
 misericordia, & audiebat afflictorum gemitus, & libera-
 bat eos de cæde vastantium. Subinde importuna populi
Reg. 8.
9. postulatione, à domino in regem electus est Saul filius
 Cis, electus & bonus, nec erat vir de filiis Israel melior il-
 lo. Ab humero & sursum eminebat super omnem popu-
 lum. Ad hoc propter superbiam & inobedientiam erga
 deum, regnum in Dauidem & eius generationē deriu-
1. Reg. 16
Aſt. 13. atum est, cui dominus testimonium perhibuit, dicendo: In
 ueni Dauid filium Iesse, virum secundum cor meum, qui

faciet omnes voluntates meas. In ipsum enim directus
 est spiritus domini (vnctione per Samuelem domini mā- 1. *Re. 16.*
 dato facta) à die illa & deinceps. Vnde de omni corde *Ecl. 27.*
 suo laudauit dominum, & dilexit deum qui fecit illum,
 & stare fecit cātores contra altare, & dedit in celeb-
 rationibus decus, & ornauit tempora vsque ad consum-
 mationē vitæ laudare nomen sanctum domini. Post hunc
 surrexit filius sensatus Salomōn, qui imperauit in diebus
 pacis, cui subiecit deus omnes hostes, vt conderet domũ
 nomini suo. Sed mulierum amore (quanquam gloria & 3. *Re. 15.*
 diuitiis inclutus) in senectute deprauatus, maculam de-
 dit in gloriam suam, lapis offensionis domui Israel fa-
 ctus, sacrificia idolis exhibuit, & phana ædificauit. Quam
 ob causam offensus dominus, regno dispartito, decem
 tribus seruo suo Hieroboam, filio Nabath tradidit. Nec 4. *Re. 17.*
 ipse Hieroboam domini legem custodiuit, sed peccare fe-
 cit Israel peccatum magnum, separans à domino. Ne- 3. *Re. 13.*
 que correptus per prophetas, reuersus est de via pes-
 sima, sed fecit de nouissimis populi sacerdotes excelso-
 rum. Huius impietatem cæteri reges cum populo imi-
 tati, domini per prophetas monita deridebant, donec
 finaliter destructi & de terra sua translati fuerunt. Sed
 nec Iuda custodiuit mandata domini dei sui, sed ambula-
 uit in viis Israel & erroribus. Ipse enim Roboam ma-
 lum fecit, (à quo & decem tribus descuerant, eò quòd
 senum relicto consilio, dure populo responderat, iuue- 3. *Re. 12.*
 num consilio, qui secum nutriti fuerant, seductus) nec
 præparauit cor suum vt quæreretur dominum. Sic vici- 2. *Pa. 12.*
 simum impijs pij, scelestis probi succedere, qui collapsa
 restaurarunt, errantesque ad legem dei & cultum re-
 uocarunt, quibus dominus quantumcunque viribus
 imbecilles & numero essent pauci, desperatis in rebus
 victoriosè semper adfuit ac stupendè. Tandem suc-
 crescentibus dietim malis, quum malitia bonitatem 4. *Re. 21.*
 vinceret, & impietas pietatem excluderet, sub re-
 ge Manasse, qui Hierusalem sanguine prophetarum
 ad os impleuit, templum & omnia sacra prophana-
 uit, idololatriam induxit, & demum sub Zedechia qui

Ad illustriss. Iulie, Gebrie, Clivia, &c. prin-

1. *Mac* 3. cum vniuersis principibus sacerdotum & populo præuaricatus est iniquè, iuxta vniuersas gentium abominations, domum domini polluendo, quam sanctificauerat sibi in Hierusalem, nuncios dei subsannando, dei sermones spernendo, prophetas illudendo, furor domini ascendit in populum, vt nulla esset curatio, & transferret in Chaldaeos. Postremo loco populum suum de manu tyrannorum & gentium per strenuos illos Machabæos vindicauit, qui gentibus cæsis, templum mundarunt & sanctificauerunt, habentes pacis tēpore pro solatio sanctos libros, qui erāt in manibus ipsorū. Omni enim negotio tempus est & opportunitas. Non enim otium per dei adiutorium nactum voluptati, sed pietati dedicauere. Voluptas enim spiritum resoluit, & à deo disungit. In-
2. *Mac* 12. *Eccle* 8. *Deut* 3. *Hiere* 5. *1. Ti* 4. *Esa* 1. *3. Par* 19. crassatus (inquit) est dilectus, & recalcitrauit, incrassatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit deum factorem suum, & recessit à deo, salutari suo. Et dominus: Magnificati sunt & ditati, incrassati & impinguati, præterierunt sermones meos pessimè. Pietas autem ad omnia valet, promissionem habens vitæ quæ nunc est & futura. Si uoueritis & audieritis me, ait dominus, bona terræ comedetis: quòd si nolueritis, & me ad iracundiam prouocaueritis, gladius deuorabit vos. Summa itaque dei populus vigilantia secundum dei legem in vitæ viam & iustitiæ dirigendus, ne iram dei præuaricando in se prouocet. Sic sanctus ille rex Iosaphat sacerdotes misit, qui docebant populum in Iuda, habentes librum legis domini, & circumibant cunctas vrbes Iuda, atque erudiebāt populum. Fuit itaque dominus cum eo, quia ambulauit in viis Dauid patris sui. Sic & per ciuitates iudices constituit, præcipientis eis: Videte, inquit, quid faciatis: nō enim hominis exercetis iudicium, sed domini: & quodcunque iudicaueritis, in vos redundabit. Sit timor domini vobiscum, & omnia cum diligentia facite: non enim est apud dominum deum nostrum iniquitas, nec personarum acceptio, nec cupido munerum. Nec minora ob uitas in te progenitorum dotes, illustrissime Princeps, expectamus, qui fidei constantia ac longanimitate patientia semper illustrissimè triumphauerunt, studiosissimè inuigilan-

cipem, Nuncupatoria epistola.

tes, ne domini vineam aper de sylua exterminaret, aut sin *Psal* 79. gularis ferus depalceretur. Nouerant enim capiendas *Cant* 2. vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas. Id quidem eò facilius præstare poteris clarissime Princeps, quod ab infantia sacras literas imbibisti, quæ te instruere possunt ad salutem. Omnis enim scriptura diuinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia, vt perfectus sit homo dei, ad omne opus bonum instructus. Haud igitur inauspicatò in mentem venit, quòd tuæ celsitudini hunc meum quantumcumque laborem, quem in monoteseron euangeliorum, è veterum & neotericorum piis scriptis elucidandū multorum rogatu assumpseram, fidenter dedicarem, plenissimè agnoscens, minime displicere magnitudinis tuæ pietati, quicquid in Christianæ religionis profectum, & dei gloriam in lucem venit: cui illustrissima tua celsitudo, cum concredito sibi populo felicissimè sit commendata, Neomagij, die iij. Augusti, Anno. 1539. Vale.

INDEX

EVANGELICI TEXTVS, IVXTA CŪIVS-
que euangelistæ & capitum & materiæ ordinem. Tex-
tu itaque vel eius summatio posito, numerus cum a b c
darii litera adiicitur, certum determinans inueniendi lo-
cum. numerus ostendit articulum. Litera initium textus
vsque ad proximè sequentem designat. Exempli causa,
(Ioannis. 1.) De generatione Christi art. 1. parte secunda,
litera A vsque literam. B. Nam hæc secunda pars in arti-
culos diuiditur, si litera sine numero ponatur, textum
ipsum sub articulo proximo antecedente contineri, de-
monstrat.

MATTHÆI TEXTVS.

Cap. xxvj. de Iesu venditione, ar. 24. C. Agni manduca-
tione, ar. 25. D. Sacramenti institutione, ar. 27. F. Pro-
ditionis Iudæ, & negationis Petri prænunciatione,
ar. 28. G. Passio domini, ar. 30. A
Cap. xxvij. de Passione domini, ar. 33. D. Sepultura domi-
ni, ar. 36. C
Cap. xxvij. de Resurrectione domini, & angelica appa-
ritione, ar. 37. H. Apparitione domini mulieribus oc-
currentis, & custodum deprauatione, M. Manifestatio-
ne Iesu in Galilæa, T

MARCI TEXTVS.

Cap. xiiij. de Christi venditione, ar. 24. R. Agni manduca-
tione, ar. 25. D. Sacramenti eucharistiæ institutione, ar-
tic. 27. F. Proditionis Iudæ & negationis Petri prænu-
ciatione, ar. 28. G. Passione dominica, ar. 30. A
Cap. xv. de Passione domini, ar. 33. D. Sepultura domini,
artic. 36. G

Bb



Index euangelici textus.

Cap. xvj. de resurrectione domini & angelica apparitione, ar. 36. H. Dominica ascensione, ar. 38. V

L V C A E T E X T V S.

Cap. xxij. de Iesu venditione, art. 24. C. Agni manducatione, ar. 25. D. Sacramenti eucharistiae institutione, arti. 27. F. Proditionis Iudae & negationis Petri praenunciatione, ar. 28. G. Contentione maioritatis, H. Fidei Petri firmitate & gladiis, I. Passione dominica, art. 30. A

Cap. xxij. de passione dominica, arti. 33. Sepultura Christi, ar. 36. G

Cap. xxiiij. de resurrectione domini & apparitione angelorum, ar. 37. H. & I. Apparitione in Emaus, N. In Hierusalem, O. Ascensione, ar. 38. V

I O A N N I S T E X T V S.

Cap. j. de aeterna Christi generatione, arti. 1. A. Testimonio Ioannis de Christo, arti. 2. B. Ad sacerdotes & Leuitas, C. Ad turbas, D. Ad discipulos, E

Cap. ij. de vini mutatione ex aqua, ar. 3. F. Vendentium & eumentium eiectione, ar. 4. G

Cap. iiij. de Nicodemo, articulo 5. H. Sic deus dilexit mundum, I. Quaestione super baptismo Christi, ar. 6. K

Cap. iiij. de muliere Samaritana, ar. 7. L. Filio reguli, articulo 8. O

Cap. v. de probatica piscina, arti. 9. P. Sicut pater suscitatur, Amen A. D. quando mortui, Q

Cap. vj. articulo 12. V. Omne quod dat mihi, X. Nemo potest venire, Z. Caro mea verè est cibus, B. & c.

Cap. vij. de schenopegia, arti. 13. D. Iam die festo medi. E. Miserunt principes & pharisaei, F

Cap. viij. de muliere adultera, ar. 14. H. Ego sum lux, art. 15. I. Ego vado & quaeritis me, articulo 16. K. Dicebat ad eos qui crediderunt, L. Quis ex vobis arguet me de peccato, M

Cap. ix. de caeco nato, ar. 17. N. Caecitate pharisaeorum, N

Cap. x. de ostio ouilis, ar. 18. O. Pastore, P. Encaniorum fessivitate, ar. 19. R

Cap. xj. de Lazari suscitatione, articulo 20. S. Dixit Martha

Index euangelici textus.

Cap. xij. de alabastro vnguenti, arti. 22. V. Gentilium ad Iesum deuotione, ar. 23. X. Amen A. D. nisi granum, Y

Nunc anima mea tur. Z. Nunc iudicium est mundi, A

Cap. xij. de pedum ablutione, ar. 26. E. Proditionis Iudae & negationis Petri praenunciatione, ar. 28. G

Cap. xiiij. de sermone domini post coenam, ar. 29. Nò tutetur cor vestrum, K. Si diligitis me, madata, L. Si quis diligit me, M

Cap. xv. ar. 29. Ego sum vitis, N. Hoc est preceptum meum, O. Haec mando vobis, P. Cum venerit paracletus, & 161 absque sinagogis facient, Q

Cap. xvi. Vado ad eum, ar. 9. R. Modicum & iam non videbitis, S. Amen. A. D. vo. si quid petieritis, T

Cap. xvij. Subleuatis oculis, ar. 29. v. Conseruatione, sanctificatione & glorificatione discipulorum, X

Cap. xvij. de passione dominica, ar. 30. A

Cap. xix. de passione, ar. 34. E. Sepultura domini, ar. 36. G

Cap. xx. de resurrectione & apparitione domini, ar. 37. H. Sepulchri visitatione per Mariam, K. Petrum & Ioannem, K. Iesu apparitione Mariae, L. Discipuli, P

Cap. xxj. de piscatione discipulorum, ar. 37. Q. Petri dilectione, R. Imitatione, S

I N D E X

EVANGELIORVM ECCLESIASTICA

ORDINATIONE, SACRIS IN AEDIBUS,

tam Dominicis quam Quadragesimae &

diuorum feriis, necnon de unctorum

memoriis pralegendorum, textus

initium finemque, complectens, de-

terminansque locum, & nu-

mero & litera o-

stendens.

Domini quarta aduentus domini,

Miserunt Iudaei ab Hierosolymis sacerdotes & Ientitas

ad eum, (Ioan. 1.) erat Ioannes baptizans, art. 2. C

Bb ij

Index euangelici textus.

Die Natiuitatis Domini.

In principio erat verbum, & verbum erat apud deum, & deus erat verbum. (Ioannis.1.) gratiæ & veritatis, articu.1.A

Ioannis.

Dicit Iesus Petro: Sequere me. Conuersus Petrus vidit illum discipulum quem diligebat Iesus. (Ioannis.21.) testimonium eius, arti.37.S

Octaua Ioannis

Vidit Ioannes Iesum venientem ad se, & ait: Ecce agnus dei. (Ioannis.1.) hic est filius dei, art.2.D

Dominica secunda post

Epiphaniæ

Nuptiæ factæ sunt in Cana Galilæi, & erat mater Iesu ibi. (Ioannis.2.) discipuli eius, arti.3.F

Feria quinta D. Quadragesimæ prima.

Dicebat Iesus ad eos, qui crediderunt ei, Iudæos: Si vos manseritis in sermone meo (Ioannis.8.) verba dei audite, articu. 16. L

Feria sexta

Erat dies festus Iudæorum, & ascendit Iesus Hierosolymam, (Ioannis quinto.) qui fecit eum sanum, articu.9.P

Feria secunda: D,

Quadragesimæ secunda.

Ego vado, & quæritis me, & in peccato vestro moriemini. (Ioannis.8.) facio semper, arti, 16. K.

Feria sexta: D.

Quadragesimæ tertia.

Venit Iesus in ciuitatem Samaritæ quæ dicitur Sichar, (Ioannis.4.) saluator mundi, artic.7.M

Sabbato

Perrexit Iesus in montem oliueti, & diluculo iterum venit in templum, (Ioannis.8.) noli peccare, articulus. 14. H

Feria secunda: D.

Quadragesimæ quarta.

Index euangelicæ textus.

Prope erat Pascha Iudæorum, & ascendit Iesus Hierosolymam, (Ioannis secundo.) quid esset in homine, articu. 4. G

Feria tertia.

Iam die festo mediente, ascendit Iesus in templum, & docebat (Ioannis septimo.) multi crediderunt in eum, ar. 13. E

Feria quarta.

Præteriens Iesus, vidit hominem cæcum à natiuitate, (Ioan.9.) Procidentem adorauit eum, ar.17. N

Feria sexta.

Erat autem quidem languens Lazarus à Bethania, de castello Mariæ & marthæ sororum eius. (Ioan. vndecimo.) credendum in eum, ar.20. S

Sabbato.

Ego sum lux mundi qui sequitur me, (Ioan.8.) venerat hora eius, ar.15. I

Dominica in passione.

Quis ex vobis arguet de peccato? Si veritatem dico, quare non creditis mihi? (Ioan.8.) de templo, ar.16. M

Feria secunda.

Miserunt principes & pharisæi ministros, vt apprehenderent Iesum (Ioannis.7.) credentes in eum, ar.13. F

Feria tertia.

Ambulabat Iesus in Galilæam. non enim volebat in Iudæam ambulare, (Ioan.7.) metum Iudæorum, ar.13. D

Feria quarta.

Facta sunt autem encarnia in Hierosolymis, & hyems erat. (Ioan. deci.) ego in patre, ar.19. R

Feria sexta.

Collegerunt ergo pontifices & pharisæi concilium, & dicebant, (Ioan. vndecimo.) cum discipulis suis, ar.21. T

Sabbato.

Subleuatis oculis in cælum, dixit: Pater, venit hora, clari-

Index euangelici textus.

fica filium tuum, (Ioann. 17.) ego in ipsis, art. 29. V
Feria secunda, D. Palmarum.
Ante sex dies paschæ, (Ioannis. 12.) abscondit se ab eis,
ar. 23. X
Gena domini.
Ante diem festum paschæ, sciens Iesus quia venit hora
eius, (Ioan. 13.) ita & vos faciatis, ar. 26. E
D. Resurrectionis
Maria Magdalene & Maria Iacobi & Salome, (Mar. 16.)
dixit vobis, ar. 37. H
Feria secunda.
Duo ex illis ibant ipsa die in castellum quod erat in spa-
rio stadiorum sexaginta ab Ierusalem, (Lu. 24.) in fra-
ctione panis, ar. 37. N
Feria tertia.
Stetit Iesus in medio eorum, & dixit: pax vobis, (Lu. 24)
in omnes gentes, ar. 37. G
Feria quarta.
Manifestavit se Iesus ad mare Tiberiadis iterum. (Ioan-
nis. 20.) à mortuis, ar. 37. Q
Feria quinta.
Maria stabat ad monumentum foris plorans, (Ioannis
20.) & hæc dixit mihi, ar. 37. L
Feria sexta.
Vndecim autem discipuli abierunt in Galilæam, (Mat.
28.) ad consummationem seculi, ar. 37. T
Sabbato.
Vna sabba. Maria Magdalene venit mane, (Ioann. vige-
simo,) ad semetipsos, ar. 37. K
D. post pascha.
Cum sero effer die illo vna sabbatorum, & fores essent
clausæ, Ioannis. 20.) nomine eius, ar. 37. P
Dominica secunda.
Ego sum pastor bonus. Bonus pastor animam suam dat
pro ouibus suis. (Ioannis decimo.) vnus pastor, articu.
18. P
Dominica tertia.

Index euangelicæ textus.

Modicum, & iam videbitis me. & iterum modicum, (Io-
annis decimosexto.) Toller à vobis, ar. 29. S
Dominica quarta.
Vado ad eum qui misit me, & nemo ex vobis interrogat
me, (Ioannis 16.) annuntiabit vobis, ar. 29. R.
Dominica quinta.
Amen amen dico vobis, si quid petieris patrem in nomi-
ne meo, (Ioannis decimosexto.) deo exiui, ar. 29. T.
Rogationum.
Quis vestrum habebit amicum, & ibit ad illum media no-
cte, (Luc. vndecimo.) petentibus se, 1. part. ar. 55. X
Ascensionis.
Recumbentibus illis vndecim, apparuit, (Marci decimo-
sexto.) sequentibus signis, ar. 38. V
Dominica infra octa. ascen.
Cum autem venerit paracletus, (Ioan. 15.)
Pentecostes.
Si quis diligit me, sermonem meum seruabit: & pater meus
diliget eum, (Ioannis decimoquarto.) sic facio, ar. 29. M
Feria secunda.
Sic enim deus dilexit mundum, vt filium suum vnigeni-
tum daret, (Ioan. 3.) in deo sunt facta, ar. 5. I
Feria tertia.
Amen amen dico vobis, qui non intrat per ostium in o-
uile ouium, (Ioan. decimo.) abundantius habeat. ar. 18. O
Feria quarta.
Nemo potest venire ad me, nisi pater qui misit me, (Ioan-
nis decimosexto.) pro mundi vita, ar. 12. Y. 2
Trinitatis.
Erat homo ex pharisæis, Nicodemus nomine, (Ioan. 3.)
vitam æternam, ar. 5. H
Sacramenti.
Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus
(Ioan. 6.) in æternum, ar. 12. B
Dom. vigesima prima
post Pentecosten.
Bb iij

Index euangelici textus.

Erat quidam regulus, (Ioan. 4.) domus eius tota, arti. 8. O
Philippi & Iacobi.
Non turbetur cor vestrum, (Ioã. 14.) hoc faciam, ar. 29. K
Vincula Petri.
Dixit Simoni Petro Iesus: Simõ (Ioã. 21.) effer deũ, ar. 37. R
Laurentij.
Nisi granum frumenti cadens in terram, (Ioã. 12.) in ca-
lis est, ar. 23. Y
Bartholomæi.
Facta est autem & contentio inter eos, (Luc. 22.) tribus If-
rael, ar. 28. H
Exultationis Crucis.
Nũc iudicium est mũdi, nunc princeps huius mundi eii-
cietur foras, (Ioan. 12.) lucis sitis, ar. 23. A
Compassionis.
Stabat iuxta crucem (Io. 19.) qui vocatur Christ⁹, ar. 35. F
In feriis apostolorum.
Hoc est præceptum meum, (Ioan. 5.) ar. 29. O
Hac mando vobis, (Ioan. 15.) me gratis, ar. 29. P.
Ego sum vitis vera, & pater meus agricola est, (Ioan. 15.)
saluus erit, ar. 29. N
Memoriis defunctorum.
Dixit ei Martha: Scio quia resurget, (Ioan. 11.) mundũ ve-
nisti, ar. 20. S. 3
Amen amẽ dico vobis, quoniam venit hora & nunc est,
(Ioan. 5.) P. 3
Omne quod dat mihi pater, ad me veniet, (Io. 6.) nouis-
simo die, ar. 11. X
Tempore angustia.
Amen amen dico vobis, quia plorabitis & flebitis vos,
(Ioan. 16.) nemo tollet à vobis, ar. 29. S

INDEX

RERVM.

Accusatores nostri, 1. ar. 89. Z
Adolescentia, 1. ar. 13. V. 2
Adoratio, ar. 1. 16. B. 2. 2. arti. 7. M. 2. 2. ar. 23. Y. 3.
1. ar. 10. O. 3
Adulatio, 1. ar. 26. A. 3
Adulterium, 1. ar. 17. C. 2. ar. 14. I
Agnus, 2. ar. 2. D
Amicitia, 1. ar. 55. X. 2. ar. 29. O. 2
Angelus, 1. arti. 72. X. 3. 1. ar. 5. G
Apostolus, 2. ar. 26. O. 3
Arbor, 1. ar. 26. D. 2. 1. ar. 26. E. 1. ar. 15. Z. 3
Avaritia, 1. ar. 77. D, 1. ar. 89. A, 2. ar. 22. V. 2
B
Baptismus multiplex, ar. 27. T. 3
Baptismus Ioannis, 2. ar. 2. C. 3
Baptismus Christi, 1. ar. 15. A, 2. ar. 5. H. 2. 2. ar. 29. N
Baptismus paruulorum, 2. ar. 38. V
Benedictio multiplex, 1. ar. 11. Q. 2
Benedictio sacerdotalis, 1. ar. 81. K
Benedictio salis, 2. ar. 9. P. 2. ar. 17. N
Benedictio parentum, 1. ar. 29. H
Benedictio mulierum, 1. ar. 5. G. 2
Beatitudo, 2. ar. 29. K
Blasphemia, 1. ar. 49. I. 3. 1. ar. 76. C. 3
C
Calix, 1. ar. 95. C. 2
Cæcitas, 1. ar. 96. H. 3. 1. ar. 97. L. 2. 2. ar. 17. N. 3
Cibus multiplex, 1. ar. 64. L
Ciborum delectus, 1. ar. 47. I. 2. 1. ar. 61. H. 3
Circuncisio, 1. ar. 9. N
Cogitatio, 1. ar. 61. H. 3
Confessio, 1. ar. 52. Q. 2. ar. 37. P

Index rerum.

Confirmatio, 2. ar. 29. M. 2. 1. ar. 81. K
Consilium euangelicum, 1. ar. 83. N. 2
Consilium humanum, 2. ar. 21. T. 2. ar. 24. C. 2
Conuiuuium 1. ar. 87. T
Correctio, 1. ar. 17. C. 1. ar. 26. C. 3. 1. ar. 58. A. 3. 1. ar. 73. Z
1. ar. 89. Z, 1. ar. 94. F. 2. 1. ar. 104. X. 3. 2. ar. 4. G
Crucis virtus, 2. ar. 5. H. 3. 2. ar. 23. A
Crucis baiulatio, 1. ar. 68. Q. 1. ar. 88. X
D
Dedicatio, 2. ar. 19. R
Defunctorum memoria, 2. ar. 9. Q. 3. 2. arti. 12. X. 3.
2. ar. 20. S. 2
Dæmonum malitia, 1. ar. 22. I. 1. ar. 32. L. 1. ar. 62. I. 1.
ar. 49. L
Dæmonum pœna, 1. ar. 32. L
Detraçtio, 1. ar. 93. E. 3
Dilectio dei, 1. ar. 53. S. 2. 1. ar. 108. B. 2. 2. ar. 5. I. 2. ar. 29. M.
Dilectio proximi, 1. ar. 53. S. 2. 1. ar. 108. B. 2. 2. ar. 28. G. 3.
2. ar. 29. O
Dispensatio, 1. ar. 57. Z. 3
Diuitiæ, 1. ar. 26. X. 3. 1. ar. 26. Z. 1. ar. 26. A. 2. 1. 89. Z. 3. 1.
art. 90. B. 1. ar. 77. D. 1. ar. 76. C. 3
Diuortium, 1. ar. 26. R
Dormitio sanctorum, 2. ar. 20. S. 2. ar. 29. K
E
Ecclesia, 1. ar. 99. P. 2. 2. ar. 18. P. 3
Ecclesiæ firmitas, 1. ar. 26. E. 3. 1. ar. 67. O. 2. 1. ar. 73. Z.
3. 2. ar. 29. L
Ecclesiæ autoritas, 1. ar. 73. Z. 2
Ecclesia domus Christi, 1. ar. 23. L.
Electio dei, 2. ar. 12. C. 3. ar. 29. O. 3
Electio canonica, 1. ar. 25. N. 2. ar. 18. O. 2
Eleemosyna, 1. ar. 26. T. 3. 1. ar. 15. Z. 3. 2. ar. 22. V. 2
Exequiæ defunctorum, 2. ar. 20. S. 2
Euangelium, 1. ar. 1. A. 1. ar. 1. C. 3. 1. ar. 2. D
Eucharistiæ sacramentum, 2. ar. 26. F. 2. ar. 12. Z. 2
2. ar. 12. B. & c. 2. ar. 26. E. 2. 1. articu. 57. 2
Excæcatio mentis, 1. ar. 59. C. 2. 2. ar. 23. B. 1. ar. 52. Q. 2
Excommunicatio, 2. ar. 29. Q. 2

Index rerum.

F
Festiuatatum obseruatio, 1. ar. 13. V. ar. 19. R
Fides vera, 1. ar. 91. C. 1. ar. 1. C.
Fidei gradus, 2. ar. 8. O. 3. 1. ar. 91. C.
Filiorum institutio, 1. ar. 29. H. 1. ar. 13. V. 3. 1. ar. 12. S.
3. 2. ar. 16. L. 3. 1. ar. 12. R. 2
Filiorum punitio ob peccata parentum, 1. ar. 110. E
Fratres dicuntur, 1. ar. 37. Q. 1. ar. 50. N. 1. ar. 109. C. 3
Fraternitas, 1. ar. 109. C. 3
Fruçtus bonus, 2. ar. 29. O. 3
G
Gaudium, 1. ar. 96. I. 2. 2. ar. 29. N. 3. & S. 3
Genealogia Christi, 1. ar. 7. I. 1. ar. 15. A. 3
Generatio duplex, 1. ar. 110. E. 2. ar. 5. H. 2
Gloria vana, 1. ar. 26. T. 3. 1. ar. 45. G. 2. ar. 9. R. 3.
2. ar. 13. D. 3
Gratiæ plenitudo, 1. ar. 4. F. 2. ar. 1. A. 3
Gratiæ effectus, 2. ar. 7. M. 2. ar. 13. F. 3
Gratitudo, 1. ar. 45. F. 3. 1. ar. 93. E. 3
Gula, 1. ar. 26. A. 3. 1. ar. 90. B. 1. ar. 113. M
H
Hæresis, 1. ar. 26. D. 1. ar. 93. E
Hypocritis, 1. ar. 26. X
Homicidium, 1. ar. 26. Q. 2
Honor parentum, 1. ar. 13. V. 3
Humilitas, 1. ar. 72. X. 1. ar. 86. 3. 1. ar. 91. C. 2.
ar. 109. C. 3
I
Ieiunium, 1. ar. 26. X
Induratio, 1. ar. 52. Q. 2. 1. ar. 59. C. 3. 2. ar. 23. B
Infernalis pœna, 1. ar. 105. Y. 3
Infirmorum instructio, 2. ar. 8. O
Infirmitatum occasio, 2. ar. 9. P. 3
Ingratitudo, 2. ar. 19. R. 3
Inimicorum dilectio, 1. ar. 26. S. 1. ar. 74. A. 3
Inuidia, 2. ar. 9. Q
Ioannis laus, 2. ar. 37. S
Ira, 1. ar. 26. Q. 2
Iudicium diuinum duplex, 2. ar. 23. A
Iudicium generale, 1. ar. 68. Q. 3. 1. ar. 74. A. 1. ar. 89. Z
1. ar. 115. S. 2. ar. 9. Q. 3. 2. ar. 21. T. 3
Iudicandorum diuersitas, 1. ar. 83. O. 2

Index rerum.

Iudicium temerarium, 1. ar. 13. E. 2. 1. ar. 26. B. 2. & 32. 1. art.
103. T. 2
Iudicium politicum, 1. ar. 26. R. 1. ar. 26. B. 2. 1. artic. 76. C. 3.
2. ar. 13. G
Index, 1. 103. T. 2. 2. ar. 13. G. 1. art. 14. H. 2
Iuramentum, 1. ar. 26. R. 2.
Iustus, 1. ar. 3. E

L

Lepora, 1. ar. 27. F. 3. 1. ar. 93. E
Lex varia, 2. ar. 2. B. 2.
Lex natura, 1. ar. 26. C. 3
Lætitia vana, 1. ar. 26. A. 2
Liber triplex, 1. ar. 7. 1
Liberum arbitrium, 1. ar. 110. E. 2. ar. 12. Z. 2. art. 12. C. 3. 2.
ar. 29. N. 2
Libertas euangelica, 1. ar. 71. V. 3. 2. ar. 16. I
Lingua, 1. ar. 49. L. 2. & 3. 1. ar. 63. K. 2. art. 106. Z
Luctus, 1. ar. 26. O. 2. 1. 26. A. 2
Lupus, 1. ar. 26. D. 2. 2. ar. 18. O. 3. 2. ar. 18. P
Lux duplex, 2. ar. 15. I
Lux Christus, 2. ar. 1. A. 2. 2. ar. 5. I. 2. 2. ar. 15. I. 2.
2. ar. 23. A. 3.
Lux sancti, 2. ar. 1. A. 2

M

Maria, 2. ar. 12. Z. 2. & B. 3
Mariæ maternitas, 1. ar. 49. M. 1. art. 54. T
Matrimonium, 2. ar. 2. E
Mercenarius, 1. ar. 57. M. 2. 2. ar. 18. P
Miraculorum operatio, 1. ar. 26. A. 2. ar. 5. H
2. ar. 8. O. 2
Misericordia dei, 1. ar. 26. B
Misericordia, 1. ar. 26. B & O. 2
Mors triplex, 1. ar. 29. H. 1. ar. 90. B. 2
Mortis preparatio, 1. ar. 29. H. 1. ar. 33. M. 3
Mortis deploratio, 1. ar. 29. H. 2. 2. ar. 20. S. 2
Mors non timenda, 1. ar. 39. V. 2. 2. 1. art. 76. C. 2

Index rerum

Mortuus peccator, 1. ar. 29. H. 2. ar. 20. S. 3.
Mundus, 2. ar. 5. I. 2. 2. ar. 29. I. 2. ar. 1. a. 2. 2. ar. 13. D. 2

N

Negociatio corporalis, 1. ar. 99. P. 2
Negociatio spiritualis, 1. ar. 60. G. 1. ar. 99. P. 2
Nuptiæ corporales, 2. ar. 3. F
Nuptiæ spirituales, 2. ar. 3. F. 3. 1. ar. 6. K. 2

O

Oblatio, 1. ar. 10. O. 3
Oculus intentionis, 1. ar. 51. O. 3
Odium, 1. ar. 26. S
Opus bonum, 2. ar. 21. V. 2
Oratio, 1. ar. 26. V. 1. ar. 26. C. 2. 1. ar. 95. G. 2. 2. artic.
29. K. 3.
Orationis conditio, 1. ar. 55. X. 2. 1. ar. 62. I. 3. 1. ar. 100. Q. 1.
ar. 93. E. 2. ar. 17. N. 3. 2. ar. 29. N. 3. & T. 2. 2. ar. 7. M. 2.
Orationis suffragium, 1. ar. 23. I. 2. 1. ar. 28. G. 3. 1. ar. 55. X.
1. ar. 62. I. 3

Ovis, 1. ar. 115. S. 2. ar. 18. O. & P. 3. 2. ar. 19. R. 2.

P

Patientia, 2. ar. 4. G
Panis multipliciter, 1. ar. 45. F. 3. 2. ar. 12. B. 3
Parabola, 1. ar. 59. C. 1. ar. 89. X. 2. 2. ar. 7. M. 2
Paruuli, 1. ar. 52. Q. 1. ar. 72. X
Pater deus, 1. ar. 103. C. 3
Paupertas, 1. ar. 26. O. 2. 1. ar. 83. N. 2. 1. ar. 26. A. 1. ar. 30. I
Pastor Christus, 2. ar. 18. P.
Pastor, 1. ar. 38. R. 2. ar. 18. O. 2. ar. 36. R
Pax, 1. ar. 114. P. 3. 1. ar. 8. L. 3. 2. ar. 29. G. 3. 2. ar. 36. O
Peccatum duplex, 2. ar. 17. N
Peccati remissio, 1. ar. 33. M. 2. 1. ar. 67. O. 3
Pœna peccati, 2. ar. 17. N. 2. ar. 9. Q. 3. 2. ar. 12. X. 3
Pœnitentiæ necessitas, 1. ar. 15. Z. 3
Pœnitentiæ gradus, 1. ar. 82. M. 2. 1. ar. 103. O. 2. 1. ar. 12. R. 2
Pœnitentiæ fructus, 1. ar. 15. Z. 3. 1. ar. 74. A
Pœnitentia damnatorum, 1. ar. 90. B. 1
Peregrinus, 2. ar. 36. N

Index rerum.

Piscatio, 1. ar. 20. G. 2. 2. ar. 37. Q. 3
Porta angusta, 1. ar. 26. C. 3. 1. ar. 85. R
Portæ inferi, 1. ar. 26. E. 3. 1. ar. 67. O. 2
Præcepta humana, 1. ar. 61. H. 2. 2. ar. 16. I
Prædestinatio, 1. ar. 26. V. 2
Prælatus, 1. ar. 72. X. 1. ar. 95. G. 3. 1. ar. 106. Z. 2. 2. ar. 28. H
1. ar. 45. G
Prælati negligentia, 1. ar. 31. K. 1. ar. 89. Z. 1. ar. 114. P. 2
Prophetiæ donum, 2. ar. 21. T. 2
Prophetæ falsi, 1. ar. 26. D. 1. ar. 65. M. 3. 1. ar. 93. E. 1. ar. 112.
K. 1. 2. ar. 1. A. 2. 2. ar. 6. K. 3
Quærendus Christus, 1. ar. 8. M. 2. 2. ar. 13. F. 2. 1. ar. 1. V. 2
R
R eci diuatio, 2. ar. 9. P. 3
R egeneratio duplex, 1. ar. 83. O. 2
Regnum cælorum, 1. ar. 1. B. 3. 1. ar. 26. Z. 3. 1. ar. 113.
L. 3. 2. art. 29. B
Regnorum desolatio, 1. ar. 45. G. 1. ar. 49. L. 2. 1. ar. 69. O
Resurrectio, 1. ar. 107. A. 2. 2. ar. 9. Q. 3. 2. ar. 20. S. 2
S
Sacerdos, 1. ar. 57. Z. 2
Sanctorum opitulatio, 1. ar. 26. A. 1. ar. 23. L. 2
Sal. 1. ar. 26. P. 1. ar. 72. X. 3. 2. 1. ar. 88. y
Scandalum, 1. ar. 72. X. 2
Schisma, 1. ar. 17. N. 2
Scripturæ intellectus, 2. ar. 29. M. 2. & ar. 37. N. 2. & O. 3
Sepultura, 1. ar. 29. H. 1. ar. 42. C. 3. 2. ar. 36. G
Sequela Christi, 1. ar. 21. H. 2. & 3. 1. ar. 30. 12. 1. ar. 83. O. 2. ar.
23. Y. 3. 2. ar. 37. S. 1. ar. 68. Q. 1. ar. 97. L. 2
Seruitus duplex, 1. ar. 11. P. 3. 1. ar. 16. P. 2. 1. ar. 71. V. 3. 1. ar. 91
C. 2. 2. ar. 16. D. 2. art. 29. O. 2
Seruire, 1. ar. 8. M. 2
Simonia, 1. ar. 99. P. 2
Sitis varia, 2. ar. 7. M.
Solicitudo, 1. ar. 26. Z. 2 & 3. 1. ar. 77. D. 2
Spiritus sanctus, 2. ar. 29. L. 2. ar. 29. M. 2. 2. ar. 29. Q. & R.
2 & 3.

Index rerum.

Suffragium defunctorum, 2. ar. 9. Q. 3, 2. ar. 12. X. 3. 2. arti.
20. S. 2
Superbia, 1. ar. 72. X. 1. ar. 103. V. 3. 2. ar. 9. I
T
TEmplum domini, 1. ar. 3. F
Templum spirituale, 2. ar. 19. R
Tempus multiplex, 1. ar. 1. A. 3. 2. ar. 13. D. 2
Tenebræ, 2. ar. 1. A. 2. 2. ar. 5. I. 2
Tentatio, 1. ar. 16. B. 2. & 3. 1. ar. 21. K. 1. ar. 45. F. 2
Thesaurus, 1. ar. 26. X. 3. 1. ar. 26. E. 2. 3. ar. 60. G. 1. ar. 77. E. 3
Testamentum, 1. ar. 29. N
Timor mortis, 1. ar. 76. C. 2
Tristitia, 2. ar. 29. S. 2. 2. ar. 30. B
Tribulatio, 1. ar. 26. O. 2. ar. 17. N. 2. ar. 29. N. 3. 2. ar. 29. P. 2
Turbatio duplex, 2. ar. 29. K
V
VErbum dei, 1. ar. 16. B. 2. 1. ar. 17. C. 1. ar. 69. C. 2
2. ar. 16. M
Verbum ociosum, 1. ar. 49. B. 3
Veritas triplex, 1. ar. 106. Z
Vestium ornatus, 1. ar. 40. A. 1. ar. 90. B
Via vitæ, 2. ar. 2. C. 2
Vidua, 1. ar. 29. H. 3
Vinca, 1. ar. 104. X. 3. 2. ar. 29. N. 2
Visio dei æctiua, 1. ar. 24. M. 1. ar. 45. F. 2
Passiua, 1. ar. 52
Visitatio dei, 1. ar. 29. H. 3
Virginitas, 1. ar. 115. Q. 1. ar. 83. N. 2
Voluntas dei, 1. ar. 52. Q. 2. 1. art. 110. E. 2. 2. ar. 12. X. 2
2. ar. 13. E
Vnctio infirmorum, 1. ar. 39. Y.
Vnitas multiplex, 2. ar. 29. X. 2
Votum, 1. ar. 23. N. 3
Vtura, 1. ar. 26. R. 3
Zelus triplex, 2. ar. 4. G

FINIS INDICIS.

Authoris ad lectorem admonitio.

ENARRATIONES IN MONOTESA-
ron Euangeliorum breues & absolutæ, iuxta grauissi-
morum ac probatissimorum autoritatem, tam prisco-
rum quàm neotericorum, è sacris literis spiritus sancto il-
luminante haustum intellectum, summo studio sic con-
gestæ, vt lector puro, germano, ac plano sensu intellectu,
& cõcionator in fide ac moribus ædificet populum.

Placuit autem certis rationibus in duas partiri sectio-
nes, tum ob Ioannis euangelium, quod magna pro par-
te ad passionem vsque solitariũ ingreditur, tum ob con-
modiorem pro cõcionatoribus libri partitionem & ordi-
nationem. Siquidem à sacramenti festo ad ieiunij vsque
tempus, vix vnum aut alterum occurrit Euangelium ex
Ioanne legendum in ecclesia: quare aptissimè cũ passio-
nis, resurrectionis, ascensionis quæ historiis ordinari po-
test, quum per ieiunium & intra pascha pentecostenque
maximè legantur.

Pars secunda Ioannis per totum cum reliquo Matthæi,
Marci, Luca, & Ioannis, ad calcem vsque.

PRAEFATIO IN PAR-

TEM SECUNDAM, CONTI-

nentem Enarrationes in Ioannem.



HOC INTER Theologiam distat &
philosophiam, quæ theologia increatæ ni-
titur Veritati, atque per lumen gratiæ
reuelatur: Philosophia verò naturali
lumini & humanæ rationi cõsetur, at
que humano (ex consideratione rerũ
creatarum) studio inuenitur. Vnde
theologiæ nulla subesse potest falsi-
tas. Psal. 92. Testimonia tua credibilia facta sunt nimis.
Nã Ioannis 17. ait saluator: Sermo tuus veritas est. Hinc
in his quæ fidei sunt, varia & diuersa opinari non licet,
quũ ab altissimo sumat exordium. Philosophiæ verò di-
uersi miscetur errores, quia ex infimis paulatim ad sum-
ma conscendere conatur. Eccle. 7. Solummodo hoc inue-
ni quod fecerit deus hominẽ rectũ, & ipse se in finitis mi-
scuerit quæstionibus. Natura enim diuina, quoniam id
immensum superat imbecillitatem humani ingenij, quã-
libet alioqui felicitis ac perspicacis, nec sensibus nostris, vt
est, potest percipi, nec animo concipi, nec imaginatione
fingi, nec verbis explicari. Lucẽ enim habitat inaccessibi-
lem, quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest.
1. Tim. 6. Quanquam autẽ in rebus conditis vestigia que-
dam sublucent diuinæ sapientiæ, potentiæ, ac bonitatis,
fit quidem vt similitudines ductæ ab his rebus, quas vt-
cunque sensibus ingenioque complectimur, adducant nos
in tenuem aliquam & umbraticam rerum incomprehensi-
bilibium cognitionem, vt eas veluti per somnium, ac nebu-
lam vtcunque contempletur. 1. Corinthio. 13. Videmus
nunc per speculum in ænigmate, nulla tamen similitudo
duci potest à rebus vllis conditis, siue spectes angelos, si-
ue calorũ machinam, siue hæc inferiora corpora no-
stris sensibus ita familiaria, vt tamen ad plenum à nobis
comprehendi non possint, quæ per omnia quadret ad ra-
tionem ac naturam eorum, ad quorum cognitionem præ-

*Fide opi-
niones non
pati.*

PARS SECVNDA.

strandam illæ collationes adhibentur. Itaque cõuenit hõmini huc omne studium conferre mentis, vt amet dei bonitatem potius quàm suspiciat, aut comprehendat illius sublimitatem, quam ne Cherubin quidem, aut Seraphin, ad plenum assequantur. Prouer. 25. Qui scrutator est maiestatis, opprimetur à gloria. Et quanquam deus in omnibus operibus suis nõ potest non esse mirabilis: tamen maluit nobis ob bonitatem amabilis haberi, quàm ob celsitudinem stupendus. Caterum plenior cognitio diuinæ naturæ, futuro seculo seruetur, his qui hęc per innocentis vitæ pietatem purgarunt cordis oculos. Nam. videbimus eum tunc sicuti est. 1. Ioann. 3. Quia facie ad faciem, 1. Corinth. 13. Satis est interim ad consequendam salutem æternam, ea de deo credere, quæ palam ipse de se prodidit in sacris literis, per selectos viros ad hoc spiritu sancto afflatos, quæque post versans in terris ipse discipulis suis aperuit, ac demum per spiritum sanctum iisdem in hoc selectis discipulis patefacere dignatus est. Ioan. 16. Cum venerit spiritus ille veritatis, docebit vos omnem veritatem. Hęc simplici fide tenere, Christiana philosophia est: hęc puro corde venerari, vera religio est: per hęc tendere ad cælestis vitæ meditationem, pietas est: in his perseuerare, victoria est: per hęc vicisse, summa felicitas est. 1. Ioa. 5. Hęc est victoria quæ vincit mundum, fides vestra. Quum enim natura rerum diuinarum summis etiam hominum & angelorum ingenii sit incomprehensibilis, & euangelica professio ad omnes mortales ex æquo pertineat, de rebus diuinis tantum aperuit nobis per filium suum pater cælestis, quantum satis esse voluit ad consequendam salutem. Itaque periculosa cuiusdam temeritatis est, quicquam affirmare de natura diuina, præter ea quæ nobis vel Christus ipse, vel spiritus sanctus aperuit. Matth. 11. Nemo nouit filium nisi pater, neque patrem quis nouit nisi filius, & cui voluerit filius reuelare. Ioan. 17. Pater manifestaui nomen tuum hominibus quos dedisti mihi. Sed quoniam his temporibus vt creuit ecclesia, & euangelici sermonis triticum in cordibus piorum, ita succreuerunt & impiorum zizania, quorum execranda temeritas eõ prorupit, vt quidam non veriti sint Iesu Christo

Scopus ac
summa
scripturæ.

ARTICVLVS I.

adimere naturã humani corporis, pro homine spectrũ inane ac præstigiũ hominis subicientes, quidam è diuerso diuinam naturam eidem detraherent, mentientes tum demum cõpisse, quum nasceretur ex Maria virgine, quod ex cæcati terrenis affectibus, non assequerentur diuini consilij mysterium, quomodo deus verus hominem verum assumpserit, vt idem esset vtrunque, neque quicquã interim decederet incommutabili naturæ diuinæ, & constaret integritas naturæ humanæ. hinc Ioannes magnus theologus, qui & frater domini gratia, simplex & illiteratus, Act. 4. Comperto quod homines essent sine literis & idiotæ (Petrus videlicet & Ioannes) admirabantur & cognoscebant eos, quoniam cum Iesu erant, dilectus præ cæteris discipulis à domino: nam absolute mitis erat, suauissimisque moribus, vt eius scripta indicant, ac mundo corde; nempe virgo, amplius notitiæ dei donum accepit; mysteriis que plerisque incognitis ipse dedicatus est. Nam vt dicit Chrysostomus, totius humanitatis ingenia transcendens, illuc mentis apicem direxit, quod vix angelica creatura pertingere potest; Christi diuinitatem ostendens. Vnde in Pathmo insula euangelium conscripsit post triginta duos annos post assumptum Iesum in cælum; diuinam simul & humanam declarans naturam, contra hæreses, tunc insurgentes. Historicum autem narrandi ordinem obseruans in eo, describit primo quis sit, deinde quur venerit, postremo quid gesserit. Et primum à diuinitate Christi orditur.

Quæ tria
Ioannes
prosequatur.

A ij

DE AETERNA CHRIS-
TI generatione, Ioannis I.

ARTICVLVS I.

Ioan. 1.

In principio erat uerbum, & uerbum erat apud deū,
& deus erat uerbum. Hoc erat in principio apud deū.
Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est ni-
hil, quod factum est.

Quid pri-
mo ponat
Ioannes.

Immensam diuinæ benignitatis ostendit abyssum, in
humani generis reparatione per incarnationis myste-
riū, declarans deum verum, uerum assumpsisse hominem.
Initio, ergo hoc agit, ut doceat uerbi naturam, qua ab
aeterno à patre progignitur, ponens primò uerbi ad pa-
trem inseparabilitatem. In principio, inquit, erat uerbum.
Quod à principio est, eius omnino nullum tempus inuen-
tum, quando non erat, primæ Ioannis. 1. Quod fuit ab ini-
tio, quod audiuius, quod uidimus oculis nostris, quod
perspeximus, & manus nostræ contrectauerunt de uer-
bo uitæ, & uita manifestata est, & uidimus, & testamur,
& annunciamus uobis uitam æternam, quæ erat apud pa-
trem, & apparuit nobis. Genesis. 1. dicitur: In principio
creauit deus cælum & terram, unde non sempiternum
seculum: hic autem, erat, quare sempiternum uerbum? quia
tunc erat quando condi creaturæ cœperunt. Eccle. 1. 4. E-
go ex ore altissimi prodij, primogenita ante omnem crea-
turam. Heb. 13. Christus Iesus heri & hodie, ipse & in secu-
la. Mich. 5. Egressus eius à principio, à diebus æternitatis.
Hinc dicitur principium. Interrogatus enim, Tu quis es?
respondit Ioannis 1. Principium, qui & loquor uobis. A-
pocal yp. 1. Ego sum α & ω, principium & finis. Dicitur
est autem cum articulo, illud uerbum: Dicitur uerbum,
quia mentem patris nobis annunciauit, & quia sicut uer-
bū gignitur ex mente sine passione, sic & hic à patre na-
tus est absque uilla affectione. Hilari. Aeternitas est in pa-
tre, species in imagine, usus in munere. Pater quippe prin-
cipium sine principio. Filius uerò & spiritus sanctus prin-
cipiū, sed de principio. Hinc dicitur imago bonitatis dei,

Sapient. 7. Coloss. 1. Qui est imago dei inuisibilis, primo-
genitus omnis creaturæ. Secundo ponit distinguentem
proprietaem, Apud deum. Impossibile est deum absque
sermone & sapientia esse, sicut sol non est absque splen-
dore. Heb. 1. Qui quum sit splendor gloriæ, & figura sub-
stantiæ eius. Sic erat in diuinitate naturæ cum patre, ut iuxta
personæ proprietatem esset apud patrem: nec sic adhære-
bat patri, quem admodum accidens adhæret subiecto, sed
deus erat ex deo, & deus erat in deo circum inaccessibiliter.
Ioannis. 14. Non credis quod ego in patre, & pater in me est?
Quia ergo uerbum apud deum, manifestum quod dux
personæ introducuntur. nullus enim apud se esse dicitur,
etiam si una natura in his duobus, contra Sabellium Ly-
bem, qui nugabatur patrem & filium & spiritum sanctum
uam personam. quæ aliquando ut pater, quandoque
ut filius, non nunquam ut spiritus sanctus apparuerit. Ter-
tio essentialem unitatem, Et deus erat illud uerbum. Non
simpliciter ponitur uerbum, sed additur articulus, ut non
possit de quouis accipi uerbo, sed de certo quopiam & in-
signi. Habet enim hanc uiam articulus. Vides ergo quod
& uerbum erat deus, & ita una natura, quod articulus
appositus ad deum, indicat: & ille deus, pater & filius &
spiritus sanctus, quia & una diuinitas contra Arium, qui
filium dixit creaturam, ut mendacis patris filius, mali-
gnòque spiritu plenus: alius enim de persona, aliud de na-
tura dicitur. Ioannis. 8. Ego & pater unum sumus. 1. Io-
annis. 5. Scimus quoniam filius dei uenit, & dedit nobis
sensum, ut cognoscamus deum uerum, & sumus in uero
filio eius. Hic est uerus deus & uita æterna. Rom. 9. Qui est
super omnia deus benedictus in secula. Hinc Hier. 23. Susci-
tato Dauid germen iustum, & regnabit rex & sapiens
erit, & faciet iudicium & iustitiam in terra. In diebus
illis saluabitur Iuda, & Israel habitabit confidenter. Et
hoc est nomen quo uocabunt eum, Dominus iustus noc-
ter. Vbi ponitur nomen Domini tetragrammaton, quod
nulli conuenit nisi soli deo. Quarto coæternitatē, Hoc e-
rat in principio apud deum. Tria breui hoc uerbo com-
plexus est: Verbi diuinitatē, Hoc dicens, referendo, proxi-
mam sententiam, Dicēs, erat in principio, facit patri co-
æternum uerbum, Quod ait, apud deum, notat discrimen

Quid se-
cundo.

Sabellij
hæresis.

Quid ter-
tio.

Arii hæ-
resis.

Alius &
aliud qui
differant.

Quid
quarto.

personarum. Rursus diuinitatem ostendens, ne existimes verbum quod in aera diffunditur & dissoluitur, factorem omnium dicit tam visibilium, quam inuisibilium. Neque enim conditus est à patre, sed per hunc sibi coaeternum sermonem suum, pater condidit vniuersa quaecunque condita sunt, & per eundem gubernat vniuersa. Sapient. 8. Attingit à sine vsque in finem fortiter, & disponit omnia suaviter, & per eundem instaurauit vniuersa, non velut instrumento vtens aut ministro, sed vt eiusdem naturae, eiusdemque virtutis filio, vt ex patre velut autore summo, prodirent omnia quaecunque sunt, sed per filium quæ sibi per omnia parem ab aeterno genuerat ac semper gignet. Heb. primo, Per quem fecit & secula. Coloss. 1. Quoniam in ipso condita sunt omnia in caelis & in terra, visibilia & inuisibilia. Quia in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliari omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis, siue quæ in terris, siue quæ in caelis sunt. Cum natura sit operationis principium, sicut trium personarum est vna natura, ita & vna in diuisaque actio ad extra. Dicit autem scriptura patrem operari per verbum & per spiritum sanctum: vt sciamus sanctæ trinitatis in diuiduam esse actionem ad extra, & per consequens eandem essentiam, sicque credatur vnus simplicissimus & verus deus. Ioannis. 14. Pater autem in me manens, ipse facit opera. Ioan. 5. Pater meus vsque modò operatur, & ego operor. Psal. 103. Emitte spiritum tuum, & creabuntur, & renouabis faciem terræ. Psal. 32. Verbo domini caeli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum. Omne ergo factibile per ipsum factum est. Be da: Si nihil creaturarum sine ipso factum est, patet profecto quia ipse creatura non est, per quem omnis creatura facta est. Cum ergo omnis creatura dei bona sit, prime Timot. 4. Vnde vidit cuncta quæ fecit, & erant valde bona; Genes. 1. quare tam multa patimur mala à creatura? Audi sapientem? Armabit, inquit, creaturam ad vltionem inimicorum, Sapient. 5. Hinc non obseruantibus præcepta, comminatus est Leuit. 26. Immittam in vos bestias agræ, quæ consumant vos & pecora vestra. De pena ergo tua, peccatum tuum accula, non iudicem. Nam propter superbiam nostram domandam, instituit deus nos à

*Cur bona
dei creatu-
ra hominẽ
infestent.*

vilissimis & abiectionibus torqueri: vt quum superbus fuerit homo, & se iactauerit aduersus deum, & quum mortalis sit, ipse mortalem terruerit, & quum homo sit, proximum non agnouerit hominem, & qui se erexerit, pulcibus subdatur. Quid enim superbis terra & cinis? Ecclesia. 30. Homo tibi conuicium dixit, & intumisti ac iratus es, pulcibus resiste vt dormias. Sic ad domandam Pharaonis superbiam, non leones, non vrsos aut serpentes, sed muscas immisit, vt rebus vilissimis superbia domaretur. Sic Antiocho vermes à proprio corpore scaturientes. 2. Mach. 9. Sic & Herodes non dans honorem deo, percussus ab angelo, consumptus à vermibus expirauit. Act. 12. Hinc Deu. 32. Moses ait: Date magnificentiam deo, dei perfecta sunt opera, & omnes vitæ eius iudicia: peccauerunt ei, & non filij eius in sordibus. Generatio praua atque peruersa, hæc cene reddis domino popule stulte & insipies? Nunquid non ipse est pater tuus, qui possedit te, & fecit & creauit te? Omnia ergo naturam seruantia, quia peccatum naturæ non seruat ordinem, sed corrumpit, per ipsum facta sunt. At à quo, ad quid, nisi ab ipso, per ipsum, & ad ipsum? Quatenus enim efficiens est, ab ipso sunt omnia: quatenus forma & veritas rerum, per ipsum. Anselmus: Pater fecit omnia per verbum, licet sit eiusdem essentiae cum patre, quia fecit omnia, sua potentia, quæ est idem filio, est enim identitas virtutis operantis in patre & filio, ita vt virtus illa sit à patre in filio. Quatenus finis est & consummatio omnium, ad ipsum sunt omnia. Roma. 11. Quis cognouit sensum domini? aut quis consiliarius eius fuit? Aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei? Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia, ipsi honor & gloria in secula seculorum, Amen.

Sine ipso factum est nihil.

Bisariam, distinguitur hic locus. Chrysostr. Home. 4. & Vulgarius sic legunt: Et sine ipso factum est nihil, quod factum est, vt intelligas nihil omnino creatum, quod non fit creatum à patre per filium, ne quis existimet spiritum sanctum facturam. Augustinus: Sine ipso factum est nihil, id est quicquid factum est, non absque eo factum est. Sic & Cyrillus, vt intelligamus omnia per filium fuisse con-

dita, tam visibilia quàm inuisibilia: & quicquid conditum fuit, in eo verbum illud est vita, vt non solum omnibus sit autor originis cum patre, verumetiam idem admixtum omnibus, veluti vita, tueatur & conseruet vnuersum quæ condita sunt. Ad hanc sententiam facit, quod cum bis dixerit, vitam, priori vitæ non addidit articulum, posteriori addidit. In eo quod conditum est, verbum illud erat quædam vita, dum impartit incolumitatem naturæ conditæ: & illa vita erat illa lux hominum, quæ vitam illam ac ineffabilem vitam significat.

Quod factum est, in ipso vita erat, & vita erat lux hominum, & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt. Fuit homo missus à deo, cui nomen erat Ioannes. Hic uenit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum. Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine. Erat lux uera, quæ illuminat omnem hominem ueniens in hunc mundum. In mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognouit.

2 Non solum in eo erat vis nutu suo condendi rerum visibilibus & inuisibilibus vnuerstatem, verumetiam in eodem erat vita, vigorque omnium quæ condita fuerant, vt per eundem vnunquodque natiuo suo vigore ageret, seseque vi semel in ista perpetua propagatione tueretur. Secundum Diony. omnia sunt in deo per causam & exemplar. quod autem in alio est, in eo est secundum naturam & modum eius in quo est, & secundum proprium esse ac modum. Cum ergo deus sit mens æterna & simplicissima, certum est quod omnia sunt in eo per rationem simplicem & æternam, quæ appellatur idea & exemplar, quia per illam deus cognoscit & operatur creata. Sapientia. Candor enim est lucis æternæ, & speculum sine macula dei maiestatis, & imago bonitatis: & cum sit vna, omnia potest: & in se permanens, omnia innouat. Palam est autem, quod deus cuncta & singula propriis rationibus ac speciebus intelligat & producat. Vitam itaque nominat, quia fons vitæ. Psalm. 11. Quoniam apud te est fons vitæ, Ioanis. 1. Sicut pater habet vitam in semetipso, sic dedit

& filio habere vitam in semetipso. Eo quod cõtineat vitam omnium in se, vitam omnibus præstans. Genesis. 2. Formauit igitur dominus deus hominem de limo terræ, & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem. Act. 17. Ipse dat omnibus vitam & inspirationem. In ipso enim viuimus, mouemur, & sumus, Sap. 11. Quomodo autem posset aliquid permanere, nisi tu voluisses? aut quod à te vocatum non esset, conseruaretur? Sic & spiritalis vitæ reconciliator existit. Colo. 3. Cum Christus apparuerit vita vestra. Ioannis. 10. Ego veni vt vitam habeant. Modum indicat. Ioan. 5. Amē amen dico vobis, quia venit hora & nunc est, quādo mortui audient vocem filij dei: & qui audierint viuent. Deum vitæ æternæ largitor. Ioan. 10. Ego vitam æternam do eis, scilicet omnibus meis obsequentibus. 1. Corint. 15. Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur. Hinc signatur per lignum vitæ. Genes. 2. Lignum vitæ in medio paradisi. Ioan. 14. Ego sum via, veritas, & vita Deute. 30. Elige ergo vitam, vt & tu viuas & semen tuum, & diligas dominum deum tuum, atque obedias voci eius. & adhæreas illi. Ipse est enim vita tua, & longitudo dierum. 1. Ioan. 5. Qui habet filium dei, habet vitam: qui non habet filium dei, non habet vitam. Sicut autem est fons vitæ omnibus, ita est & fons lucis, nimirum patre per æternam natiuitatem in eum transfundente naturæ diuinæ plenitudinem, adeo vt solus vitam restituat etiam mortuis, & auium quamlibet densam noctem luce sua depellat. Est lux, non corporalis sensibilis, sed spiritalis animam illustrans. Psalm. 117. Quoniam tu illuminas lucernam meam domine, deus meus illumina tenebras meas. Ratio data nobis, secundum quam rationales vocamur, lux est, quæ ducit nos ad ea quæ sunt faciēda & quæ non. Psalm. 4. Multi dicunt, quis ostendit nobis bona? Signatum est super nos lumen vultus tui domine. Sed vivebant homines in ignorantia, & in peccatorum tenebris versabantur, mutas statuas pro deo viuo colentes, cæcis cupiditatibus turpiter immerfi, & obscuratum est insipientis cor eorum, Rom. 1. nec habebant cordis oculos quibus æterna veritas conspiceretur. Insuperat deus scintillulam aliquam ingenij perspicacis animis hominum,

sed hanc affectus corporales & tenebræ vitiorum obcaecauerant, vt nec humana philosophia, nec Mosâica legis religio, nec prophetarum faces hæc discutere quierint. Tandem venit sol iste noster æternus, vt vitam restitueret omnibus hominibus, & peccatorum absterfa caligine, redderet omnibus oculis, vt per fidei lumen agnosceret deum patrem colendum, & huius vnicum filium Iesum Christum. Ioannis decimosextimo, Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum verum deum, & quem misisti Iesum Christum. P. salm. 42. Emitte lucem tuam & veritatē tuam: ipsa me deduxerunt & adduxerunt in montē sanctum tuum, & in tabernacula tua. Beda: Hoc verbo apertissime docetur, quod ipsa vitalis ratio, per quam omnia disposita sunt & reguntur, non omnem creaturam, sed rationalem tantum, vt sapere possit, illuminat. Homines nanque ad imaginem dei facti, sapientiam percipere possunt, cætera non possunt. Sed animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus dei. Cor. 2. Vnde in Aegypto tenebris existētibus, vbicumque Israel erat, lux erat. Exodi decimo. Lucet autem lux in tenebris, sed tenebræ quādiu tenebræ manent, ipsam non comprehendunt fide per dilectionem operante. Ioannis octauo, Sermo meus non capit in vobis. Nō ergo lucis vitio, nā lucet in tenebris, sed tenebrarum, non capitur lumen. Iob vigesimoquarto. Ipsi fuerunt rebelles lumini, nescierunt vias eius, nec reuersi sunt per semitas eius. Quemadmodum sol cæcis præsens est, ipsi verò absentes soli, sic peccatores luci gratiæ absentes sunt. Hierem. 5. Peccata vestra prohibuerunt bonum à vobis. Tenebræ dicuntur peccatores, qui in peccatis sunt ignorantia. Sapientia secundo, Excæcauit eos malitia illorum. Eccl. vndecimo, Error & tenebræ peccatoribus concreata sunt. Hinc de gentibus ait Apostolus Eph. quarto, Tenebris obscuratum habētes intellectum, alienati à via dei per ignorantiam quæ est in illis propter cæcitatē cordis illorum. P. salm. 81. Nescierunt neque intellexerunt, in tenebris ambulant. Quærunt tenebras latentia. Ioannis tertio. Dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem, erāt enim eorum mala opera. De quibus Eph. quinto. Quæ autem in occulto fiunt ab eis, turpe est & dicere. Esa. vigesimo nono. Væ qui profundi

*Tenebræ
qui dicantur.*

estis corde, vt à domino abscondatis consiliū, quorum sunt in tenebris opera, & dicunt: Quis videt nos? & quis nouit nos? Peruersa est hæc vestra cogitatio, quasi si lutū contra figulum cogitet, & dicat opus factori suo, non fecisti me: & figmentum dicat fictori suo, non intelligitis. Vadunt ad tenebras gehennæ. Iudæ primo. Quibus procella tenebrarum seruata est in æternum. & Matthæi 25. Inutilem seruum iniicite in tenebras: exteriores, ibi erit fletus, & stridor dentium, Purget ergo quisque oculos à puluere, pituita, fumo, scilicet peccatorum, clamās cum Propheta psalmo duodecimo, Illumina oculos meos, ne vnquam obdormiam in morte, nequando dicat inimicus meus, præualui aduersus eum. Prouerbiorum quarto. Via impiorum tenebrosa, nesciunt quo corrūant. Nam timentibus deum huius lucis ortus promittitur. Malach. 4. Orietur vobis timentibus nomen meum sol iustitiæ. P. salm. 96. Lux orta est iusto, & rectis corde lætitia. Quid autem facias his, qui scientes ac volentes lucem oblatam à se depellunt? qui iuuitati ad lucem, vltro claudunt oculos ne videant? Certe nihil ab ipso factum non est, vt ne quisquam esset expers sui luminis. Non enim ingressit se subito mortalium oculis, ne magis etiam illos exocularēt ob incredulitatem. Quis enim rem tam admirandam credidisset, nisi paulatim multis modis præparasset mentes hominum ad credulitatem? Facturus ergo sermonem de incarnatione, præmittit de præcurfore quē missum dicit: Nam pseudo prophetæ non mittuntur. Hier. 23. Non mittebam prophetas, & ipsi currebant. Hinc Moysi dicitur Exo. 3. Veni, mittam te ad Pharaonem. P. salm. 240. Misit Moyses seruum suum: Aaron, quem elegit ipsum. Sic Saluator in euangelio se missum dicit, Ioannis. 8. Qui misit me, verax est. Et qui me misit, mecū est, & non reliquit me solum, quia quæ placita sunt illi, facio semper. Vnde discipulis ait, Ioan. 20. Sicut misit me pater; & ego mitto vos. Sic Ioannes missus perhibetur, sed à deo. Mala. 3. Ecce mitto angelum meum, qui præparabit viam ante faciem meam. Subuertens autem opinionem aliorum, qui Ioannem angelum opinabantur natura, dicitur homo: quia non natura, sed officio angelus erat. Et bene Ioannes nominatus, quia in vtero matris spiritu fuerit.

Ioan. baptista qui angelus

sancto repletus. Luca. 1. Et spiritu sancto replebitur adhuc ex utero matris suae; quo maior (teste domino) non surrexit. Matthaei 11. & quia gratiam Christi primus annunciat. Matth. 3. Pœnitentiam agite, appropinquavit regnum cœlorum. Nā & in hoc delectus ac missus à deo, ut iuxta prophetiam quæ de ipso erat, testimonium præberet de illo lumine diuino, quod humano corpore distillatum versabatur in mundo: non quod qui deus esset, & paterna voce prædicatus est, Matthaei. 3. Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui, opus haberet hominis testimonio, sed ut omnibus modis ipse insinua- ret incredulitatem mortalium, Ioannem voluit esse præcurso- rem lucis, quemadmodum Lucifer solis exortu præuius nunciat mundo: suaque prædicatione præpararet animos hominum ad excipiendam lucem iam iamque venturam, quamquam quidam vitio suo non crediderunt, quemadmodum sol lucet ut omnes illuminet. Per illum dicit: non, in illum, Non enim erat ille lux illa, effectiue il- lustrans, & gratiæ lumen præstans, & per essentiam lu- cens, tamen priusquam Christus inclaruisset miraculis, multi suspicarentur Ioannem esse lucem illam à prophe- tis promissam. Esa. 9. Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam: habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis. Verum præco tantum veræ lucis erat Ioannes, non ipsa lux. Lucem autem rectè dixerim⁹ vniquemque sanctorum, sed non lucem illam cum ar- ticulo, quia sancti per participationem. Cyrillus. Omnis creatura quoniam compositione constat, lux vera non est, neque propriè, sed participatione. Lux vera est, quæ illuminat non illuminata: ea vnigenit⁹ est filius dei. Homi- nes & angeli lux sunt, sed id proprietate naturæ non est: nam docere possunt, illabi & creare non possunt, ut deus, qui vnicuique semen sapiëntiæ infundit, hoc est, pietatis & intelligendi radices inserit. Sancti ergo dispositi- uè illuminant, ad gratiam præparando, tum verbo, tum exemplo. Vnde, de Ioanne dominus ait Ioannis. 5. Ille er- rat lucerna ardens & lucens. Et discipulis, Matthaei, 5. Vos estis lux mundi. Sic & Apostolus Philip. 2. Sitis sine que- rela, simplices filij dei, sine reprehensione in medio na- tionis prauæ & peruersæ, inter quos lucetis sicut lumina

Lux quo- modo jan- cti dican- tur.

ria in mundo, verbum vitæ continentes. Et ad Ephesi. 5. Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in domino. ut filij lucis ambulate. Fructus enim lucis est in omni bonitate, & iustitia, & veritate. 1. Thessalo. 5. Omnes vos filij lucis estis, & filij diei. Non sumus noctis neque tenebrarum. Igitur non dormiamus sicut cæteri, sed vigilemus & sobrii simus. Nō fuit ergo ipse illa lux, id est, Chri- stus, sed eius præco. Ioannis. 5. Vos misistis ad Ioānem, & testimonium perhibuit veritati. Act. 13. Prædicante Io- anne ante faciem aduentus eius baptismum pœnitentiæ omni populo Israel. Cū imple- ret autem cursum suum dicebat: Quem me arbitramini esse, non sum ego: sed ecce venit post me, cuius non sum dignus calceamenta pedū soluere. Hinc baptizauit in nomine venturi. Act. 19. Io- annes baptizabat populum baptismo pœnitentiæ, dicēs, in eum qui vēturus esset post ipsum, ut crederent, hoc est, in Iesum. Illa lux de qua loquor, erat lux vera, vnde & Ioanni ipsi suum lumen fluxit. Illuminat autem omnem hominem lumine naturali, dāns rationem qua inter bo- num & malum discernere possint, ac ex creaturis cogno- scere creatorem deum. Roma. 1. Inuisibilia ipsius à creatu- rā mundi per ea quæ facta sunt intellecta, conspiciuntur: sempiterna quoque eius virtus & diuinitas, ita vt sint inexcusabiles. Hinc Sapien. 13. Vani sunt omnes homi- nes, in quibus non subest sciëntia dei, & de his quæ vidēt- tur bona, non potuerunt intelligere eum qui est: neque operibus attendentes, agnouerunt quis esset artifex. Sic & Sapiëntia diuina, Eccl. 1. Omnis sapiëntia à domino deo est. Iacob. 1. Si quis indiget sapiëntia, postulet à deo, qui dat omnibus affluenter, & non impropert. Demum dono fidei. Quemadmodum enim absque sole cæcus est hic mū- dus, ita absque hac luce caligant vniuersa. Mundus autē, vbi que regnante peccato & abominandis erroribus, vni- dique tenebrosus erat Iudæi volunt hanc lucem sibi prop- riè vendicare, quod his propriè videretur pmissa, quod ex iisdem & apud eisdem iuxta carnem exorta. Num. 24. Orietur stella ex Iacob, sed illa venerat ut per angeli- cam fidem illucesceret cordibus omnium totius orbis na- tionum. Esa. 9. Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam: habitantibus in regione umbræ mor-

Qui, cur nō tis, lux orta est eis. Chrysoſtomus: Ille omnē hominē illuminat, quātum de ſe eſt: ſi autem quidam oculos mentis claudentes non illuminantur, non lucis natura obtenebratio eſt illis, ſed à malitia ſua. ſicut ab introitu omnibus patēti & nullo prohibēte, qui voluntarie foris remanēt, à propria malitia pereunt. Vnde mali conqueruntur, ſed ſero. Sapient. 5. Errauimus à via veritatis; & iuſtitiae lumen non luxit nobis, & ſol intelligentiae nō eſt ortus nobis. Auguſtinus, Ipſe illuminat omnem hominē, quia nullus illuminatur niſi per ipſum. Semper fuit in mundo, nō quod qui immenſus eſt, vllō locorum ambitu contineatur, ſed vbique praefens per eſſentiam, praefentiam, & potentiam. Omnia enim penetrat, & ad omnia ſua ſe potentia extendit, ſubque conſpectui omnia patent. Hier. 23. Nunquid non caelum & terram ego impleo? Sapientiae. 8. Attingit à fine vſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſua uiter. Quare Proue. 15. In omni loco oculi domini

Manichaei haereſis. contemplantur bonos & malos. Nec mirum, quā mundus per ipſum factus ſit. Oſtendit autem vbique ipſum opificem, partim vt Manichaei inſaniam reprimeret, malignum opificem omnia produxiſſe dicentis, & Arrium conſutaret qui filium creaturam dixit: ac partim, vt omnem hominē induceret, vt factorem conſiteatur, & nō ſeruiat creaturis, ſed adoret creatorem. Mundi autem nomine vniuerſum hoc ſignificatur. quod ab ipſo creatum

Mundi nomine quod intelligendum. eſt, & ij qui mundum ſapiunt. Auguſtinus: Si terram diligis, terra eſt: ſi deum, deus. 1. Ioannis. 5. Totus mundus in maligno poſitus eſt. Hic cum non cognouit; quia terreni non cognoscunt per fidem formatam. Tit. 1. Conſitentur ſe noſſe deum, factis autem negant. De quibus Eſai. 1. Cognouit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus praefepē domini ſui. Iſrael autem me non cognouit, & populus meus non intellexit. Ioannis. 17. Pater iuſte, mundus te non cognouit. Additur mundo articulus.

3 In propria uenit, & ſui eum non receperunt. Quot quot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios dei fieri, his qui credūt in nomine eius: qui non ex ſanguinibus, neque ex uoluntate carnis, neque ex uoluntate uiri, ſed ex deo nati ſunt. Et uerbum caro factum eſt, &

habitauit in nobis. & uidimus gloriam eius, gloria quaſi unigeniti à patre, plenum gratia & ueritatis.

Non mirum ſi gentes idoolorum cultores, huius uitae commodis omnia metientes, prophetarum & legis rudēs, non agnouerunt humana ſpecie ueniētem. Illud magis mirandum, quod peculiariter ad ſuam gentem ueniens, cui promiſſus Meſſias, & tot ſeculis expectatus, adeo non eſt receptus à ſuis, vt quibus ſeruandis peculiariter uenerat, efferatis animis exitum moliti ſint, Matthaei 21. Hic eſt haeres, uenite, occidamus eum. Hac autem occaſione ſic gētes admittae ſunt ad euangelicam ſalutem. Act. 13. Tunc conſtanter Paulus & Barnabas dixerunt: Vobis oportebat primum loqui uerbum dei: ſed quoniam repellitis illud, & indignos uos iudicatis aeternae uitae: ecce conuerſimur ad gentes: ut nec Iudaeis, nec vllis omnino nationibus ſit praefluſus auditus, ſi modo depoſita per uicacia, ſe praebant obedientēs fidei, quae prima eſt ianuā ad ſalutem aeternam. Nullum dominus cogit & attrahit neceſſitate, ſed uoluntatem relinquit & electionem. Nō enim eſt perſonarum. acceptio apud deum, ſed in omni gēte qui timer deum, & operatur iuſtitiam, acceptus eſt illi. Act. 10. Chryſoſtomus: Non dixit, fecit eos filios dei, quia opus eſt & ſtudio noſtro. Dicendo enim; poteſtate, oſtendit quoniam non ſimpliciter haec gratia ſuper aduenit, ſed nobis uolentibus & ſtudentibus. Etenim in noſtra potentia iacet, quid horum eligamus, id eſt, filios dei fieri uel non fieri. Modum ſubdit. His qui credunt, ait, qui ſuſcepto uerbo lucem ueram per fidem receperunt, & declararunt. Nam ideo dei filius ac deus ipſe ſeſe demittit ad humilitatem noſtram, ut nos per fidem ad ſuam ſublimitatem eueheret: ideo ſuſcepit in ſe noſtrae mortalitatis ignominiam, ut nos diuinę gloriae faceret conſortes: ideo homo ex homine naſci uoluit corporeus, ut nos renaceremur ſpirituales. Ad hanc dignitatem ſummam admiſſi ſunt humiles, reiectis elatis: nam hos filios agnoſcit deus, non qui per corporeum ſemen, aut carnis libidinem, naſcuntur filij Abrahę, ſed qui per fidem naſcuntur ex deo. Licet autem homo, dum conuertitur ad Chriſtum per fidem & dilectionem, efficiatur dei filius ad-

Libertas arbitrii;

ptius: hoc tamen non est, nisi in quantum habet propo-
 situm recipiendi baptismum, in quo spiritualiter rena-
 scimur, & filiatio dei adoptiua perficitur, & sic regnum
 dei percipitur, Ioannis. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua
 & spiritu sancto, non potest introire regnum dei. Quod
 natum est ex carne, caro est: & quod natum est ex spiri-
 tu, spiritus est. Gal. 3. Omnes vos filij dei estis per fidem que
 est in Christo Iesu. Roma. 8. Si filij, & heredes: heredes
 quidem dei, cohæredes autem Christi. Ex generatione
 terrena & naturali carnales sumus & morti obnoxij: ex
 diuina, cælestes sumus & immortales. Ex terrena pecca-
 mus, ex diuina peccare non possumus. 1. Ioannis. 3. Om-
 nis qui natus est ex deo, non peccat, sed generatio dei con-
 seruat eum. Manens ergo in illa generatione, non pec-
 cat. Consideremus gratiam redemptoris, quanta sit, quam
 magna multitudo dulcedinis eius: descendit ad terram,
 ubi fratres sibi quibus regnum patris sui dare posset, ac-
 quireret. Consideremus & quanta sit virtus fidei, cuius
 merito datur potestas hominibus, filios dei fieri. Scriptum
 est enim Abac. 2. Iustus ex fide sua uiuet. Viuit enim ius-
 tus ex fide, non illa quæ laborum tantum profertur con-
 fessione, sed quæ per dilectionem operatur, Galat. 5. Alio-
 qui fides si non habeat opera, mortua est in semetipsa, Luc.
 2. Nullus seipsum despiciat, nullus de se desperet. curramus
 omnes, curramus singuli, ut qui eramus longe, Prou. 15.
 Longe est dominus ab impijs: mereamur fieri prope in
 sanguine Christi, Ephè. 2. Audiamus quod dicitur, Quot-
 quot receperunt eum, &c. Vis autem scire quis nobis con-
 ciliarit hanc gratiam adoptionis in filios? Verbum caro
 factum est. Filius dei factus est hominis filius, ut homines
 faceret filios dei. Hinc Apollinaris Laodicensis dixit non ho-
 minem, sed tantum carnem susceptam, non intelligens
 scripturæ consuetudinem, quæ non nunquam totum à par-
 te denominat. Gen. 46. Descendit Iacob in Aegyptum in
 animabus septuaginta. & Esa. 40. Videbit omnis caro pa-
 riter quod os domini locutum est. Neque enim anima sine
 corporibus in Aegyptum descendere, neque caro sine
 anima videre aliquid potest. Nec assumpsit ad tempus,
 mox depositurus quod assumpserat: sed quod certam fidem
 faceret hominibus, humanæ nature, non per solum, quæ
 admodum

Apollina-
 ris hereti-
 cus error.

admodum Eutyches, Valentinus, & Manichæus nuga-
 tur, diu verus est in terris, sicut; esurit, afflicus est,
 mortuus est, oculis conspectus est, auditus, contrectatus.
 Baruc. 3. Post hæc in terris visus est, & cum hominibus
 conuersatus est. Non enim dixit, Verbum caro apparuit,
 sed factum est. Zach. 2. Gaude & latere filia Sion, quia
 ecce ego venio & habitabo in medio tui, ait dominus, &
 applicabuntur gentes multæ ad dominum, & habitabo
 in medio tui. Esa. 52. Propter hoc sciet populus meus no-
 men meum in die illa, quia ego ipse qui loquebar, ecce
 assum. Sunt enim duæ in ipso natura, & vna hyposta-
 sis: quare & duæ generationes, & vna filiatio. Generatio
 enim naturam respicit, filiatio personam. Porro ut hæc
 dignitas humano generi esset perpetua, adhuc habitat
 in nobis, carnem humanam gestas, atque iam glorifica-
 ta confidens ad dexteram patris omnipotentis. Habita-
 uit & olim inter filios Israel, per singularem gratiam &
 protectionem. Exod. 25. Habitabo in medio eorum. 3. Reg.
 8. Impleuerat gloria domum domini. Tunc ait Salomon:
 Dominus dixit ut habitaret in nebula. Eze. 43. Habitabo
 in medio filiorum Israel in æternum. Nec mirum. Prou.
 8. Delicæ meæ esse cum filiis hominum. Ego tamen ali-
 ter habitat cum fidelibus, in quibus non solum habitat
 per gratiam. 2. Corint. 5. Vos estis templum dei viuus. sicut
 dicit deus. Leui. 26. Quoniam inhabitabo in illis, &
 inambulabo inter eos, & ero illorum deus, & ipsi erunt
 mihi populus. 1. Corinth. 3. Nescitis quoniam templum
 dei estis, & spiritus dei habitat in vobis? sed & per rea-
 lem corporis & sanguinis preciosis in sacramento præ-
 sentiam. Dicitur autem verbum caro factum, ad expri-
 mendam assumptæ naturæ veritatem contra hæreses
 tunc exortas. Secundo, ad ostendendam eiusdem naturæ
 passibilitatem. Esa. 40. Omnis caro scenum, & omnis glo-
 ria eius tanquam flos agri. Tertio, ad inflammandam in
 nobis charitatem, ex tã gratuita dilectione, Ephè. 2. Deo
 qui diues est in misericordia, propter nimiam charita-
 tem suam quæ dilexit nos, cum essemus mortui peccatis,
 conuiuificauit nos in Christo, cuius gratia estis saluati:
 & cõresuscitauit & cõsedere fecit in cælestibus in Chri-
 sto Iesu, ut ostendèret in seculis superueniētibus abun-

Eutycheis
 & Valen-
 tini hereti-
 ces.

Naturæ in
 h. 10.
 duæ, perso-
 na vna.

Præsentiæ
 Christi rea-
 lis in sacra-
 mento.

dantes diuitias gratiæ suæ in bonitate super nos in Christo Iesu. 1. Ioan. 4. In hoc est charitas, non quasi nos dilexerimus deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos, & misit filium suum propitiationem pro peccatis nostris. Nos ergo diligamus deum, quoniam ipse prior dilexit nos: Quid tam magnificum esse potest hominibus, quàm quod deus noster factus est frater noster? Non enim confunditur nos fratres vocare, Heb. 1. quibus similis passibilis factus est, ut ipsi similes efficeremur. Rom. 8. Quos præsciuit & prædestinavit conformes fieri imaginis filij sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. Quos autem prædestinavit, hos & vocauit: & quos vocauit, hos & iustificauit: quos autem iustificauit, illos & magnificauit. Noster creator, factus est saluator. Luca. 19. Venit filius hominis querere & saluum facere quod perierat. Iudex noster factus est aduocatus. Iaco. 4. Vnus est enim legislator & iudex, qui potest saluare & perdere. 1. Ioan. 2. Si quis peccauerit, aduocatum habemus apud patrem, Iesum Christum iustum. Quomodo ergo diffidere possumus de dei misericordia & beneuolentia, qui intantum se pro nobis exinanauit, Phillip. 2. formam serui accipiens, tantaque dilectionis signa præmonstrauit, præueniens nos in benedictionibus dulcedinis, Psalm. 21. Quum ergo uerbum homo factum sit, & quum sit filius dei, factus est filius mulieris, proprie ipsa Deipara dicitur, eo quod genuerit deum in carne. Neque tamen tum cum mortale corpus in terris circumferret, carebat diuina maiestate. Nos enim qui familiariter cum eo uiximus, utriusque rei testes sumus, nam iidem uidimus diuinam illius gloriam, quam ante incarnationem nemo videre poterat, planè dignam unigenito filio dei, quanta nec angelorum cuiquam, nec prophetarum ulli, nec patriarchis unquam exhibita est. Hanc uidimus in edendis miraculis. Ioannis. 10. Opera quæ ego facio in nomine patris mei, hæc testimonium perhibent de me. In promenda cælesti doctrina, Ioannis. 8. Ego ex deo processi & ueni. neque enim à me ipso ueni, sed ille me misit. Quare loquelam meam non cognoscitis? In uisione montis Thabor, ubi & paterna uox delapsa, filium unice dilectum professus est. Matthæi. 17. & in baptismo. Matthæi. 3. Hic

*Mariam
uere deipara
dicit.*

est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacuit. Sic & cum ipsum clarificasset, & clarificaturum diceret, Ioan. 12. Denique uidimus in resurrectione & ascensione, Actu. 1. & spiritus sancti missione, Actu. 2. Ioan. 16. Ille me clarificabit, quia de meo accipiet. Imò & in morte admirabili, qua & latro socius supplicij, & centurio filium dei agnouerunt, Luca. 23. Et quanquam in terris uersans, cum nostræ salutis negocium ageret, maluit nobis modestiæ, mansuetudinis, & obedientiæ exemplum exhibere, quam suam ostentare magnitudinem: tamen omnis illius oratio, omnia facta, gestus etiam ipse, ac uultus declarabant ipsum esse plenum omnibus diuinis dotibus, plenum æterna & irrefragabili ueritate. Gratiæ plenitudo accipitur primò ex parte ipsius gratiæ, cum tanta est intensiùe & uirtualiter, ut maior esse hequeat, sic soli competit homini Christo, Ioannis. 3. Non enim ad mensuram dat deus spiritum, pater enim diligit filium, & omnia dedit in manu eius. Colossen. 1. Quia in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare. Colos. 2. Quia in ipso inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. Altero, ex parte subiecti, ut quum quis tantam habet, quòd operationes ad quas diuinitus ordinatur, facile exequi potest. Sic sancti dicuntur pleni gratia. Luc. 1. Aue gratia plena, ait Gabriel Mariæ. & Actu. 6. Stephanus plenus gratia dicitur. & apostoli repleti spiritus sancto. Actu. 2. Erant Moyses, & prophetarum dicta, & facta, figuræ: Christi uero, plena ueritate, quum ipsa met esset ueritas, aliis eam suppeditans, ac figurarum uibras implens. Quia ergo deus homo factus est, ut per cognatum hominis habitum nobiscum conuersando congrueret, nos alloquendo instrueret, uiuendi nobis uiam præberet, pro nobis contra hostem confingeret, nostram mortem moriendo ac resurgendo posset destruere: per cœternam uero patri diuinitatem nos interius uiuificando ad diuina sustolleret, remissionem peccatorum pariter & spiritus sancti dona concederet: & post bonorum perfectionem operum, non solum ad uidentiam glorificatam suam nos perduceret humanitatem, sed & incommutabilem nobis essentiam suæ diuinæ maiestatis ostenderet. ut secundum illam uiuamus generatione quæ ex deo est;

*Plenitudo
gratiæ quæ
multifarie
accipitur.*

& vt filij dei patrem agnoscamus deum tam eminentis generationis autorem, nou vt filij hominum qui descendunt in infernum.

DE TESTIMONIO IO-
annis de Christo, Ioannis I.

ARTICVLVS. II.

Ioannes testimonium perhibet de ipso, & clamat dicens: Hic erat quem dixi: qui post me uenturus est, ante me factus est, quia prior me erat. Et de plenitudine eius nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia: quia lex per Moysen data est, gratia & ueritas per Iesum Christum facta est. Deum nemo uidit unquam, unigenitus filius qui est in sinu patris, ipse enarrauit.

Prosequitur quomodo primum innotuerit mundo, cum antea ne à fratribus quidem suis aliud esse crederetur quam homo. Quia ergo turbæ magnam de Ioanne opinionem habebant, ideo in testimonium Christi assumit. Nam liberè clamauit, non in angulo: Hic est de quo antehac sæpe locutus sum Vobis, cui vos me per errorem anteponitis, quum dicerem esse quendam qui me ætate ac prædicationis tẽpore sequeretur, simulque multitudinis opinione foret inferior. Is nunc anteuertit: & qui posterior uidebatur, prior esse cœpit. Nec mirum, quum etiam tum me dotibus omnibus prior esset, quia & deus est, quamuis hominum opinione uideretur inferior. Nec mirum, quum fons sit omnis ueritatis, & gratiæ, & sapientiæ supereffluens, dans se omnibus dignis, & effluës plenus maneat, nec vnquam exhauriatur. Nos uero quos tãtopere suspicatis, nihil aliud sumus quam riuali. Siquidẽ hoc ipsum quod habemus, pro suo quisque modulo, de huius plenitudine haustu est, unde promanat omnibus siquid ad æternam pertinet salutem. i. Corinthiorum 12. Diuisiones gratiarum sunt, idem autem spiritus. Ephc. 4. Vnicuique nostrum data est gratia secundum mẽsuram

donationis Christi. Gratiam noui testamenti pro gratia ueteris testamenti, quod antiquatum & sublatu est. Heb. 8. Dicẽdo nouum, ueterauit prius. Quod enim antiquatur & senescit, prope interitum est. vel gratiam subsequenter, & bene agendo meritam ac adeptam, pro gratia primo infusa, & purè gratis collata. Matt. 25. Tollite talentum ab eo, & date ei qui habet decem talenta. Omni nanque habenti dabitur. Nullus enim primam gratiã mereri potest. Alioqui gratia iam non est gratia, Romano. vndecimo. Sed nunc pro seueritate legis, gratia exhibitã est per Iesum Christum, qui per fidem euangelicam non solũ gratis condonat omnibus omnia peccata, sed & largitur filiorum adoptionem. Galatar. 3. Omnes uos filij dei estis per fidem quæ est in Christo Iesu. Gal. 4. Quoniam autem estis filij dei, misit deus spiritum filij sui in corda uestra clamantem, abba pater. Pro umbris exhibitã est ueritatis lux, cuius ille non solum præco, uerum etiam autor, ut sui deus pater omnem tradiderit potestatem. Non ergo Moyses legis autor, sed minister. Jac. 2. Lex quid & saluare. Est autem lex regula atque mensura actuum, per quam quis ad agendum uel non agendum bene se habet. uel inducitur, & est multiplex. A eterna, quæ secundum Augustinum est summa ratio diuinæ sapientiæ, in quantum est directiua actuum & motuum omnium creaturarum, cui semper obtemperandum est. Sapien. 12. Cũ ergo sis iustus, iustè omnia disponis, uirtus enim tua iustitiæ initium est. Sapien. 8. Attingit enim à fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter. Hæc, ut dicit Anselmus, omnis rectitudinis & uirtutis, omnis ueritatis & legis origo, & fontale atque causale est principium. Quæ ergo ab hac promanãt, bonæ sunt & ligant. Prouer. 8. Per me reges regnant, & legum conditores iusta decernunt. Esto autem lex humana quoddam rationis diuini, quo diriguntur actus humani in ordine ad finem boni communis in uita præsentis, ad conuiuendum pacificè, quæ ex lege naturali progreditur. Mat. septimo. Omnia quæcunque uultis ut faciant uobis homines, & uos facite illis. Hæc est enim lex & propheta. Tob. 4. Quo J ab alio oderis fieri tibi, uide ne tu aliquã-

*Naturalis
lex.*

do alteri facias. Estque determinatio & explicatio eius circa particularia hominum opera. Naturalis lex est notio legis æternæ impressa animæ, quæ est similitudo & imago diuinæ legis, per quã homo ad aliquid agendũ, vel omittendum inducitur. Romano. secundo. Cũ enim gẽtes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt, eiusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimoniam reddente illis conscientia ipsorum. Ista sufficeret, nisi homo ordinaretur ad beatitudinem supernaturalem. ideo indiget supernaturali lege, per quam de vera & supernaturali beatitudine instruat, & de præceptis & actibus perueniendi ad illã illuminetur. Est enim mensura ac regula actuum humanorum, in ordine, ad felicitatẽ æternã lex diuina, sicut humana in ordine ad felicitatem temporalem. Siquidem per hanc ratio cognoscit & dicit quid de deo sentiendum, quomodo ei obsequendum, ad quem finem omne nostrum exercitium sit referendum. De qua Psalm. 18. Lex domini immaculata conuertens animas, testimonium domini fidelẽ, sapientiam præstans paruulis. Diuiditur autem in legem veterẽ & nouam, non per diuersas species, quum vtriusque sit vnus finis, scilicet Christus, seu deo coniungi & frui, sed sicut perfectum & imperfectũ, quæ tamen vnus sunt speciei, vt homo per virum & puerum. Vnde in tribus excellit noua lex, quæ hic innuntur. Primò, ratione authoris. Nam vetus per angelos mediãte Moyse, Actuum. 7. Hic est qui fuit in solitudine in ecclesia cum angelo qui loquebatur ei in monte Sina, & cum patribus vestris, qui accepit verba vitæ dare vobis. Noua per Christũ. Heb. 2. Hic est testamentũ, quod disponam, domui Israel: Post hæc dabo leges meas in mentem illorum, & in corde eorum superscribam eas, & ero eis in deũ, & ipsi erunt mihi in populum. Vnde hic dicitur gratia facta per Iesum Christum. Secundo respectu legis, Heb. 7. Nihil ad perfectũ adduxit lex. Gal. 3. Lex pædagogus noster fuit in Christo, vt ex fide iustificemur. At vbi venit fides, iam non sumus sub pædago. Lex enim gratiam non conferebat, sed promittebat: euangelium verò includit & confert, quia sacramenta nouæ legis præstant quod signant. Gal.

*Legis diuinae.**Quot, & quibus noua lex præstet veteri.*

3. Si data esset lex quæ posset viuificare, verè ex lege esset iustitia, sed conclusit scriptura omnia sub peccato, vt permissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus, Heb. 7. Reprobatio quidẽ sit præcedentis mandati, ppter infirmitatem eius & inutilitatem: introductio verò melioris spei, per quam proximamus ad deum. Hinc dicitur hic gratia per Christum facta. Tertio, finis. Vetus enim bona promittebat terrena. Esa. 1. Si volueritis & audieritis me, bona terræ comedetis. Leuit. 28. Si in præceptis meis ambulaueritis, & mandata mea custodieritis, & feceritis ea, dabo vobis pluuias tẽporib⁹ suis, & terra gignet germen suum, & pomis arbores replebuntur, & caetera. Respiciam vos, & crescere faciam: multiplicabimini, & firmabo pactum meũ vobiscum. Noua, bona præstat celestia. Matthæi quarto. Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cælorum. Heb. decimo. Habentes itaque fratres fiduciam in introitu sanctorum in sanguine Christi, qui initiavit nobis viam nouam, & viuentem per velamen, id est, carnem suam, & sacerdotem magnum super domũ dei, accedam⁹ cum vero corde in plenitudine fidei, asperfi corda à conscientia mala, & abluti corpus aqua munda, teneamus spei nostre confessionem in declinabilem, fidelis est enim qui repromisit. Vnde hic ait veritatẽ, non figuram per Christum factã. Heb. 10. Vmbra hæbet lex futurorum honorũ, nõ ipsam imaginẽ. Omnẽ ergo excellit legẽ, quum enim legis sit officiu, homines reddere virtuosos, primò omnium necessariũ est vitia extirpare, quia declinandum à malo, & faciendum bonum. Psalm. 33. Galat. 3. Lex propter transgressionem posita est. 1. Timò. 1. Lex iusto non est posita, sed iniustus & non subditis, impiis & sceleratis. Sed lex vetus libellum permittit repudij, Matth. 19. Sic humana, quæ communitati proponitur, i qua plures sunt mali, quàm boni, multa permittit, ne pax turbetur, impunita, quæ diuino relinquit puniendam iudicio, vt claret de meretricibus & vsurariis. Euangelica verò lex nullum malum permittit, sed omnem inordinatũ affectũ excludit. Iræ, Matthæi. 5. Omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio. Concupiscentiæ, Matth. quinto. Qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, iam mœchatus est eam in corde suo. Sic de omni verbo

ocio rationem reddendam in die iudicij indicat, *Matt. 12.* Secundo spectat ad legem, virtutes inducere. *Mosaica* lex nō sic plene interiorem reformat affectum, sicut *no-ua*, *Matthæi. 6.* Lucerna corporis tui est oculus tuus, si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit. *Lex humana* nō nisi exteriora ordina. *1. Reg. 16.* Homo videt ea quæ patent, deus autem intuetur cor. Tercio pertinet ad legem, ad felicitatem perducere. Vera autem beatitudo supernaturalis est, ad quā non pertingitur nisi per gratiam gratificantem, quam lex verus promittere, sed prestare non potuit. *Rom. 3.* Arbitramur enim iustificari hominem sine operibus legis. *Matth. 7.* Qui facit voluntatem patris mei qui in cælis est, ipse intrabit in regnum caelorum. Quarto lucide tradi debet, vt ab omnibus intelligatur, & plene sciatur. Quia humana infinitis, ob particulares casus, scatet labyrinthis. *Mosaica* ve laminibus & figuris tegitur, quare & importabile pondus dicitur *Actu. 15.* quia plurimis & hoc non suauibus plena, timore poenarum retrahens à malo, & inducens ad bonum. Vnde & data est cū terroribus. *Exo. 20.* Cunctus populus videbat voces, & lapades, & sonitum buccinæ, montemque fumantem: & perterriti, ac pauore cōcussi, steterunt procul, dicentes *Moyssi:* Loquere tu nobis, & audiemus: non loquatur nobis dominus, ne forte moriamur. Et ait *Moyſes* ad populū: Nolite timere. vt enim probaret vos, venit deus, & vt terror illius esset in vobis, & non peccaretis. *Lex noua* placide & sedendo tradita, *Mat. 5.* cælestia bona pollicens, facilem & compendiosam fidei commonstrat viam, *Matt. 11.* Tollite iugum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris. Iugum enim meum suauē est, & onus meum leue. Nam amor omnia leuia facit. *Augustinus:* Breuis differentia legis & euangelij, amor & timor. *2. Timo. 1.* Nō enim dedit nobis deus spiritum timoris, sed virtutis, & dilectionis, & sobrietatis. *Rom. 8.* Quicumque enim spiritu dei aguntur, hi sunt filij dei, non enim accepistis spiritum seruitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorū dei, in quo clamamus, abba pater, ipse enim spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod filij dei sumus. Si autem

filij, & hæredes: hæredes quidem dei, cohæredes autem Christi: si tamen compatimur, vt glorificemur. *Heb. 12.* Non enim accessistis ad tractabile & accessibile ignē, & turbinem, & caliginem, & procellam, & turbæ sonum, & vocem verborum, quam qui audierunt, excusauerunt se ne eis fieret verbum. Sed accessistis ad Sion montem, & ciuitatem dei viuentis Hierusalem cælestem, & multorum millium frequentiam, & ecclesiam primitiuorum qui conscripti sunt in caelis, & iudicem omnium deum, & spirituum iustorum perfectorum, & testamenti noui mediatorem Iesum, & sanguinis asperfusionem melius loquentem quàm Abel. Videre ne recusetis loquentem. Si enim illi non effugerunt, reculantes eum qui de terra loquebatur, multo magis nos qui de celo loquentem nobis auertimus, cuius vox mouit terram tunc, nūc autē repro-mittit, dicens *Aggei. 2.* Adhuc semel, & ego mouebo non solum terram, sed & cælum. Deum, vt est, nemo mortaliū quamlibet magnus, vidit vnquam. *Ioan. 5.* Neque vocem eius vnquam audistis, neque speciem eius vidistis. quare nec *Moyſes*, nec aliquis sanctorū sic liquidam & manifestam nobis de illo narrationem dicere potuit, quemadmodum Christus, qui in sinu est patris. More humano loquitur, quo dulcem affectum, amorosissimamque patris & filij ac cœternam insinuet vnionem. *Ioannis. 17.* Pater, manifestaui nomē tuum hominibus, quos dedisti mihi. *1. Ioannis. 5.* Et scimus quoniam filius dei venit, & dedit nobis sensum, vt cognoscamus deum verum, & simus in vero filio eius. Hoc insuperabiliter roborat fidē nostram, quod ab vnigenito sumus edocti. *Ioan. 3.* Amen, amen dico tibi, quia quod scimus loquimur, & quod vidimus testamur.

Et hoc est testimonium Ioannis, quando miserunt Iudei Ioan. 1. ab Hierosolymis sacerdotes & Leuitas ad eum, ut interrogaret eum: Tu quis es? Et confessus est, & non negauit: & confessus est, Quia non sum ego Christus. Et interrogauerunt eum: Quid ergo? Heliās es tu? Et dixit: Non. Prophetā es tu. Et respondit: Non.

Quam sollicitè nos gratiæ præparare debeamus, quæ

firmum & immobilem in bono reddit hominem, ostenditur. Heb. 13. Optimum est gratia stabilire cor. Quæ ergo famosa tunc de Christi aduentu esset opinio; nedum apud Iudeos, sed & Samaritanos, ut claret, Ioan. 4. Scio quia Messias (ait mulier ad Christum) venit, qui dicitur Christus. Cum ergo venerit ille, nobis nuntiabit omnia, tum ex oraculis prophetarum, tum Ioannis testimonio. plurimi Ioannem esse ipsum Christum autumabāt. Luc. 3. Existimate autem populo, & cogitantibus omnibus in cordibus suis de Ioanne, ne forte ipse esset Christus. videbant ablatum regnum, & in alienigenas transfatum. Gen. 49. Non auferetur sceptrum de Iuda, nec dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium. Videbant Ioannis nouitatem in prædicatione & baptismatione, cuius prænouerant singularem conceptionem & natiuitatem, Luc. 1. simul vitæ austeritatem, & de sacerdotali stirpe natum. hinc summum hunc sibi honorem offerebant per solennes nuncios, è ciuitate regia, ut persuaderent per adulationem, ut se confiteretur Christum, ac ipsi tanquam promotores huius dignitatis inde commodum sentirent. sed secus euenit. Vnde Ioan. 5. Vos misistis ad Ioannem, & testimonium perhibuit veritati. Ille erat lucerna ardens & lucens, vos autem voluistis ad horam exultare in luce eius. Non ergo honori Ioannis, sed suæ auaritiæ consulere satagebant, quia testimonio ipsius de ipso credere noluerunt. O quot habent imitatores, eo animo proximis adulant. Prouer. 11. Simulator ore decipit amicum suum. Hic. 9. Sagitta vulnerans lingua eorum, dolum locuta est. In ore suo pacem cum amico suo loquitur, & occulte ponit ei insidias. Miserunt ergo viros autoritate præditos, sacerdotes & leuitas, ut præsentem multitudinem percontarentur eum. Ipsorum enim erat, scire de Christi conditione ex lege & prophetis. Mala. 2. Labia sacerdotis custodiunt scientiam, & legem exquirunt de ore eius. Hinc dominus ipsis improperat. Luc. 12. Hypocritæ, faciem cæli & terræ nostris probare, hoc autem tempus quomodo non probatis? Non autem quæsierunt de nominis qualitate, vel generis claritate, quæ nouerāt, sed officij dignitate, quia baptizabat. Verum secus quam volebant euenit.

nam inueniunt eum quem pro fidei habebant, præclara testari de Christo, & non sibi ipsi honorem arrogare, sed falsam de se suspicionem, quæ poterat Christi gloriæ offere apud plebem, repulit: ac forti animo contempta falsi nominis gloria, confessus est se non esse Messiam, significans hoc cognominis alteri potiori deberi, qui tamem illorum opinione contemptior erat. Non enim erat arundine uento agitata, Mat. 11. Gregorius: Cum tantæ virtutis esset, ut credi Christus potuisset, elegit solide subsistere in se, ne humana opinione raperetur inaniter supra se. Audito hoc pergunt querere. Nā ob vitæ austeritatem, iustitiæ firmitatē, & promissionem prophetalem, Helias à multis credebatur, de quo dicitur Mala. 4. Ecce ego mittam vobis Heliam, antequam veniat dies domini Magnus & horribilis: & conuerteret cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres. Sed in hoc errabant, quia non de primo, sed secundo Christi intelligitur aduentu. Negat ergo se illum esse Heliam, quinquā in spiritu Helias præcursor esset Christi. Luc. 1. Ipse præcedet ante illum in spiritu & virtute Helias. Hinc dominus discipulis querentibus, Marth. 17. Quid ergo scribæ dicunt, quod Helias oporteat primū venire? respondit: Helias quidem uenturus est, & restituet omnia. Dico autem vobis, quia Helias iam venit, & non cognouerunt eum, sed fecerunt in eum quæcunque voluerunt. Tunc intellexerunt discipuli, quia de Ioanne baptista dixisset eis. vnde Mat. 11. loquens de Ioanne, ait: Si vultis recipere, ipse est Helias. Non ergo in persona, sed officio Helias erat & spiritu. Pergunt ulterius querere, an sit propheta ille quem Moyses venturum prænucciavit, Deut. 18. Prophetam de gente tua & de fratribus sicut me, suscitabit tibi dominus deus tuus, ipsum audies. Hunc se esse negauit, quanquam esset propheta. Luc. 1. Et tu puer propheta altissimi vocaberis, Et populus omnis Ioannem sicut prophetam habebat, Mat. 21. Imo erat plus quam propheta, Mat. 11. Sed non ille propheta.

Dixerunt ergo ei: Quis es, ut responsum deus his qui miserunt nos? Quid dicis de teipso? Ait: Ego vox clamantis in deserto, dirigite uiam domini, sicut dixit Esaias propheta.

Iam verò cum illos defecisset percontandì materia, esump-
tis hominum de Ioanne suspicionibus, vrgent vt ip-
se de se profiteatur quisnam sit: & ne diutius tergiuer-
setur, vrgent autoritate sacerdotum, quo vel metu pote-
statis fareretur quis esset, friuolum autumantes redire ad
summos plebis sine responsione. Hic Ioannes quoniam
legisperitis loquebatur, ne sibi videretur in hoc ipsum
quod erat, humana temeritate arrogare, ex ipsa Esa. 40.
prophetia pharisæis non ignota respondet: simul docens
& se nihil aliud esse quàm Christi præcursores, & ià ip-
sum dominum adesse, quem oporteret purgatis oculis sus-
cipere. Gregorius: Sicut vox præcedit verbum vt audia-
tur, sic Ioannes Christum vt cognosceretur. Ioannis. 1.
Hic venit in testimonium, vt testimonium perhiberet de
Iumine. Seruus, inquit, sum. vias preparo. videtis desertum,
auditis vocem. quod superest, vos abieciis mundi cupidi-
tibus, præparate obliquos & dolosos animos vestros
in illius aduentum, vt vobis saluifera adueniat. Moyses vo-
bis illum adumbravit, propheta olim venturum vaticin-
nati sunt, ego vobis iam aduenientem ostendo. Gregorius.
via domini ad cor dirigitur, cum veritatis sermo humi-
liter auditur, cum ad præceptum vita præparatur. Vn-
de Ioan. 14. Si quis diligit me, sermonem meum seruabit:
& pater meus diligit eum, & ad eum veniemus, & man-
sionem apud eum faciemus. Quisquis ergo in superbia
mentè cleuat, quisquis avaritiæ æstibus anhelat, quisquis
luxuriæ inquisitionibus se polluit, cordis ostium contra
veritatem claudit: & ne ad se dominus veniat, claustra a-
nimi feris vitiorum damnat. Iob. 21. Qui dicunt deo, recede
à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus. Prou. 2.
Qui relinquunt iter rectum, & ambulant per vias tene-
brosas. Et vere. Prou. 4. Via peccatorum tenebrosa, ne-
sciunt enim quò corruunt. Nam & ad æternas perducit
tenebras. Prouer. 12. Iter deuium ducit ad mortem. Quo
contra via domini ingredientibus videtur tædiosa. Mat.
7. Arcta via quæ ducit ad vitam. Durum luxurioso, conti-
nere: auaro, largiri: inuidio, diligere: & supra omnia, quàm
maxime seipsum negare. Sed progredientibus redditur
plana. Prou. 4. Ducam te per semitas æquitatis, quas cum
ingressus fueris, non arctabuntur gressus tui, & currens

non habebis offendiculum. P. sal. 118. Viam mandatorum
tuorum cucurri, cū dilatasti cor meum. Egredientibus iu-
euda. Esa. 55. In lætitia egrediemini, & in pace deducemi-
ni. Sap. 10. Reddidit deus mercedem laborum sanctorum
suorum, & deduxit illos in via mirabili. An non mirabi-
le, vbi per stectum itur ad gaudium? Beati qui lugent, quo-
niam ipsi consolabuntur, Mat. 5. per paupertatem ad re-
gnum. Beati pauperes, quia vestrum est regnum dei, Luc.
6. Per humilitatem ad gloriam. Luc. 14. Qui se humiliat,
exaltabitur. Hinc. 1. Regum. 7. ait Samuel: Præparate cor-
da vestra domino.

*Et qui missi fuerant, erant ex pharisæis. Et interrogau-
erunt eum, & dixerunt ei: Quid ergo baptizas, si tu nõ
es Christus, neque Helias, neque propheta? Respondit eis
Ioannes: Ego baptizo in aqua, medius autem uestrum
stetit quem uos nescitis. Ipse est qui post me uenturus est,
qui ante me factus est, cuius ego nõ sum dignus, ut sol-
uam eius corrigiam calceamenti. Hæc in Bethania facta
sunt trans Iordanem, ubi erat Ioannes baptizans.*

Videntes non sibi ad votum rem successisse, quod a-
dulatione non quibant, minis tentant perficere. nam hi-
tū tēporis peritia legis, opinione sanctorum & autho-
ritate præcellebant cæteris. Notant ergo eum de præsum-
ptione & temeritate, quod sine autoritate talia præ-
sumpserit, quum tamen Ioannes sine autoritate age-
re se ostenderit minime, quod aduertere noluerunt. No-
uerunt in aduentum Messie baptismum dandum, iuxta
Ezech. 16. Effundum super vos aquam mundam, & mun-
damini ab omnibus inquinamentis uestris. quod figu-
ratum fuit per transitum maris rubri. 1. Cor. 10. & Ior-
danis. Sed in hoc errabant, quòd Christum alium exi-
stimabant à propheta illo de quo loquutus fuit Moyses.
quia vna & eadem est persona. Hinc in Græco cum ar-
ticulo ponitur, Ille propheta, scilicet insignis, Messias. Ad
uerbè Ioannis humilitatem & mansuetudinem, qui non
dura respondet pro duris. vide & veritatem, quia liber-
rimus testis gloriæ Christi, neque enim domini gloriam
occultabat, vt sibi nobilitatem pararet, sed confitebatur

imperfectionem sui baptismi, & Christi perfectionem. Meus, inquit, baptismus talis est, qualis & mea predicatio. Nam sicut mea predicatio perfecta non est, sed tantum pręparat animos euangelicę philosophię, sic baptismus meus, qui tantum aqua constat, non abluit sordes mentium, sed imagine quadam veri baptismi pręparat rudes, vt superioris vitę poenitentia pręparati, capaces sint illius baptismi, quo Messias per spiritum suum semel abluit sordes omnes omnium, qui crediderint illius doctrinę cęlesti. Ambro. Vsum instituo baptizandi, donec veniat qui animā abluat per spiritum suum, Observa hic, quod baptismus Ioannis conueniebat cum Christi baptismate in materia, quia vtrūque in aqua: sed differbat primò in forma, quia Christi dabatur in nomine patris & filij & spiritus sancti, Mat. 28. quanquam in primitiua ecclesię initio, ob nominis Christi diuulgationem daretur in nomine Christi Iesu, Act. 2. Ioannis autem, in nomine venturi. Act. 19. Ioannes baptizauit baptismo poenitentię populum, dicens in eum qui venturus esset post ipsum, vt crederent, hoc est, in Iesum. Secundò, in effectu: quia gratia non conferebat, nec peccata laxabat. Gregorius: Ioannes non spiritu, sed aqua baptizat: quia peccata soluere non valens, baptizatorum corpora lauat, sed tamen mentem per veniam non sanat. Et sicut nascendo nasciturum dominum pręuenerat, ita baptizaturum dominum, baptizando pręuenit. Hunc & in medio hominum stetitisse asserit, & nesciri, quia per carnem dominus apparens, & visibilis extitit corpore, & inuisibilis maiestate, stetit medius tanquam vnus de populo, sed vt mediator dei & hominum, primę ad Timotheum. 2. Iudæorum & gentium. Ephesior. 2. Ipse est de quo dixeram quod post venit, sicut rex post nuncium, sicut verbum post sonum, qui que hominum opinione me posterior, dignitate tamē anteuertisset. Cuius dignitati adeo non sum æquandus, vt ipse me iudicem indignum, qui apud illum infimi mancipij fungar officio. tantum abest vt ipsius nomen mihi vsurpem. Mirabantur omnes Ioannem, multos ille vndique discipulos colligebat, magna hominum turba ad baptismum confluebat, Christus vero illo pręstantior ignorabatur: latebat ipsum deum esse;

*Differentia
baptismi
Ioannis &
Christi.*

quare multo posterior ac minor Ioanne videbatur. Maiorem enim & gloriam & honorem ab hominibus Ioannes, quam Christus habebat. Sic post veniens, prior factus est, maior atque pręstantior in dies reputatus. Ab operibus enim ipsis deus esse tenebatur, cum Ioannes hominis vires & terminos non excedens, in posterioribus relictus sit. Id Paulus declarat Roma. 1. dicens: Qui prędestinatus est filius dei in virtute, secundum spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum Iesu Christi domini nostri. Gregorius: Si sancti viri cum fortia agunt, de se vilia sentiunt, quid in sua excusatione dicuntur, qui sine opere virtutis intumescunt? Sed & si quęlibet bona assint opera, nulla sunt nisi humilitate condiantur. Miranda enim actio cum elatione non cleuat, sed grauat. Qui enim sine humilitate virtutes congregat, quasi in ventum puluerem portat: & vnde aliquid tenere cernitur, inde grauius excæcatur. In cunctis ergo quę agimus, radicem necesse est boni operis, humilitatem teneamus. Tam magnificum, tamque plenum testimonium Ioannes perhibuit de Christo, ipsis Pharisęis, sacerdotibus, & Levitis, teste copiosa populi multitudine, idque in loco solemnı Bethabara.

Altera die vidit Ioannes Iesum venientem ad se, & Ioan. 1. ait: Ecce agnus dei, ecce qui tollit peccata mundi. D

Ostendit Ioannem non proprio motu, sed patris & sancti spiritus autoritate & indicio, Christo testimoniū perhibuisse, ideo ipsi credendum. Quum enim iam è populo multi studiose quærerent, quisnam esset ille tantus, cuius dignitati tantum cederet Ioannes, omnium iudicio vir summus habitus, adiit Ioannem. Is admonitus spiritu quid esset agendum, conspicatus Iesum venientem ad se, versatus ad populum, digito demonstrat illis Iesum, vt iam de facie quoque notum mirari atque amare consueverent, & illum potius quam se sequeretur, illius ambirent baptismum potius quam suum. Venerat prius ad baptismum, sicut vnus è populo, sed mox spiritu in desertum expulsus, Mar. 1. nunc autē venit manifestandus super omnem populum, per Ioannem. Mala. 3. Ecce ego mitto angelum meum, & pręparabit viam ante faciem

meam. Videns ergo Ioannes tam humiliter venientem, ait: Hic est parissimus ille agnus: quem deus iuxta vaticinium Esa. r. sibi gratissimam victimam destinavit, ad expianda peccata totius mundi, omnium vitiolorum genere inquinati. Vere agnus, non natura, sed proprietate similitudinis. Primo, Innocentia. Esa. 53. Eo quod iniquitatem non fecerit, neque dolus fuerit in ore eius. Secundo, mansuetudinis. Hier. 11. Ego quasi agnus mansuetus qui portatur ad victimam. Esa. 53. Sicut ovis ad occisionem ducitur, & quasi agnus coram tondeute se obmutescit, & non aperiet os suum. Tertio, Figura. Sicut enim filij Israel sanguine agni à percussione angeli sunt liberati, sic nos à peccatis. Exod. 12. Ezech. 9. Habentes signum Thau in frontibus, percussi non sunt ab angelo; ceteris extinctis. Tollit autem peccata, effectiue, in quantum deus. Luc. 5. Quis potest peccata dimittere, nisi solus deus? Job. 14. Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? nonne tu qui solus es? Meritorie verò, in quantum homo: quia pro nobis satisfaciens, gratiam nobis meruit qua iustificamur. 1. Corint. 1. Qui factus est nobis: sapientia & iustitia & sanctificatio & redemptio. Esa. 53. Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra, disciplina pacis nostræ super eum, cuius liuore sanati sumus. Propter scelus populi mei percussit eum, & ipse peccata multorum tulit. 1. Pet. 2. Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, vt peccatis mortui, iustitiæ viuamus, cuius liuore sanati sumus. Obserua quod ait, qui tollit, quia quotidie tollit peccata nostra: & aliorum quidem per baptismum, aliorum autem per poenitentiam. Mat. 1. Vocabis nomē eius Iesum, ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorū. Abstulit ergo peccata, sed oportet vt meritum ipsius per sacramenta fidei hominibus applicetur. Ioā. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non potest introire in regnum dei. Nemo nunc ob multitudinem, magnitudinēq; peccatorum desperet, vt Cain. Gen. 4. Maior, inquit, est iniquitas mea quam vt veniam merear. Nemo vt Adam à facie domini fugiat, Gen. 3. Domine, audiuī vocem tuam. & timui. Ecce agnus, ecce mansuetus. Luc. 19. venit filius hominis

*Christus
quomodo
cur
agnus.*

*Quib⁹
quam di-
uersis me-
dijs pecca-
ta tollat
Christus.*

minis querere & saluum facere quod perierat. Hinc ait Matt. 11. Venite ad me oēs, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiā vos. Dicamus ergo illud Psal. 56. Miserere mei deus, miserere mei, quoniā in te cōdidit anima mea: & in vmbra alarū tuarū sperabo, donec trāseat iniquitas. Qui enim nunc contemnunt mansuetum, in iudicio videbunt & horrebunt iratum, dicentes illud Apocal. 5. Dicent montibus & petris, cadite super nos: & abscondite nos à facie sedētis super thronum, & ab ira agni, quoniā venit dies manus iræ ipsorum, & quis poterit stare? Habet hic agnus & alios agnos pacendos, Io. 21. sed quibus tollantur peccata. non qui tollant.

Hic est de quo dixi: Post me venit vir, qui ante me factus est, quia prior me erat, & ego nesciebam eum. Sed ut manifestaretur in Israel, propterea ego veni in aqua baptizans.

Testatus fuit in eius absentia, nunc in præsentia. Post me venit vir, ætate & officio, quia omnis animæ & ecclesie sponsus. 2. Corintio. 11. Aemulor vos dei æmulatione: respondi enim vos vni viro virginem castam exhibere Christo, cuius ego pronubus & nuncius. Zac. 6. Ecce vir, oriens nomen illi. Post me venit in manifestum, ad prædicandum & baptizandum: sed mihi dignitate prælatas, quia prior me deitate, quanquam posterior humanitate. Heb. 13. Christus Iesus heri & hodie, ipse & in secula. Ego ignorabam quis esset facie. Nā à pueritia in desertis fuit. Lucæ. 1. Puer autem crescebat, & confortabatur spiritu, & erat in desertis, vsque in diem ostensionis suæ ad Israel. Nouerat eum venisse, ad cuius præsentiam adhuc in vtero matris exultauit in gaudio, Lucæ primo, sed quo ad determinatam personam, non nouit, nisi reuelatione diuina. Chrysostrum. Ostendit ergo testimonium suum insuspicabile, monstrans illud non humanæ amicitie esse, sed reuelationis diuinæ. Pandit iraque rationem sui baptismi. Nec in aliud iussu dei missus sum, nisi vt prædicarem poenitentiam superiorum delictorum, annuntiarem in stare regnum celorum, & aqua vos tingere, vt ille veniens, vestris animis iam rudimentis humani scemodi præparatis facilius innotesceret, posteaquam

mihī quoque certis indicis esset à patre demonstratus. Vbiq̄ue in suo baptismo aquæ tantum meminit, vin̄ ablucendi peccata Christo relinquēs. Luc. 3. Ego quidem aqua baptizo vos, veniet autē fortior me, cuius non sum dignus soluere corrigiam calceamentorū eius. Ipse vos baptizabit in spiritu sancto & igni.

3 Et testimonium perhibuit Ioannes, dicens: *Quia vidi spiritum descendentem quasi columbam de celo, & mansit super eum.* Et ego nesciebā eum, sed qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: *Super quem uideris spiritum descendentem & manentem super eū, hic est qui baptizat in spiritu sancto.* Et ego vidi, & testimonium perhibui, quia hic est filius dei.

Chryf. Ut authores omnes merito in stuporē conuertat, quōd peccata mūdi tollat, volens hoc credibilis facere, in deum patrem & spiritum sanctum hoc reduxit. Non igitur ex habitu corporis, nec humana coniectura certum quīvis cognoscere, quōd is esset vnicus filius dei, & agnus ille purissimus, per fidem aboliturus omnia peccata mundi, sed ex insigni symbolo cælitus didici hunc esse, cui ego præcurfor essem datus. Mar. 1. Venit Iesus à Nazareth Galilææ, & baptizatus est à Ioanne in Iordane. Et statim ascendens de aqua, vidit cælos apertos, & spiritum tanquam columbam descendentem, & manentem in ipso. Esa. 11. Et requiescet super eum spiritus domini. Non sic manet in aliis sanctis, quin per peccatum expelli possit. Nec purandum, quōd in descensu colūbæ noua sit gratia aliqua infusa, vel aucta in anima Christi, qui ab instanti conceptionis plenus fuit simpliciter omni gratia, sed ipse descensus & mansio perfectionē & efficaciam gratiæ Christi signant. Dū autē creatura subiecta apparet in persona dei eum repræsentans, vel in eius persona loquens vel operans, hoc quandoque deo ascribitur. Sic deus dicitur ore ad os locutus cum Moyses, Nu. 12. quum factum sit per angelum in persona dei. Act. 7. Hic est qui fuit in ecclesia in similitudine cum angelo, qui loquebatur in monte Sina. Spiritus autem sanctus, cui bonitas appropriatur, in colūbæ specie appa-

ruit, quæ felle caret, animal simplex & innocens: quo insinuantur, neminem posse eius donis impleri, nisi colūbinam studuerit simplicitatem imitari. Matth. 10. Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut colūbæ. Pro. 10. Qui ambulat simpliciter, ambulat cōfidenter. Ante id tempus non certō noueram eum, cuius essem præcurfor: occultabat enim cælestem illius dignitatem, corporis humilitas. Sed qui misit me. Ioan. 1. Fuit homo missus à deo. Luc. 3. Factum est verbum domini super Ioannem Zachariæ filium in deserto, & venit in omnem regionem Iordanis, prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum. Roma. 10. Quomodo prædicabunt nisi mittantur? Baptizare in aqua. Actu. 1. Ioannes quidem baptizauit aqua. Hic in spiritu sancto baptizat, intus animam à vitis purgando, per infusam spiritus sancti gratia. Nam baptizandi potestatem in alium non transfert, sed ministerium: quia homo tingit aqua, solus ille cælesti virtute, sublatis peccatis, confert iustitiam. Ego vidi, inquit. Ioannis tertio. Quod vidimus, testamur. Quia hic est filius dei. Ergo & saluare potest. Ioā. 3. Pater enim diligit filium; & omnia dedit in manu eius. qui credit in filium, habet vitam æternam: qui autem incredulus est filio, non videbit vitam, sed ira dei manet super eum.

Alterā die iterum stabat Ioannes, & ex discipulis eius duo, & respiciens Iesum ambulantem, dixit: *Ecce agnus dei.* Et audierunt eum duo discipuli loquentem, & secuti sunt eum. Conuersus autem Iesus, & uidens eos sequentes se, dixit eis: *Quid queritis? Qui dixerunt: Rabbi, quod dicitur interpretatum magister, ubi habitas? Dicit eis. Venite & uidete. Venerunt & uiderunt ubi maneret, & apud eum manserunt di. illo.*

Quam ordinata, efficax, & intima penetrans, diuina sit sapientia, ostendit. Hinc dominus, suscepto baptismo, & expleto ieiunio, aliquoties venit ad baptismum, quōd frequentius Ioannes de ipso testaretur ad instructionem electorum, & iustam condemnationem obstinatorum. Non sat habuit Ioannes populi studium à se diuertit:

Ioan. 1.
E

se in Christum, suos etiam discipulos quos habebat peculiari-
 a se alienatos, Christo studet tradere. Ecce inquit, ille est agnus dei, de quo toties iam testificatus sum, qui solus tollit peccata omnia mundi. Quisquis verum & efficacem baptismum desiderat, quisquis amat veram innocentiam, quisquis veram & perfectam salutem desiderat, huius magisterio se tradat oportet. Discipuli ergo crebris testimonii demulsi, secuti sunt Iesum, non quidem contemnentes Ioannem, sed magis obedientes ei, testanti de Christo meliora. Sequebantur autem taciti, flagrantibus amore sublimioris doctrinae, sed interpellare non audent eum, qui cum nulla intercesserat familiaritas. Iesus igitur non ignarus quo animo sequerentur, ut declararet quam esset obuius, iis, qui synceris animis euangelicam sitiunt doctrinam, non expectata interpellatione, vltro subleuat & inuitat illorum verecundiam, fidutiam tribuens colloquendi. Similimodo, si coeperimus dominum quaerere, conuertet ad nos vultum, adiuuans & consolans infirmitatem nostram. Psal. 33. Accedite ad eum, & illuminamini, & facies vestrae non confundentur. Esa. 54. Occurristi latanti & facienti iustitiam. Psal. 104. Leretur cor quaerentium dominum. Quaerite dominum & confirmamini, quaerite faciem eius semper. Volentes ergo seorsum aliquid ab eo discere, interrogant ubi maneat. In quiete enim commodius, & dicitur & auditur. Sentiens dominus illorum desiderio ardenti moram omnem fore molestam, ait: Venite & videte. Orig. Venite bene agendo, & de virtute in virtutem proficiendo, & videte deum deorum in Sion. Psal. 83. Ibunt de virtute in virtutem, vnde debetur deus deorum in Sion.

2 Hora autem erat quasi decima. Erat autem Andreas frater Simonis Petri, unus e duobus qui audierant a Ioanne, & secuti fuerant eum. Inuenit hic primum fratrem suum Simonem, & dicit ei: Inuenimus Messiam, quo desit interpretatum Christus, & adduxit eum ad Iesum. Intuitus autem eum Iesus, dixit: Tu es Simon filius Ioanna, tu uocaberis Cephias, quod interpretatur Petrus.

Andreas tanta felicitate gestiens, quod ex iudicio Ioannis sed multo magis ex domestico Iesu colloquio certum conperisset, illum esse agnum illum caelestem, qui solus tolleret peccata mundi, illum esse filium dei, reconciliatorem vnicum humani generis, illum esse Christum a prophetis promissum, & tot iam seculis expectatum. Simonem fratrem suum carnalem, quem non carnaliter amabat, huius gratiae participem facere contendit, tantum ostendens thesaurum. Inuenimus, inquit, Christum. Vinctus fuit Christus oleo laetitiae praecipibus suis. Psal. 44. Esa. 61. Spiritus domini super me, eo quod vnxit me. Erat enim rex regum, Apo. 19. & sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech, Psal. 109. Heb. 7. Simoletus tam optabili nuncio, nec audisse contentus, gessit & ipse videre Iesum. Andreas Iesu comitatem expertus ac benignitate, illico adducit ad Iesum, quod plenius instrueretur ab illo. Iesus intuitus illum, non solum faciem hominis contemplatus, in qua tamen relucebat pectoris sinceritas, sed animum potius columbina simplicitate praeditum, & ob hanc aptum euangelicae gratiae, delectatus illius sincero affectu, simul & patris nomen indicat, iam tum declarens sibi nihil occultum esse, simulque piam animi simplicitatem collaudat ex paterni nominis argumento, & ex commutati nominis anigmate, praedicit olim in eo futuram inuictae fidei firmitatem. Prophetando se manifestat, quod propheta plurimum hominibus persuadeat. Fuit enim Petrus verae filius gratiae saluatoris. Sic & nominis variatio, status variationem & gratiae proprietatem designat, quo se ostendit illum, qui olim nomina patrum mutarat, Abrahā & Sarai, Gen. 17. Nec vltra vocabitur nomen tuum Abrahā sed appellaberis Abrahā, quia patrem multarum gentium constitui te. Sarai uxorem tuam, non vocabis Sarai, sed Saram. Cephias, secundum Hieronymum, Syrum est, & Graece sonat Petrum, latinè saxum, hoc est, solidum, quia non facile moueatur. Hoc erat primum rudimentum ecclesiae Christi, hoc euangelicae scholae primordiū. Quod autem fratrem frater attraxerat ad Iesum, felix erat ecclesiae nascentis auspiciū, quae constat fraterna charitate, concordiaque mutua. Ioan. 13. In hoc cognoscent omnes

Nominis Variatio.

Cephas quid sonet.

nes, quia discipuli mei estis, si dilectionē habueritis ad inuicem. Hinc idem. 1. Pet. 4. Ante omnia autem mutuā in vobismetipsis charitatem continuam habentes, quia charitas operit multitudinē peccatorum.

In crastinum uoluit exire in Galileam, & inuenit Philippum, & dixit illi Iesus: Sequere me. Erat autem Philippus a Bethsaida ciuitate Andreae & Petri. Inuenit Philippus Nathanael, & dixit ei: Quem scripsit Moyses in lege & prophetae, inuenimus Iesum filium Ioseph & Nazareth. Et dixit ei Nathanael. A Nazareth potest aliquid boni esse? Dixit ei Philippus: Veni & uide. Vide Iesus Nathanael uenientem ad se, & dixit de eo: Ecce uere Israelita, in quo dolus non est. Dicit ei Nathanael: Vnde me nosti? Respondit Iesus & dixit ei: Priusquam Philippus te uocaret, cum esses sub ficu, uidi te. Respondit ei Nathanael & ait: Rabbi, tu es filius dei, tu es rex Israel. Respondit Iesus & dixit ei: Quia dixi tibi, uidi te sub ficu, credis: maius his uidebis. Et dixit ei: Amen amen dico uobis, uidebitis caelum apertum, & angelos dei ascendentes & descendentes super filium hominis.

Non simpliciter vox domini dicebatur: efficax enim erat, & dignos statim flagrare faciebat intrinsecus ad amandū ipsum, sicut Cleophas ait. Luc. 24. Nonne cor nostrum ardēs erat in nobis, cum loqueretur in uia? Neque Philippus apud se bonum hoc retinuit, sed communicat Nathanaeli: & quia legisperitus erat, ad legē & prophetas ipsum mitit. Deut. 18. Prophetam de gente tua & de fratribus tuis suscitabit, sicut me, tibi dominus deus tuus, ipsum audies. Act. 3. Omnes prophetae a Samuel & deinceps qui locuti sunt, annūtiauerūt dies istos. Nathanael audiens, fauet quidem latissimo nuntio, sed offenditur scrupulo, quem illi tacitē mouebat propheta, quae pallā promittit. Christum exoriturum ē Bethleem: cupiensque certius edoceri, dicit Philippo: Num a Nazareth potest aliquid boni exoriri, cuius non meminerunt prophetae?

Hunc modum, quum ipse Philippus rudis adhuc & praeter simplicem fidem nihil habens, explicare non posset, inuitat eum ad fontem ipsum, non dubitans quin uiso & audito Iesu, statim sit crediturus, nec discessurus. Si dubitatus, inquit, mihi credere uent ipse & uide. Iesus autem praecuiens, ait: Ecce uerē Israelita, patrem Iacob imitando, deum fideliter contemplando, mysteria Christi sapiēter intelligendo, & conuersationem uirtuosam ducēdo. De talibus ait Apóstolus Gala. 6. Pax super Israel dei. Est enim Israel, non dei, sed carnis. Ro. nono. Non enim omnes qui ex circumcisione sunt Israel, hi sunt Israelitae. Summa laus: nam de Christo testatur Esa. 53, quod dolus non sit inuentus in ore eius. Huic Christus testimonium perhibet. Non ergo fuit in eo fraus, simulatio, circumuentio, sicut in scribis & pharisaeis Nouerat quoniam simulatores & callidi prouocant iram dei, Iob. 36. Quia fraudulenti, uasa pessima, Esa. 32. Hinc Mala. 1. Maledictus dolosus. Psalm. 54. Viri sanguinum & dolosi non dimidiabunt dies suos. Nathanael uerō laudibus nō remissior factus, yrget, euidentiū quiddam discere uolēs. Iesus autē manifestius etiā declarans se non latere quantumuis occultas hominum cogitationes, ait: Priusquam & caetera. Nathanael uerō cui persuasum erat soli deo perspicua cordiū secreta. 1. Reg. 16. Homo uidet ea que patent, deus autē intuetur cor. & homine maius esse qđ audiret, nihil iam offensus scrupulo de loci natalis uocabulo, plena fide testimoniū reddidit Christo: Rabbi, inquis, tu es ille fili⁹ dei, per quē pater decreuit liberare populū suum tu es ille rex Israel, prophetarū uaticiniis olim promissus, Esa. 33. Domin⁹ iudex noster, dominus legis noster, dominus rex noster, ipse saluabit nos. At domin⁹ cōfirmans fidē ipsius, ad altiora sustollit. uidebis, inquit, olim quidē tiora signa his duob⁹, ex quib⁹ crescet tua de me opinio. Nā etsi discipuli ueluti per somniū, admirabantur quiddā in Christo homine maius: tamen nondum ad plenū credebant in eo plenitudinē esse diuinitatis: hinc inducit eos ad cognoscendū quiddam dignum sua deitate. Quāquā enim angeli administratorij sint spiritus, missi in ministerium propter eos qui hereditatē capiūt salutis, Heb. 1. Christo tamen non sic famulabantur, sed ut domino

PARS SECVMDA:
DE MVTATIONE
aque in vinum, Ioannis secundo.

ARTICVLVS III.

Ioan. 2.

ET die tertia nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ, & erat mater Iesu ibi. Vocatus est autem Iesus & discipuli eius ad nuptias. Et deficiente uino dicit mater Iesu ad eum: Vinum non habent. Dicit ei Iesus: Quid mihi & tibi est mulier? nondum uenit hora mea. Dicit matre eius ministris: Quodcumque dixerit uobis, facite.

Christus ad nuptias cur uenerit. Tatiani & Martiani hæreses.

Ostendit dominum nunquam piis suorum deesse uotis, quin opportuno in tempore omnem subleuet defectum. Neque enim diu commoratus est post in Galilæa, quin edito miraculo inciperet declarare non fuisse uanum Ioanis de se testimonium. Est autem Cana, ut dicit Hieronymus, in tribu Aser, uide Nathanael. & est oppidum nunc in Galilæa gentium. Verisimile est autem, sabbatis nuptiarum conuiuia celebrari solita non fuisse propter apparatus, sed quauis alia dierum sequentium sabbatum: quare non inconuenienter tertia die post sabbatum, hæ nuptiæ celebratæ uidentur. Ad has nuptias ob affinitatem Vocata fuerat mater Iesu, atque hac occasione uocatus est & ipse Iesus. Exprimuntur hi soli, quia solum ob id mentio fit illorum: quia miraculum per matris interpellationem factum uirtuosa Iesu operatione, fuit in confirmationem discipulorum, qui iam cœperant ipsi adherere propter Ioannis testimonium. Qui ergo non est designatus ierui formam accipere, non dedignabatur ad seruorum nuptias venire, laudabilem consuetudinem non infringens, qua vicini & consanguinei conueniunt, Tob. 8. Secundo ad nuptiarum comprobationem, contra Tatianum & Martianum, qui dicebant nuptias malas & à diabolo inuentas. Quod elidens dominus, ait Matt. 19. Quos deus coniunxit. Tertio, ob miraculi operationem. Ioannis. 1. Opera quæ dedit mihi pater ut perficiam, ea ipsa opera

ARTICVLVS III.

21

quæ ego facio, testimonium perhibent de me, quia pater misit me. Quarto, ad sacramenti insinuationem Christi & ecclesiæ, cuius ipse sponsus. Ioan. 3. Qui habet sponsam, sponsus est. Ephe. 5. Sacramentum hoc magnū est: ego autem dico in Christo & in ecclesia. Venit enim, ut animam per multa annorum curricula cum aliis amatoribus fornicatam, sibi reconciliaret & coniungeret. Hieremias. 3. Tu autem fornicata es cum amatoribus multis: tamen reuertere ad me, dicit dominus, & ego suscipiam te. Sunt nuptiæ autem nuptiæ ad legitimam humani generis propagatio-nem. Legitima uero est, cum non voluptas uirū & mulierem coniungit, sed deus: quod fit, quum trahuntur desiderio uoluntatis dei, legisque diuinæ implendæ: posita ad suscipiendam prolem, quæ subinde deum agnoscat, legemque & uoluntatem eius custodiat. Hinc Genesis. 2. Non est bonum, hominem esse solum: faciamus ei adiutorium simile sibi. Obserua hoc loci, Primò matrimonij nobilitatem, quia à deo, & in loco mundi nobilissimo institutum. Beda: Quod dominus noster atque saluator ad nuptias uocatus non solum uenire, sed & ministraculum ibidem quo conuiuas lætificaret, facere dignatus est, exceptis celestium sacramentorum figuris, etiam iuxta literam fidem rectè credentium confirmat, & quāuis sit damnabilis nuptiis detrahentium perfidia, insinuat. Si enim in thoro immaculato & nuptiis debita castitate celebratis, culpa inesset, nequaquam dominus ad has uenisset, nequaquam eas initiis signorum consecrare uoluisset. Nunc autem quia bona est castitas coniugalis, melior continentia uidualis, optima perfectio uirginalis, ad cōprobandum omnium graduū electionem, discernendum rāmen singulorum meritum, ex intemerato Mariæ uirginis utero nasci dignatus est, à prophético Annæ uiduæ ore mox natus benedicitur, à nuptiarum celebratoribus iam iuuenis inuitatus, & hos suæ præsentia uirtutis honorat. Secundum, ordinabilitas. Fuit enim in initio institutum, ad prolis procreationem Genesis. 1. Creauit deus hominem ad imaginem & similitudinem suam, ad imaginem dei creauit illum, masculinum & fœminam creauit eos, benedixitque illis, & ait: Crescite & multiplicamini, & replete terram. Post lapsam uero, cum hoc in-

stitutum est in remedium. vnde immediatè erubuerunt se nudes, carne spiritui reluctantes. 1. Corinth. 7. Propter fornicationē vnusquisque vxorem suam habeat, & vnaquæque virum suum. Hinc cum reuerentia, & dei timore in eundem coniugia, Tob. 6. Hi nanque qui coniugium ita suscipiunt, vt deum à se & à sua mente excludant, & suæ libidini ita vacent, sicut equus & mulus quibus non est intellectus: habet dæmoniū potestatem super eos. Tu autem cum acceperis virginē, ingressus cubiculū, per tres dies continens esto ab ea: transacta autem tertia nocte, accipies virginem cum timore domini, amore filiorum ductus magis, quàm libidine, vt in semine Abrabæ benedictionē in filiis consequaris. Claret quod matrimonia incuntes libidinis vel cupiditatis, non prolis ad dei laudem educandæ causa, Iesum in suis nō habebūt nuptiis, & benedictione carebūt diuina. Qui verò cui timore dei contrahūt, in corpore, anima, & substantia benedictionem consequuntur. Psalm. 127. Beati omnes qui timent dominum, qui ambulant in viis eius. Labores manuum tuarum quia manducabis ad sufficientiam, non indigēs aliquo: beatus es, & bene tibi erit, in anima & corpore. Vxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ. Filij tua sicut nouellæ oliuarū in circuitu mensæ tuæ. Excresecēs in corpore & virtutibus. Tertium, puritas dilectionis. Ephesi. 5. viri diligite vxores vestras, sicut & Christus dilexit ecclesiam. Hinc de latere facta est, Gen. 2. quia in adiutorium viri, Gen. 1. Ephe. 5. Veruntamen vos singuli, vnusquisque vxorem suam sicut seipsum diligit, vxor autē timeat virum suum. Timeat, ait Gen. 3. Sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui. Eccl. 25. Mulier si primatum teneat, contraria est viro suo. Quartum, firmitas adhesionis. Genesis. 2. Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ. 1. Corin. 7. His autem qui matrimonio iuncti sunt, præcipio non ego, sed dominus, vxorem à viro non discedere: quòd si discesserit, manere in nuptam, aut viro suo reconciliari. Et vir Vxorem non dimittat. Mart. 19. Quòd deus coniunxit, homo non separet. Obserua quod ait, Quod deus coniunxit: Illegitima enim cōnubia deus non coniungit, sed caro & diabolus, super quibus & po-

restatem habet. Porro quum deficiente vino, pudore periclitaretur sponfus, quòd parum liberaliter apparasset nuptias, simulque metus esset ne conuiuium parum redederetur hilare, sollicitis hac de causa ministris, Maria mater Iesu cupiens huic in cōmodo incedi, quum ex multis argumentis non ignoraret virtutem filij, ex maxima pietate præuenire voluit rotalē vini defectum, proponit affectum, sciens absquē petitione aliqua sufficere necessitatem insinuare. Psalm. 37. Domine, ante te omne desiderium meum, & gemitus meus à te non est absconditus. Sic Lazari sorores denunciauerunt. Ioan. 11. Domine, ecce quem amas, infirmatur. Misericordiæ mater, quæ dicere potuit, quàm misericordiam optare? Iesus autem iam aggressurus cæleste negocium euangelij, cuius solum patrem auctorem esse voluit, non patitur vllam humanam auctoritatem admisceri. Non enim in hoc secebat miracula, vt suorum cognatorum assecibus seruiret, sed vt apud incredulam nationem signis corporalibus, spiritali doctrinæ fidem præstrueret. Itaque non abnegat matrem, sed ab huius negotij quòd gerendum erat, auctoritate declarat alienam. Est, inquit, mihi tempus præscriptum à patre, quando & quibus modis agere debeat negocium humanæ salutis, id nondum venit. Eccl. 8. Omni negotio tempus est, & opportunitas. Chrysostomus: Nōdum innotuit conuiuii defectus, qui enim defectum non agnosceit, nec beneficium gaudens suscipit. Pia ergo mater, filij verba intelligens non increpantis esse, sed opportunitatem expectantis, id procurabat, ne famulorum incredulitas, aut non paratum obsequium obstaret, quo minus conuiuii subueniretur. Admonet ergo vt faciant quæ iusserit. In hoc consistit totius iustitiæ perfectio, vt deo in omnibus subiiciamur. Si Exod. 14. Omnia quæ locutus est dominus, faciemus, & crimus obediētes.

Erāt autem ibi lapideæ hydris sex positæ secundum purificationem Iudæorum, capientes singule metretas binas uel ternas. Dixit eis Iesus: Implete hydris aqua, & impleuerunt eas usque ad summum. & dixit eis Iesus: Haurite nunc & forte architriclino. & tu:

lerunt. Vt autem gustauit architriclinus aquam uinum factum, & non sciebat unde esset, ministri autem sciebant qui hauserant aquam: uocat sponsum architriclinus, & dicit ei: Omnis homo primò uinum bonū ponit, & cum inebriati fuerint, tunc id quod aëterius est. Tu autem seruasti uinum bonum usque adhuc.

Secundū purificationem Iudæorum, qui crebrò lauant manus & reliqua domus uasa, Marci. 7. sex hydræ aquæ plenæ positæ erant. Nec fortuit hæc gerebantur, sed consulto Iesus differebat miraculū, quò magis innotesceret vini defectus, & necessitati, nō ostentationi datum videretur. Sic enim omnia miracula sua gessit dominus, vt nō ad laudē humanā affectata, sed subleuandis hominum malis impensa viderentur, ita temperatorum ordine, vt maiore certioreque fide geri non possent. Iam igitur expectantibus conuiujs, & ob vini inopiam sollicitis, Iesus tempus adesse sciens, quò suis innotesceret, ministris mādāt hydras impleant aqua. Nimirum & hoc faciebat ad miraculi fidē, quò eartum hydrarum solēnis esset vsus, nec alium liquorē accepissent vnquam præterquam aquæ. Hinc & de subiecta materia fecit miraculum, sicut & satiauit quinque millia virorum ex. 5. panibus, Mat. 14 & 4000. hominum ex. 7. panibus, ne magnitudo miraculi rem redderet incredibilem. Sed ne vidēretur accurrere ad miraculorum operationē propter ostētationem & vanam gloriam, tempus expectauit opportunum: & vt haberet plures miraculi testes, iussit hauriri & ferri architriclino, qui conuiuio ordinando præerat, vt dicit Beda: Architriclinus autē suspicans per errorem ministrorū factum, uocat sponsum, discrete cupiens quam occasione is error accidisset, dicens: Auaritiæ est, primò peiora præmittere in conuiujs: sed uerbanitatis, meliora in primis largiri. Tu contra uinum hoc, quo nullum adhuc generosius est, seruasti. Sic in actibus Christi fuit eminentia quædam, ita quòd terminabantur ad aliquid perfectius quam possit natura pducere: quare fuit uinum præualidum. Sic paralyticum sanauit, vt solleret lectum, Lucæ. 5. & Ioannis. 5. Deute. 32. Dei per-

fecta sunt opera, Nihil orasse legitur, aut aquam vel uasa contigisse, vt sola uoluntate aquam diuinā uirtute mutaram fuisse monstraret. Psalm. 134. Omnia quæcunq; uoluit dominus, fecit in cælo & in terra, in mari & in omnibus abyssis. Sapient. 12. Subest enim tibi, cum uolueris, posse.

Hoc fecit initium signorum Iesus in Cana Galilææ, & manifestauit gloriam suam, & crediderunt in eum discipuli eius.

Augustinus: Vinum deficit, vt mirabiliter uino de aqua factò, uirtus latentis deitatis appareat. Maior uirtus est in creatione & gubernatione cæli & terræ, & quòd quotidie aqua pluuię per vires in uinum uertitur, & quòd ex paruo seminario fruges oriuntur. Sed quia hæc naturaliter fiunt, iam ex vsu uiluerunt. Ideo quædam & si minora, præter solitū naturę cursum sibi deus seruauit, per quæ uirtus quæ in maioribus etiam operatur, ad memoriam reduceretur. Ex hoc enim discipuli fuerunt animati ad ipsum sequendum magis, quam antea ex uerbis Ioannis. Semper uinum defuit tam in lege, quam gentium populo, donec Christus in euangelicis nuptijs aquam in uinum mutauit. Sine Christo omnia insipida, & lex & prophetæ. Finis enim legis Christus, ad iustitiam omni credenti, Romano. 10. Si uino uolumus hic lætitiæ spirituales, & post gloriæ cælestis recreari, necessum est iussis ipsius, iuxta uerbum Virginis matris, obtemperemus. Ipse enim aquam tribulationis & laboris in uinum, quod lætificat cor hominis, Psalm. 103. conuertet quietis & iucunditatis. Has ergo Christi nuptias & ecclesiæ, quæ tūc vna in ciuitate figurabantur & nunc uniuerso celebrantur in mundo, tota diligamus mente. Osee. 2. Et sponsabo te mihi in sempiternum, & sponsabo te mihi in iustitia, & iudicio, & misericordia, & miserationibus, & sponsabo te mihi in fide, & scies quia ego dominus. Bernardus: O anima deuota, unde tibi tam ineffabilis gratia, vt eius sponsa esse merearis, in quem desiderant angeli prospicere? Prouerbior. octauo. Deliciæ meæ esse cum filiis hominum. Celebrantur hæc nuptiæ tertia die. Primus est *Tertia die* legis natura, secundus legis scriptæ, tertius legis gratiæ. *nuptias ce-*

lebratas esse, quid. Hinc Ioānes Baptista ait, Ioan. 1. Qui habet sponsam, spon-
sus est, amicus autem sponsi qui stat & audit eum, gaudio
gaudet propter vocem sponsi. Hoc ergo gaudium meum
impletum est. Celebrantur autem in Cana Galilææ, quia
ex zelo transigrare debemus de veteri homine in no-
uum. Col. 3. Expoliantes vos veterem hominem cum arti-
bus suis, & induentes nouum, eum qui renouatur in agni-
tione dei, secundum imaginem eius qui creauit eum: ut si-
naliter transigrare possimus ad agni nuptias æternas.
Apocal. 19. Beati qui ad cœnam nuptiarum agni vocati
sunt. Has ergo per fidem vocati intremus, & mundo di-
lectionis habitu celebrare curremus, nostræque actionis
simul & cogitationis maculas ante diem extremæ vltio-
nis, ipsi sollicitius examinādo diluam⁹, ne fortè ingrediēs
rex qui has nuptias filio suo fecit, vbi viderit nos nuptia-
lem vestem non habere, eiciat nos: & ligatis à bene agē-
di facultate, manibus & pedibus, in exteriores mittat ten-
nebras, Matth. 12. Mundemus fide, fortia cordium nostro-
rum vascula, secundum purificationem præceptorum cœ-
lestium. Impleamus hæc, aqua sapiētiae salutaris. Eccle. 15.
sacræ doctrinæ crebrius attendēdo. Rogemus deum, ut
ipsam quam nobis scientiæ gratiam contulit (ne fortè
inflet. 1. Corin. 8.) Charitatis suæ feruore calefaciat, &
ad superna quærenda sola, hac sapientia conuertat, qua-
tenus spiritualiter, inebriati, possimus & ipsi cum prophe-
ta dicere, Psal. 59. Potasti nos vino compunctionis. Sicq;
fiat ut nobis bene proficientibus, & nunc ex parte prout
capere sufficimus, & in futuro perfecte Iesus nobis mani-
festet gloriam suam.

DE PRIMO ADVEN-
TU ad Pascha, Ioannis secundo.

ARTICVLVS IIII.

Ioan. 2. G. **P**ost hæc descendit Capharnaum ipse, & ma-
ter eius, & frater eius, & discipuli eius, &
ibi manserunt non multis diebus. Et propè erat
Pascha Iudeorum, & ascendit Iesus Hierosolymam &

inuenit in templo uēdentes oues & boues, & columbas,
& nummularios sedētes. Et cum fecisset quasi flagellum
de funiculis, omnes eiecit de templo, oues quoque & bo-
ues, & nummulariorum effudit as, & mensas subuertit,
& his qui columbas uendebant, dixit: Auferte ista hinc,
& nolite facere domum patris mei domum negociatio-
nis. Recordati sunt uerò discipuli eius, quia scriptum est,
Zelus domus tuæ comedit me.

Quanta diligentia ea quæ diuini sunt honoris & præ-
cepti, curanda, obseruanda, & defendenda sunt, ostendit.
Bifariam enim nos Christus docet: verbo, dum scriptu-
ras enarrat, ut legis nouælator. Secundò, facto, omnis
enim Christi actio, nostra est instructio. Ioan. 33. Exem-
plum dedi vobis. Bis, ut dicit Bed, purgavit templum: in
initio prædicationis post baptismum, de quo hic. Secun-
dò, quinto ante passionis die, Matth. 21. Instabat pascha,
quod Hebræis transitum sonat, hunc quotannis celebra-
bant ob veteris historiæ memoriam, quod maiores eo-
rum incolumes transissent Aegyptum, perituri terram,
à deo promissam. Beda: Veniens Hierosolymam, primò
quæsiuit templum, commonens, ut quocūque propera-
mus, domum domini primò ingrediamur, deū deprecari.
Ingressus templum, offendit illic non templi, sed fori
specimen. Ordinauerant sacerdotes cupiditate ducti,
quanquam diuini cultus promotionem prætenderent, ut
talia ad manum essent venientibus è longinquo ad offe-
rēdum, quò ipsi maioris commodi ex oblati participes
fierent. Nummularij siue colybitæ, qui minuiore mo-
neta mutarent maiorem, aut aurum argento: atque hinc
quoque quæstus erat sordidus, nec multum abhorrens ab
vsura. Neque solùm eiecit homines, sed oues etiā ac bo-
ues, ne quid taliū sordium herereret. Hæc imagine signifi-
cabat, sacerdotes Iudeorum ob auaritiā eiiciendos, &
eos, qui templum violant euangelicam. 1. Corin. 3. Ne-
scitis quia templum dei estis, & spiritus dei habitat in
vobis? Si quis templum dei violauerit, disperdet illum
deus. Templum enim dei sanctum est, quod estis vos. Sic
qui malis actibus prophanant ecclesiam, eiiciendi sunt.

*Pascha quid
sonet.*

Sic Paulus scortatorem cum nouerca eiecit. 1. Corint. 5. Sic & aliis obnoxios vitii eiiciendos dixit. 1. Corint. 5. Si is qui frater nominatur inter vos, est fornicator, aut auarus, aut idolis seruiens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum huiusmodi nec cibum sumite. Auferte malum ex vobis ipsis. Sic oues & boues venduntur, quando bestiales motus in anima insurgentes, cum delectatione retinentur, pro quibus homo diabolo se vendit. Romano, sexto: Stipendia peccati, mors. Duplex correctionis remedium, facti & verbi. Vtroque enim secundum temporis exigentiam praelati vti debent. Potuit virtute diuina corda terrere eorum quos alloquebatur, sicut tempore passionis, Ioan. decimo octauo. Iniuria quædam redundat in deum, hæc nullo modo sustinenda. Chrysostomus: In propriis iniuriis esse quempiam patientem, laudabile est: iniurias autem dei dissimulare, nimis impium. Alia in proximum, huc nos opponere debemus, quod spectat maximè ad praelatos. Ezech. 13. Non ascendistis ex aduerso, neque opposuistis murum pro domo Israel, vt staretis in prælio in die domini. Aliqua in nos ipsos, hæc patienter sustinenda, & in bono malum vincendum. Romano. 12. Matth. 5. Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos. Sed nos proprias rigidè vlciscimur iniurias, & dei calumnias & blasphemias dissimulamus. Non dixit, domum dei, sed patris mei, ostendens quòd potestatem habeat, sicut filius patris, omnium. Chrysostomus: Iudæi audientes quòd deum vocat patrem suum, non irascuntur, putantes non per naturam, sed gratiam deum vocare patrem. Tamen postea ob id ipsum persecuti sunt. Discipuli verò paulatim incrementa sumentes boni, & scripturarum recordantur, inde testimonia recipiendo, & firmiorem de Christo scientiam apud se constituendo. Obserua quòd zelus trifariam distinguitur. Carnalis, vicinus inuidia, vt dicit Hieronymus: super Gala. Hoc fratres Ioseph. Gen. 37. Maria soror Moyssi, Numero. 12. zelati sunt dolentes præcelli. Sic Iudæi in Christum, Luc. 4. & apostolos, Actu. 5. de quo Ecclesia. 30. Zelus & inuidia minuent dies, & ante tempus senectam adducet cogitatus. Secundò, amoris: quo animus accenditur, relicto humano timore, ad aggrediendum fortia, idq;

Zelus quo duplex.

honesti & iusti causa. Ab eo comeditur, vt dicit Augusti. A zelo quilibet qui quælibet praua quæ videt, corrigere satagit: quod si comedatur. qui quælibet praua quæ videt, corrigere satagit: quod si comedatur. Hoc zelo Phinees accensus, Israelitam cum scorto Madianitide transfodiens, iram domini placuit, Nume. 25. Sic Helias. 3. Reg. 19. zelo zelatus sum pro domino deo exercituum, quia dereliquerunt deum Israel. Sic Mathathias. 1. Macha. 2. Et vidit Mathathias (Iudæum immolâtem diis) doluit & contremuerunt renes eius, & accensus est furor eius secundum leges, & in filiens, trucidauit eum super arâ. Psal. 37. Zelauit super iniquos, pacem peccatorum videns. Psal. 118. Tabescere me fecit zelus meus, quia obliti sunt verba tua inimici mei. Hoc malè habere debet omnes, si domus dei seu materialis, seu spiritualis contemnitur, si diripitur, si fœdis negotiationibus contaminatur. Psal. 68. Zelus domus tuæ comedit me. Tertiò imitationis, dum aliorum aut præclara facta, aut turpiter gesta imitamur. Psal. 36. Noli æmulari in malignantibus, neque zelaueris facientes iniquitatem;

Responderunt ergo Iudæi, & dixerunt ei: Quod signum ostendit nobis quia hæc facit? Respondit Iesus & dixit eis: Soluitè templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud. Dixerunt ergo Iudæi: Quadraginta & sex annis edificatum est templum hoc, & tu in tribus diebus excitabis illud? Ille autem dicebat de templo corporis sui. Cum ergo resurrexisset à mortuis, recordati sunt discipuli eius, quia hoc dicebat, & crediderunt scripturæ, & sermone quem dixit Iesus.

Porro Iudæi quum audissent quòd domum patris sui nominans, peculiari quadam ratione se declararet filium dei, viderentque palàm tanta autoritate se uentem in eos, qui videbantur rem sacerdotum ac religionis adiuuare, obstrepunt illi, ac dicunt: Si ista facis autoritate tua, temeritas est: si diuina, quod signum profers vt credamus tibi? Quanquam enim correctio in se esset bona, non tamen ad quemlibet pertinebat. Verum nisi cæci fuissent, vtrunque in Christo, & signum & autorita-

tem, deprehendere potuissent. Cýril. Quemadmodum omnibus qui bene petunt, facile deus cuncta largitur: sic illis qui tentantes postulauit, non módo nihil præstat, verum etiam quasi malignos aspernatur. Sic alio in loco vocat eos generationem adulteram. Mat. 12. Sciens ergo eos calumniareros, etiam si quod miraculum ostendisset, sub enigmate promisit eis signum: quod si tum palam fuisset eloquutus, non erant credituri, quando ne tum quidem crediderunt quum esset exhibitum. Id erat signum resurrectionis & mortis suæ, signum Ionæ. Mat. 12. Generatio mala & adultera signum quærit, & signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ prophætæ. Non autem ad cruentam, cæcæ de adhortatur, sed quod facturos nouit, ad utilitatem eorū potius, si quidem sensus habuissent. subaperit. Erat enim verum templum diuinitatis. Col. 2. Quia in ipso inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. Datur ergo signum incredulis rememoratium futuri, sicut & Achaz incarnationis: Esa. 7. Propter hoc dabit dominus ipse vobis signum. Ecce virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emanucl: Qualis autem fuit illorū intellectus, talis & responsio: nam ad templum per Zorobabel reedificatum retorquebant. Augustinus: Aedificatio, Salo. 7. annis perfecta est. 3. Reg. 6. Reedificatio per Zorobabel, impediens inimicis, 46. annis consummata est. 1. Esd. 4. & 6. Ipse autem dixerat de solutione per mortem corporis, unde non dixit, reedificabo, sed excitabo. Quanquam legimus aliquot homines reuixisse, nemo tamen præter Christū Iesum excitauit seipsum ad vitam. Solus enim ipse potestatem habebat deponendi animam suam, & eam resumendi quum vellet, Ioan. 10. Obstabant duo magna, quæ nec discipuli intelligebant verba Christi: alterum, quod resurrectio per se tam difficilis captu, imò quasi ignota esset: alterum, quod corpus Iesu deus inhabitaret. Vbi verò rediit ad vitam, tum crediderunt scripturæ omni, quæ resurrectionis gloriam prædicabat.

Cum autem esset Hierosolymis in Pascha in die festo, multi crediderunt in nomine eius, uidentes signa eius quæ faciebat. Ipse autem Iesus non credebat semet-

ipsum eis, eo quod ipse nosset omnes: & quia opus non erat ei, ut quis testimonium perhiberet de homine. Ipse enim sciebat quid esset in homine.

Cum itaque per aliquot dies paschæ Hierosolymis commoratus, & signis & doctrina iecisset aliqua semina fidei euāgelicæ, multi fidem habuerunt dictis illius, credentes eū esse filium dei quæ se esse prædicabat, magis commoti miraculis quæ perpetrabat, quam verbis. Haud enim parui erant momēti, ut patet ex verbis Nicodemi, Ioan. 3. Eō igitur quia nondū prodesse poterat, ne præberet malis occasionem maioris mali, subduxit sese ab illis: neque omnia dogmata, ut hi verè credunt, concedebat, eō quod nosset ipse omniū cogitationes. Hebr. 4. Omnia nuda & aperta sunt oculis eius. Quo docemur, non quosque mox ad arcana fidei, maximè ad corpus Christi, admittendos. 1. Corin. 3. At ego fratres non potui vobis loqui quasi spiritalibus, sed quasi carnalibus. Tanquam paruulus in Christo Iac vobis potum dedi, non escam. Secundò, non facillè omnibus credendum. 1. Ioā. 4. Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex deo sint, quoniam multi pseudoprophætæ exierunt in mundū. Eccle. 19. Qui citò credit, leuis corde est & minorabitur. Hier. 12. Ne credas eis cum locuti fuerint tibi bona. Tertio, non facillè ineundum omnibus amicitiam Hier. 9. Vnusquisque se à proximo suo custodiat, & in omni fratri suo non habeat fiduciam: quia omnis frater supplantans, supplantabit, & omnis amicus fraudulenter incedet, & vir fratrem suum deridebit, & veritatem non loquentur. Docuerunt enim linguam suam loqui mendacium. Sagitta vulnerans linguam eorū, dolū locuta est. In ore pacem cum amico suo loquitur, & occultè ponit ei insidias. Omnes iudicabis te meliores esse. Phil. 2. In humilitate superiores sibi inuicem arbitrantes. Ceterum tuæ consuetudini non omnes iudicabis idoneos, aut certè te non posse tutè cum omnibus passim diuersari. Mat. 10. Cauete autem ab omnibus, tradet enim frater fratrem, & pater filium, & insurgent filii in parentes, & morte eos afficient. Et eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum. 2. Timot. 3. Omnes qui piè volunt viuere in Christo Iesu, persecutionem patientur.

*Documentum
ex Christi
secessu,*

PARS SECVNDA.
DE NICODEMO.
ARTICVLVS V.

Ioan. 3.
H.

ERat autem homo ex phariseis, Nicodemus nomine, princeps iudeorum. Hic uenit ad Iesum nocte, et dixit ei: Rabbi, scimus quia a deo uenisti magister: ne mo enim potest hæc signa facere que tu facis, nisi fuerit deus cum eo.

Quam obuius semper & benignus fuerit dominus simplici ac recto corde ad ipsum accedentibus, & inquirantibus, ostendit. Hinc non repulit timidum ac intempertium saluatorem, sed comiter accipit imbecillum quidem, sed malitię expertem, & ob hoc dignū, qui paulatim ad sublimiora prouebatur. Cyril. Propensus ad fidem Nicodemus uideatur fuisse, sed pudore improbo uictus, & gloria hominum superatus, palam accedere non audeat: ita ambigua quadam sententia & claudicante iudicio, utriusque (ut dicitur) poplitibus laborat. Nam conscientia quidem stimulis suis, miraculorum magnitudine ad fidem eum pellebat. 1. Corint. 1. Iudæi signa petunt. principatus autem gentis suæ, ne palam Christo adhereret, facile illi persuadebat, qui principatus detrimentū, calamitatem non paruā existimabat; Perpendit hic ex doctrina, signis, & miraculis, magnæ aliquid in Christo excellentiæ, cuius tantam potestatem, sapientiam, imperterritamque cōstantiam in uendentium & ementiū eiectione fuit expertus: quare zelo cognoscendæ ueritatis & spiritalis profectus uenit. Psal. 33. Accedite ad eum, & illuminamini: & facies uestræ nō confundentur. Erat autem Galilæus natione, Ioan. 7. qui & post, corpus domini sepulturæ cum Ioseph tradidit. Adit autem nocte, declarans quod imbecillus ac vacillans adhuc in amore esset ad Christum, quem hætenus admirabatur, ut tamen nollet eius causa suæ gloriæ iacturam apud homines facere, nec eius gratia in sui ordinis inuidiam pertrahi. Ioan. 12. Veruntamen & ex principibus multi crediderunt in eum, sed propter phariseos non confitebantur, ut de synagoga non eicerentur. Ioannis nono, iam enim

ARTICVLVS V. 27

conspirauerant Iudæi. ut si quis eum confiteretur, extra synagogam fieret. Hinc Ioan. 7. Nemo tamen de illo palam loquebatur, propter metum, quia Ioan. 12. Dilexerunt gloriam hominum magis, quam gloriam dei. O quot sunt tales. sed Luc. 9. Qui me erubuerit & meos sermones, hunc filius hominis erubescet, cum uenerit in maiestate sua & patris & sanctorum angelorum. A deo eum uenisse ad magisterium caeleste mundo exhibendum, confessus est: deum cum illo esse, miraculis prodentibus, intellexit, nec tamen ipsum deum esse cognouit. Ioel. 2. Filia Sion, exultate & lætamini in domino deo uestro, quia dedit uobis doctorē iustitiæ. Mat. 23. Vnus est enim magister uester Christus. Verum dixit, sed quod minus erat a laude Christi: uenerunt & propheta: a deo magistri, quo & assistete, miracula faciebant. non sic autem Christus, cū quo deus per hypostaticam unionem. Ioan. 14. Non credis quia ego in patre, & pater in me est? Alioqui propter opera ipsa credite. Solus deus propria uirtute facit miracula. Psal. 71. Qui facit miracula solus. Sic & per suos. Ioan. 14. Qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horum facit. Diabolus autem non uera per se, nec per sua membra facit. Exo. 7. & 8. non enim prodeunt a ueritate, nec ad ueritatem ducunt cui obsistunt. 2. Tim. 3. Quemadmodum Iamnes & Mambres resisterunt Moyfi, ita & hi resistent ueritati, homines corrupti mente, reprobi circa fidem. Hinc de capite talium, Antichristo. 2. Thes. 2. Cuius est aduentus secundū operationem satanæ, in omni uirtute & signis, & prodigis mendacibus. & in omni seductione iniquitatis his qui pereunt, eo quod charitatē ueritatis non receperunt, ut salui fierent. Mat. 24. Surgēt pseudo Christi & pseudopropheta, & dabunt signa magna & prodigia, ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi. Facit & deus nonnunquā miracula per malos: quæ licet nō probent, nec faciāt ipsos iustos, probant tamen quod uera sit fides qua inuocāt deum, & doctrina sana, ad cuius confirmationem deus talia efficit. Luc. 9. Præceptor, uidi quendam in nomine tuo eicientem demonia, & prohibuimus eum, quia non sequitur nobiscum. Ait ad illo Iesus: Nolite prohibere. Qui enim non est aduer-

fum vos, pro vobis est. Christi autem miracula omnē creatam potestatem erant transcendētia, & ad animarum salutem inducentia, quare Iudæi inexcūsabiles, Ioannis. 15. Si opera non fecissem in eis, quæ alius nemo fecit, peccatum non haberent. Nunc autem excusationem non habent de peccato suo. Invidia enim stimulante, ea tribuebant Beelzebub, Matth. 12. Luc. 11. Dicit ad eum, quia venerat causa discendæ veritatis, & simplici corde quærebat, docens de sacramento, per quod est ingressus in regnum: Merito ita de me sentis. nondum enim natus es superne, hoc est, à deo spiritali natiuitate: sed quia carnalis es, & cognitio quam de me habes, non est spiritalis, sed animalis & humana. Natiuitas enim per baptismum, & illuminationem præbens animæ, per fidem regnum dei (hoc est, vnigenitum dei filium) videre (hoc est, intelligere) facit, Luc. 17. Regnum dei intra vos est, siue ecclesiam dei quæ regnum dicitur dei, Marc. 4. Dion. Sicut intellectus creatura ponitur in esse specifico, per naturam, per quam est apta ad operationes naturales, & potens: sic per gratiam ponitur in esse diuino, per quod est idonea ad operandum opera meritoria.

Dixit ad eum Nicodemus: Quomodo potest homo renasci cum sit senex? Nunquid potest in uentrem matris sue iterato introire, & renasci? Respondit Iesus: Amen amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non potest introire in regnum dei. Quod natum est ex carne, caro est: & quod natum est ex spiritu, spiritus est. Non mireris quia dixi tibi, oportet uos nasci de nouo. Spiritus ubi uult, spirat, & uocem eius audis, sed nescis unde ueniat aut quo uadat. sic est omnis qui natus est ex spiritu. Respondit Nicodemus & dixit: Quomodo possunt hæc fieri? Respondit Iesus & dixit ei: Tu es magister in Israel, & hæc ignoras? Amen amen dico tibi, quia quod scimus loquimur, & quod uidimus testamur, & testimonium nostrum non accipitis. Si terrena dixi uobis, & non creditis, quomodo si dixero uobis celestia, cre-

detis? Et nemo ascendit in celum, nisi qui descendit de celo, filius hominis qui est in celo.

Nicodemus doctrinam plusquam humanam stupefcit, & passus humanum quiddam, interrogat, id quod incredulitatis erat signum. Vbi fides non est, ibi quæritur, quare hoc? quomodo hoc? In lege assuetus, spiritalia capere non potuit. Augustinus. Non nouerat nisi unam natiuitatem ex Adam & Eua, ex deo & ecclesia non nouerat. Spiritus ei loquitur, & ipse carnem sapit, sicut illi, Ioan. 6. Durus est hic sermo. Discipuli uero interrogati, an ne & ipsi uellent recedere, responderunt: Domine ad quem ibimus? uerba uitæ æternæ habes. Et dominus: Spiritus est qui uiuificat, caro non prodest quicquam. Hinc Apostolus. 1. Cor. 2. Animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus dei. stultitia enim est illi, & non potest intelligere, quia spiritaliter examinatur. Ideo dominus cōsequenter non grauatur interpretari, quid sit nasci de nouo, siue à supernis. Aliud, inquit, natiuitatis genus est, de qua loquimur: non enim carnalis, sed spiritalis est: nec cōstat propagatione corporum, sed transformatione animarum, ex aqua & spiritu sancto, ut ex carnali fiat spiritalis, & sic possit ingredi in regnum dei, quod prorsus spiritua est. Sicut enim in generatione naturali uirtus est gratiæ diuinæ, ita & in baptisinate, aqua quæ est materiale elementum, subdita est, & spiritus omnia operatur inuisibilis actor intus mentem purificans, & efficienter intus regenerans, gratia infundēdo, quæ res est sacramenti, & causa formalis intrinseca huius sacramenti & regenerationis, & inuocatio & preces, imò dei præsentia. Symbola enim sepulturæ & resurrectionis in illa perficiuntur. Tres meriones, triduanæ sepulturæ, symbola sunt. deinde de regreditur homo sicut dominus fulgidior & clarior, incorruptionis ferens indumenta, qui in aqua corruptionem submersit. Quia enim ex aqua & spiritu regeneratur inuisibiliter, in nouum hominem mutatur, & de carnali efficitur spiritalis. Roma. 6. An ignoratis fratres, quia quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus. Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem, ut quomodo Christus resurrexit.

Tres in baptisimo meriones, quid.

à morte per gloriam patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus: Vide & admirare immensam dei benignitatem. Pater filium misit. Rom. 8. Qui etiam proprio filio suo nõ pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illũ. Filius animam dedit. Mat. 20. Filius hominis nõ venit ministrari, sed dare animam suam redemptionem pro multis. Si spiritus sanctus sua bonitate & liberalitate in baptismo regenerat. 2. Cor. 3. Vbi spiritus domini, ibi libertas. Distinguit autem inter generationẽ carnalẽ & spiritualẽ. Carnalis generatio initium omnis mali est & certaminis. Iob. 14. Homo natus de muliere, breui viuens tẽpore, repletur multis miseris. Militia enim est vita hominis super terram, Iob. 7. Hac nascimur natura filij iræ, Ephe. 2. & mortis. Roma. 5. Per vnum hominem in hunc mundum peccatum intrauit, & per peccatum mors: & ita in omnes homines mors petransit, in quo omnes peccauerunt. Spiritus sanctus, ponit regeneratum in esse spirituali, vitæque gratiæ, & fit spiritus, hoc est, spiritualis, quum adoptionem filiorum in spiritu & gratiam & honorem suscepit. 1. Cor. 6. Qui adhæret deo, vnus spiritus est. Hæc ergo regeneratio facit filios dei. Gala. 3. Omnes vos filij dei estis per fidẽ quæ est in Christo Iesu. Hæredes regni. Rom. 8. Quod si filij, & hæredes: hæredes quidẽ dei, cohæredes autem Christi. vtinam attendere huius admirandæ generationis diuinæ, patrem deũ, & matrem nostrã ecclesiam, & quo spiritu viuificemur. Quum ergo sit alia nascendi ratio. nõ est quod miseris homini secundum carnem nato, vt esset filius hominis, eidem secundum spiritum inuisibiliter esse nascendum. vt possit esse filius dei, qui spiritus est, & aptus regnõ cælorum, quod spirituale est, non carnale. Quod si animo non consequeris, sume imaginẽ ab his rebus, quæ cum spiritualibus nonnullam habet congruentiam, & tamen corporæ sensibus percipiuntur. Si ventus naturali indata potestate fertur in aliquem locũ incertum, multo magis spiritus sanctus liberiorẽ habet motionem: & quò vult & sicut vult operabitur. Sed idem in Græco & hic in præcedentibus positũ verbũ, magis cogit de spiritu sancto accipi, qui non arbitrio nostro, sed sua voluntate, & spiritualium aut verborum, aut scripturarum, aut

factorũ suggerit intelligentiam. Habet enim in sua potestate, cuius cor gratia suæ visitationis illustret. Non enim ventus naturaliter in certum fertur locum, quum impulsio sit aeris violenta. Spiritus verò sanctus diuidit singulis dona gratiæ, prout vult. 1. Corin. 12. Augustinus: Nemo videt spiritũ, & quomodo audiuius vocem eius? Sonat P salmus, propheta, sermo diuinus, vox est spiritus. Est auditus interior, quo diuinus instinctus percipitur, dũ sentit se homo intus tangi, doceri, accendi. Psal. 84. Audiam quid loquatur in me dominus deus meus. Ose. 2. Ducam eã in solitudinem, loquar ad cor eius. Iob. 9. Si venerit ad me, non videbo eum: Si abierit, non intelligam. Eccle. 9. Nescit homo vtrum amore an odio dignus sit. Sic aqua & verborũ forma, euidentis aliquid est: sed principiu effectiuum regenerationis, spiritus sanctus, & item finis qui est beatitudo æterna, abditum est. Nicodemus in literali sensu legis & prophetarum instructus, ad spirituale intelligentiam assurgere non valebat: sed quia humiliter quærebat ad veritatẽ cognoscendam, non ad calumniam parandam, meruit vterius instrui à domino. Prouer. 11. Vbi est humilitas, ibi & sapientia, Psal. 118. Intellectum dat paruulis. Iesus ergo ostendens ea quæ caelestis sunt doctrinæ, non percipi rationibus humanis, sed fide potius comprehendendũ, ait: Tu habebis magister in Israel, & profiteris te doctorem populi, & hæc quæ potissimũ oportuit scire, ignoras? Nã lege & prophetis literaliter & figuratè designata sunt. Ge. 6. In arca Noe in qua pauca, hoc est, octo animæ saluæ factæ sunt per aquã. 1. Pet. 3. Quod & vos nunc similis formæ saluos facit baptisima, nõ carnis depositio sordidũ, sed conscientiæ bonæ interrogatio in deum. 1. Cor. 10. Nolo vos ignorare fratres, quoniam patres nostris omnes sub nube fuerũt, & omnes mare transferũt, & omnes in Moyse baptizati sunt in nube & in mari. Ezech. 36. Effundam super vos aquã mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris. Zacha. 13. In die illa erit fons patens domui Dauid & habitatibus Hierusalẽ, in ablutionẽ peccatoris & menstruæ. Ostendit quò indubitata sit sua doctrina, & ideo recipiẽda: nouerat enim quæ loqueretur, quum dei sit sapietia. 1. Cor. 1, & in ipso omnes the-

lauri sapientiæ & scientiæ sunt reconditi, Col. 2. Sed non omnes obediunt euangelio, Rom. 10. Nostrum, inquit, testimonium, quia. 1. Ioan. 5. Tres sunt: qui testimonium dant in cælo: pater, verbum, & spiritus sanctus, & hi tres unum sunt. Si mihi terrena quædam adhuc vobis prædicanti, ob carnalem sensum animi non creditis, quomodo credituri sitis, si prædicauero ea quæ planè cælestia sunt, quæ tamen & ipse vidi, & certius cognoui quàm quæ vos oculis corporeis videtis? Generatio enim, quæ est in baptismo, terrena dicitur, quia fit super terram, & in elemento aquæ, quanuis cælestis sit secundum gratiam & honorem. Necessè est ergo intellectum nostrum Christi authoritati subiicere, atque humiliter obedire. 2. Corin. 10. In captiuitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi, Esa. 7. Nisi credideritis, non intelligetis. Sed quoniã cogitare poterant, quis cælestia scire possit qui illic non fuerit, ait: Noli me suspicari propterea non esse illic, quia descendit: sed & hic corporaliter adsum, & illic sedeo cum patre vt deus. Quia vna hypostasis Christus ex duabus naturis cõstituta, ideo quæ sunt hominis, dicuntur de verbo: & iterum ea quæ sunt verbi, attribuantur homini. Nemo ergo proprio iure, & merito, & virtute ascendit in cælum, nisi Christus, quia nos merito & gratia ipsius tanquam membra. Ioan. 14. Vado parare vobis locum, & si abiero, & præparauero vobis locum, iterum veniã & accipiã vos ad me ipsum, vt vbi ego sum, & vos sitis. Ioan. 14. Nemo venit ad patrem nisi per me. Hebr. 10. Habentes itaque fratres fiduciam in introitu sanctorum in sanguine Christi, qui initiavit nobis viam nouam per velamẽ, hoc est, carnem suam, accedamus cum vero corde, in plenitudine fidei, aspersi corda à conscientia mala: & abluti corpus aqua munda, teneamus spei nostræ confessionem in declinabilem. fidelis enim est qui repromisit.

3 Et sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto: ita exaltari oportet filium hominis, ut omnis qui credit in ipso, non pereat, sed habeat vitam æternam.

Crux & mors author nobis fit gratiæ, quæ per baptis-

munum data est: siquidẽ cum baptizatur, mortem domini representamus. Ponit ergo primò exẽplũ, vt cognoscat Nicodemus hanc regenerationẽ vim esse à passione Christi, qua sanantur vulnerati & lassi à tyrannide diaboli, ac morsu serpentis. Num. 21. Et tædere cœpit populũ itineris ac laboris, locutusque cõtra dominum & Moysen, ait: Cur eduxisti nos de Aegypto, vt moreremur in solitudine? Deest panis, nõ sunt aquæ, anima nostra nauseat super cibo isto leuissimo, Quamobrẽ misit dominus in populũ ignitos serpẽtes, ad quorũ plagas & mortes plurimorum, venerũt ad Moysen atque dixerunt: Peccauimus, quia locuti sumus contra dominũ & te, ora vt tollat à nobis serpẽtes. Oravit Moyses pro populo, & locutus est dominus ad eũ: Fac serpentem æneum, & pone eum pro signo, qui percussus aspexerit eũ, viuet. Fecit ergo Moyses serpentem æneũ, & posuit eum pro signo, quem cum percussus aspiceret, sanabatur. 1. Cor. 10. Neque tentemur Christus, sicut quidam eorum tentauerunt, & à serpentibus perierunt. hæc autem omnia in figura contingebant illis, *Serpentis* Habuit æneus ille serpẽs specimen venenatae bestia, sed à Moysese adeo veneno carens, vt alios etiam veneno tactos liberet. *erecti symbolum.* Roma. 8. Deus filium suum mittens in similitudinẽ carnis peccati, de peccato damnauit peccatũ in carne, vt iustificatio legis impleretur in nobis, qui non secundum carnem ambulamus, sed secundum spiritum. 2. Cori. 5. Eum qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit, vt nos efficeremur iustitia dei in illo. primæ Pet. 2. Qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius, qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum. vt peccatis mortui, iustitiæ viamuis, cuius fluore sanati estis. Secundò ponit modum, quia exaltandus. Ioannis duodecimo: Ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum. Per fidem & dilectionem. Ioannis octauo: Cum exultaueritis filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum. Fortissimum enim charitatis vinculum, possio redemptoris. Ose. 11. In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis. Hier. 31. In charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miserans. Hoc collyrio oculi cordis linti, lumine fidei illuminantur. Apoca. 3. Dicis, quia diues sum & locupletatus, & nullius ego:

& nescis quia tu es miser & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus. Suadeo tibi emere à me aurum ignitum, vt locuplex fias, & vestimentis albis induaris, vt non appareat cõfusio nuditatis tuæ, & collyrio inunge oculos tuos vt videas. Hinc secundæ Corinth. quarto: Quod si opertum est euangelium nostrũ, in his qui pereũt, opertum est, in quibus deus huius seculi ex cæcauit mētes infidelium, vt non fulgeat eis illuminatio euangelij gloriæ Christi. Ideo. 1. Corinth. primo: Nos autem prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidẽ scandalum, gentibus autem stultitiam, ipsis autem vocatis Iudæis atque Græcis, Christum dei virtutem atque dei sapientiam. Tertiõ fructum duplicem: alterum quidem quod nõ perit, Vt omnis, inquit Roma 10. Non est distinctio Iudæi & Græci: nam idem dominus omnium, diues in omnes qui inuocãt illum, vt qui huc per fidem sustulerint oculos, à letifero peccati veneno liberentur, & non pereãt peccato obnoxij, quod mortem adferat æternam. 1. Ioan. 3. In hoc apparuit fili⁹ dei, vt dissoluat opera diaboli. Psal. 114. Erripuit animam meam de morte (culpæ & gehennæ) oculos meos à lachrymis, pedes meos à lapsu culpæ. Serpentes, dæmonia: iacula ignita ad mortificandum, ictus & percussiones eorum, peccata: mors subsequens, mors secunda, quam supplicium comitatur æternum. Vnde: Deut. 8. dicitur, quod erat serpens statu adrens. Ephe. 6. In omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela ignea nequissimi, extinguere. Si enim Iudæi videntes ænci serpentis imaginem, mortem effugerunt, multò magis nos ad crucifixum respiciẽtes & credentes, mortem animæ effugiemus. Ezech. 9. Omnẽ super quem videritis thau, ne occidatis. Alterũ, quod vitam habet, atque vitam æternã. Rom. 6. Gratia dei vita æterna. Est enim petra virga crucis percussa, vnde maximæ effluunt gratiarum vnda. 1. Corin. 10. Bibebãt omnes de spiritali, consequente eos petra. petra autem erat Christus. Ioan. 7. Si quis sitit, veniat ad me, & bibat. Qui credit in me, sicut dicit scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Hoc autem dixit de spiritu, quem accepturi erant credentes in eum. Vetus lex promittebat eos, qui in illa deo placebãt, implendos longitudine die-

rũ & bonis temporalibus. Esaia. 1. Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comederis, Euangelium verò æternam largitur vitam & indissolubilem. 1. Corinthio. 15. Euangelium, in quo statis, per quod & saluamini. Vnde crux præfigurata fuit per lignũ vitæ quod erat in medio paradisi. Gene. 2. Virgam Moysi, qua eleuata, mare rubrũ diuisum est, & filij Israel sicco transferũt vestigio. Exodi. 14. Sic merito passionis Christi, aquæ virtutem accipiũt, vt transeũtes per eam, in terram perueniant promissiois æternam, Ro. 6. 1. Cor. 10. Item per lignum Moysi ostensum, quod cũ misisset in amarissimas aquas in Marath, in dulcedinem versa sunt, Exo. 15. Hinc Apostolus Hebr. 12. Deponentes omne pondus & circumstãas nos peccatum, per patientiam curramus ad propositũ nobis certamen, aspicientes in authorem fidei, & consummatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio, sustinuit crucem, cõfusione cõtempta, atque in dextera sedis dei sedet. Ideo Gal. 6. Mihi absit gloriari nisi in cruce domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mũdo. Hinc dominus. Hier. 9. Non gloriatur sapiens in sapientia sua, & non gloriatur fortis in fortitudine sua, & nõ gloriatur diues in diuitiis suis: sed in hoc gloriatur qui gloriatur, scire & nõsse me: quia ego sum dominus, qui facio misericordiam & iudicium & iustitiam in terra. 1. Cor. 2. Non enim iudicauit me scire aliquid inter vos, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum.

Crux per que seu quor præfignata.

Sic enim deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Non enim misit deus filium suum in mundum, ut indicet mundum, sed ut saluetur mundus per ipsum.

Ioan. 3. 1

Ostendit causam nostræ salutis non ex meritis, sed ex mera nobis dei bonitate obtigisse & dilectione. Quis enim crediturus erat tantam dei bonitatem erga mundum rebellem, & tot flagitiis obnoxium, vt non solum non vlcisceretur admissa scelera, sed filium etiam unicũ de calis demitteret in terras, atque in mortem pro-

brofissimam traderet, vt quisquis hominū in hunc crederet, nō periret, sed per fidē euangelicam vitam cōsequeretur æternam, vere commēdat deus charitatem suam in nobis: quoniam si, cū adhuc peccatores essemus, secundū tēpus Christus pro nobis mortuus est, multo igitur magis nunc iustificati in sanguine ipsius, salui erimus ab ira per ipsum, Ro. 5. vide & obstupesce diligētis eminentiā, quia deus insuperabilis potentia, imperscrutabilis sapientiā, inæstimabilis clemētia, Psalm. 15. Dixi domino, deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges. Tit. 3. Apparuit benignitas & humanitas saluatoris nostri dei, non ex operibus iustitiā quæ fecimus nos, sed secundum suā misericordiam saluos nos fecit. Dilecti indigentiam, quia mundum. Psalm. 13. Dominus de cælo prospexit super filios hominū, vt videat si est intelligēs aut requirēs dei. Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonū, nō est vsque ad vnum. Romano. 3. Omnes enim peccauerunt, & egent gloria dei. Ideo Luc. 19. Venit filius hominis querere & saluum facere quod perierat. Dilectiouis excellentiam, quia pater omnium conditor, & opifex, suum cōæqualem & consubstantialē ac cōæternum (& hoc vnicum) misit filium. Esa. 9. Filius datus est nobis. Romano. 8. Qui proprio filio suo nō pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiā per eū illa omnia nobis donabit? Nā cū esset filius vita, & de se mori non posset, fecit eū mortale, & (excepto peccato) nobis per omnia similem, vt eum non solū daret, sed daret ad mortem pro nobis, qui cramus digni morte: & morte quidem nunquam reparabili ad vitam, nisi hi quos gratia exceperat: at ille quantum erat ex se, solus erat vita dignus. Ecce quadruplex causa diligendi deum. Prima, quia in se naturaliter bonus, imō sum-mum bonū. Marc. 10. Nemo bonus nisi solus deus. Psalm. 33. Gustate & videte quoniam suavis est dominus. Psalm. 144. Suavis dominus vniuersis, & miserationes eius super omnia opera eius. Memoriam abundantia suauitatis tuæ cruciabit. Altera, quia prior nos dilexit, primæ Ioannis quarto: In hoc est charitas dei, non quasi nos dilexerimus deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos, & misit filium suum propiciationem pro peccatis nostris. Nos er-

Quadruplex diligēdi dei causa

gō diligamus deum, quoniam ipse prior dilexit nos, Bernard. Lex est humana, dilige me, & diligam te: lex diuina, dilige me, quoniam dilexi te. Tertia, quia multa bona contulit. Naturæ, Genes. primo: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, & præsit piscibus maris & volatilibus cæli & bestiis, vniuersæque terræ omni que reptili quod mouetur in terra. Item gratiæ. 1. Pet. 1. Per quem maxima & preciosa nobis promissa donauit, vt per hoc efficiamini diuinæ confortes nature, fugientes eius, quæ in mundo est, concupiscentiæ corruptionem. Romanorum octauo, Nam quos præsciuit & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus. Hinc admonet Apostolus. 1. Corinthio. 15. Igitur sicut portauimus imaginem terreni, portemus & imaginē cælestis. Quarta, quia maiora promisit. 1. Corinthior. secundo: Oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit deus iis qui diligunt illum: nobis autem reuelauit per spiritum suum. Chrysostomus: Multam indicat amoris intentionem, quia multum medium & infinitum erat inter deum & mūdum: qui immortalis, qui sine principio, qui magnitudine infinita, eos qui de terra, qui de cinere, eos qui pleni erant peccatis, eos qui in deo ti erant, dilexit, & ita, vt filium suum daret, non seruum, non angelum, sed vnicum. Quis vnquam circa filium tantum studium demonstrauit, quantum deus erga seruos? Nam nec vnigenito pepercit propter nos, nos autem pecuniis parcinus aduersum nos. Ipse filium dedit pro nobis, nos neque argentum pro nobis, neque pro eo. Vestes in arca deponimus: & qui hæc & aliā dedit, circumquaque nudus vadit, & propter nos hæc sustinet. Iacobi quinto: Agite nunc diuites, plorate. Iulantes in miseriis vestris quæ aduenient vobis. Diuitiæ vestræ putrefactæ sunt, & vestimenta vestra à tincis comesta sunt: aurum & argentum vestrum æruginauit, & ærugo eorum in testimonium vobis erit, & manducabit carnes vestras sicut ignis, Bernardus: O duri & indurati filij Adam, quos non emollit tanta benignitas, tanta flamma, tam ingens ardor amoris, tamque vehemens amator, qui pro vilibus sarcinulis tam præciosas merces

dedit. 1. Pet. 1. Non enim corruptibilibus auro vel argenti
to redempti estis de vana vestra conuersatione paternæ
traditiõis, sed precioso sanguine quasi agni immaculati
& incontaminati Christi. 1. Corinth. sexto. Empti estis
precio magno, glorificate & portate deum in corpore
vestro. Vnde Psalm. 102. Benedic anima mea domino, &
noli obliuisci omnes retributiones eius. Qui propiciatur
omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates
tuas, qui redimit de interitu vitam tuam, qui coronat te
in misericordiâ & miseratiõibus, qui replet in bonis de-
siderium tuum, renouabitur vt aquilæ iuuentus tua. Ecce
quàm lucidè totius incarnationis beneficium & fructũ
describit. Nam beneficia quibus indignos nos reddimus
retribuit, peccata relaxauit, animæ vires per gratiam re-
stituit, à morte liberauit, gloriam animæ contulit, & om-
nia vota per corporis immortalem stolam cõplebit, vè
rè dicere possumus illud Psalm. 117. Quid retribuam do-
mino pro omnibus quæ retribuit mihi? vt ergo faciliõs
esset salus mundi promptiorque, fide filij sui voluit vni-
uersum mundum saluatum iri. Galat. quinto, In Christo
Iesu neque circuncisio aliquid valet, neque præputium,
sed fides, quæ per dilectionem operatur. Alioqui Iacob.
secundo. Fides sine operibus mortua est in semetipsa.
Ioannis decimo: Ego veni vt vitam habeant, & abundan-
tius habeant. Non enim venit vt iudicet mundum pro
suis sceleribus, sed vt sua morte mundo per fidem conse-
rat salutem gratuitam: & ne quis sponte periens, habe-
ret quod prætexat suæ malitiæ, facilis aditus est omnibus
ad salutem. Accipitur mundus nonnunquam pro peccatis
& eis adhærentibus, primæ Ioannis secundo: Omne
quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concu-
piscentia oculorum, & superbia vitæ, quæ non ex patre,
sed ex mundo est. 1. Ioan. 5. Et totus mundus in maligno
positus est. Hic deum non cognouit, Ioan. 1. Nec potest
spiritum sanctum recipere, Ioan. decimoquarto. Aliquan-
do, pro prædestinatis. 2. Corinthior. quinto. Quoniã deus
erat in Christo, mundum reconcilians sibi, non reputans
illis delicta ipsorum. Hinc Abrahamâ hæres mundi dicitur,
Romano, quarto, Aliquoties indifferenter pro bonis &
malis, sicut & in ecclesia pisces boni & mali sunt in fi-

*Mundus
quid seu
quæ signet.*

nem vsque, Mat. 13. Sic capitur hic. Primus ergo aduen-
tus mansuetus & lenis, non propter iudicium factus est,
nisi per accidens, iudicans eos qui non credunt, qui iam
iudicati sunt. Nam vult omnes homines saluos fieri, &
ad agnitionem veritatis venire. 1. Timot. 2. Pro omnibus
enim passus est, quantum ad sufficientiam. 1. Io. 2. Ipse est
propiciatio pro peccatis nostris: & non pro nostris tan-
tum, sed etiã pro totius mundi: sed pro solis electis, quan-
tum ad efficaciam. Ioã. 17. Non pro mundo rogo, sed pro
his quos dedisti mihi. Secundus verò aduentus erit, vt o-
mnes iudicet in iustitia & veritate, reddes vnique se-
cundum opera sua. Mat. 16. De primo hic aduentũ agit.
Ioan. 12. Non veni vt iudicem mundum, sed vt saluificem
mundum. 1. Tim. 1. Fidelis sermo & omni acceptione di-
gnus, quia Christus Iesus venit in hunc mundum pecca-
tores saluos facere. Mat. 9. Non est bene valentibus opus
medico, sed malè habentibus. Aug. Quantum in medico
est, sanare venit agrotum: ipse se interimit, qui præcepta
medici obseruare non vult. Quare enim dictus est salua-
tor mundi, nisi vt saluet mundũ, non vt iudicet mundum?
Saluari non vis ab ipso? ex te ipso iudicaberis.

*Pro omnibus
quò & q
diuerse
Christi pas-
sus.*

*Qui credit in eum, non iudicatur: qui autem non cre-
dit, iam iudicatus est, quia non credit in nomine unigeniti
filij dei. Hoc est autem iudicium, quia lux uenit in mundũ;
& dilexerunt homines magis tenebras quam lucem.*

Qui fide per charitatem operante adhæserit, non iu-
dicatur condemnationis iudicio, quia fides causam iudi-
cij remouet, peccatum, Act. 15. Fide purificans corda eo-
rum. Ioann. 5. Amen amen dico vobis, quia qui verbum
meum audit, & credit ei qui misit me, habet vitam æter-
nam: & in iudiciũ non venit, sed transiet à morte in
vitam. Sed nunquid si immundam egerit vitam, non
iudicatur? Maximè quidem: non enim verè fideles sunt
eiuscemodi, vt Paulus dicit. Tit. 1. Confitentur se nosse
deum, factis autem negant. Porrò quisquis non credit,
nihil opus habet vt à quoquam iudicetur, quum ipse pa-
lãm condemnet seipsum, & æternæ pœnæ reddat obno-

xium, hoc à se repellens, per quod licebat assequi vitam æternam. Ipsa enim incredulitas, condēnatio est. nā esse extra lucem, per se maximum supplicij est. Tob. 5. Quas le gaudium mihi erit qui in tenebris sedeo, & lumen cæli non video? Deinde quāuis gehennæ necdum sit traditus, congregauit tamē futuri supplicij occasiones. Sicut homicida tamen sententia iudicis non condēnetur, natura tamen rei condemnatus est: & Adam die qua comedit de ligno, mortuus est: quanuis uiueret, sententia tamen & natura rei mortuus fuit. Genes. 2. De ligno scientiæ boni & mali ne comedas, in quacunque enim die comederis ex eo, morte morieris. Augustinus: Nondum uenit iudicium, & iam factum est iudicium. Nouit dominus qui sunt eius. 2. Timoth. 2. Nouit qui permaneant ad coronam. 2. Tim. 2. Nam & qui certat in agone, non coronabitur nisi legitimè certauerit. Matth. 24. Qui perseuerauerit usque in finem, hic saluus erit. Nouit qui remaneant ad flammam, nouit in arca sua triticum, nouit & paleam. Matth. 3. Triticum congregabit in horreum suum, paleas uero comburet igni inextinguibili. Nouit segetem, nouit zizania. Matth. 13. In tempore messis dicant messoribus: colligite primū zizania, & alligate ea in fasciculos ad comburendum, triticum autem congregare in horreum meum. Quis enim non intelligit, merito illum & suapte culpa petire, qui nolens ac sciens amplectitur id per quod perit, & auersatur id per quod salus poterat restitui? Actuum. 4. Non est in alio aliquo salus, nec enim aliud nomen est sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri. Matt. 1. Vocabis nomen eius Iesum, ipse enim saluum faciet populum à peccatis eorum. Act. 10. Hic omnes prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen eius, omnes qui credunt in illum, Abac. 2. Ecce qui incredulus est, non erit recta anima eius in semetipso. iustus autem in fide sua uiuet. Si perit ægrotus, qui medico celat morbum ne sanetur, nonne ipse de se pronunciat quòd suo uitio perit? Filius enim dei, lux est mundi. Ioā. octauo. Ego sum lux mundi, qui uenit in mundum per incarnationis mysterium. Ioannis. 16. Exiui à patre, & ueni in mundum, Nam secundum diuinitatem in mu-

do erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognouit, Ioannis. 1. Quemadmodum enim lux corporalis se habet ad oculum corporalem, sic Christus ad animam. Fugit tenebras culpæ, error enim & peccata tenebræ sunt animorum. Esa. 49. Dedi te in lucem gentiū, ut aperires oculos cæcorum. Mat. 4. Populus qui ambulabat in tenebris, uidit lucem magnam: sedentibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis. 1. Io. 2. Tenebræ transierunt, & uerū lumen iam lucet. Illuminat lumine gratiæ. Ioā. 1. Erat lux uera quæ illuminat omnem hominem uenientem in hunc mundum. Psal. 4. Signatum est super nos lumen uultus tui domine, dedisti lætitiā in corde meo. Lætificat affectū animæ. Eccle. 11. Dulce lumen, & delectabile est uidere solem. Demōstrat uiam uitæ. Psal. 38. Domine, in lumine uultus tui ambulabunt, & in nomine tuo exultabunt tota die, & in iustitia tua exaltabuntur. Esa. 60. Ambulabunt gentes in lumine tuo, & reges in splendore ortus tui. Ioā. 8. Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen uitæ. Non autem solum in hoc peccauerunt, quòd non quaesierunt lucē: sed hoc pessimum est; quòd lux ad illos uenit, & illam nō susceperunt, sed magis tenebras, hoc est, peccata dilexerunt. Peccata tenebræ dicuntur, quia rationem obnubilant. Iob. 38. Auferetur ab impiis lux sua. Ad tenebras perducunt. 1. Io. 2. Qui odit fratrem suum, in tenebris est, & in tenebris ambulat. & nescit quòd uadat, quia tenebræ obcæcauerunt oculos eius. Mat. 25. Seruū inutilem proiците in tenebras exteriores. Hinc admonet Apostolus Ro. 13. Abiciamus opera tenebrarum, & induamus arma lucis: sic ut in die honestè ambulemus.

Erant enim mala eorum opera. Omnis enim qui male agit, odit lucem: & non uenit ad lucē, ut non arguantur opera eius. Qui autem facit ueritatem, uenit ad lucem, ut manifestentur opera eius, quia in deo sunt facta.

Quia euāgelium non solum recta dogmata, sed & honestam uitam exigit, ipsi autem uolunt luto peccati inuolui, ideo nolunt impij ad lucem euāgelicam uenire; & se ipsi per fidem subdere. Prouer. 12. Via stulti recta in

oculis eius: qui autem sapiens est, audit consilia. Dionys. Nemo respiciens ad malum, operatur illud, non enim in quantum malum est, appetit illud, sed sub ratione alicuius boni apparentis, utpote delectabilis vel utilis. Chrysostomus: Propterea torquebuntur, quoniam tenebras dimittere & luci occurrere noluerunt: Nam si venisset iudicans, & noxas expetens factorum, dicere possent ob hoc se resiliuisse: nunc autem venit à tenebris eripere: quis ergo miserebitur eius qui non vult ad lucem accedere? Qui sibi mali conscius sunt, oderunt lucem evangelicæ veritatis, per quam produntur ea quæ turpia sunt, ut emundentur. Neque enim sanari potest qui morbum amat suum, sibi oportet displiceat peccator, ut deo placeat. 2. Timoth. 3. Omnis scriptura diuinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia, ut perfectus sit homo dei, ad omne opus bonum instructus. Naturaliter autem est peccatum erubescibile, quia ex peccato orta erubescencia. Gen. 2. Erat vterque nudus, Adam scilicet & vxor eius, & non erubescabant, (ante peccatum, sed post) unde Gen. 3. Vocem tuam domine (ait Adam) audiui, & abscondi me, eo quod nudus essem. Sed sunt quibus frons meretricis facta est, nolunt erubescere, Hier. 3. Qui peccatum suum ut Sodoma prædicant, Esa. 3. Qui latantur cum malefecerint, & exultant in rebus pessimis, Prou. 2. Nam talis in peccatis habet complacentiam & delectationem, quod nolunt de ipsis argui, nec arguenti acquiescere. Amos. 5. Odio habuerunt arguentem in porta, & loquentem perfecte abominati sunt. Eccle. 8. Etenim quia non profertur citatio contra malos sententia, filij hominum absque illo timore perpetrant mala. Alij sunt hypocritæ, humana vitæ vituperia, non diuina formidantes iudicia. Job. 36. Simulatores & callidi prouocant iram dei. Ephe. 5. Quæ in occulto fiunt ab ipsis, turpe est & dicere. Valde ergo periculosum est non venire ad lucem. Ioan. 12. Qui ambulat in tenebris, nescit quod vadat: Nam vadit nesciens in profundum inferni quasi lapis, Prouerbiior. 14. Est via que videtur homini recta, & nouissima eius ducunt ad mortem, Prouer. 14. Via impiorum tenebrosa, nesciunt ubi corruunt. Sed odire lucem, periculosissimum: quia non

venire, est se non præparare gratiæ: sed odire, est gratiæ reniti & contradicere. Job. 24. Ipsi fuerunt rebelles luminis, nescierunt vias eius, nec reuersi sunt per semitas eius Chrysostomus: Qui malorum sibi conscius est, ante iudicem sargere solet: ignoscenti verò, qui deliquerunt, occurrere solent. Huic ergo occurrere decus erat, qui peccata venit dimittere: quare non dixit, qui malè egit, sed qui agit, qui semper vult voluptuari in malo. Porro qui facit veritatē, & aspirat & contendit ad vitam quæ deo placeat, is ad euangelicam venit lucem, quod magis in bono proficiat, & appareant eius opera secundum deum facta. Qui talis est, is cum fide recta & vitam quoque honestam instituit, lucetque omnibus hominibus, & in illo glorificatur deus Matthæi quinto: Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum qui in cælis est. Dicuntur facere veritatem, vitæ doctrinæ, & iustitiæ, quia à deo qui est veritas. Ioannis decimoquarto: Ego sum via, veritas, & vita. Ioan. 15. Sine me nihil potestis facere. Ephe. 4. veritatem autem facientes, in charitate crescimus in illo per omnia, qui est caput Christus. Ioan. 17. Sermo tuus veritas est. Ducunt ad veritatem. Psal. 42. Emitte lucem tuam & veritatē tuam, ipsa me deduxerunt & adduxerunt in montem sanctum tuum, & in tabernacula tua. 1. Ioan. 2. Qui diligit fratrem suum, in lumine manet. Augustinus: Fratres, quorum inuenit dominus bona opera? Nullorum. Quomodo ergo quidam fecerunt veritatem, & venerunt ad lucem, id est Christum? Sed dilexerunt, inquit, magis tenebras quam lucem, ibi posuit vim. Multi dilexerunt peccata sua, multi sua sunt confessi. Initium autem bonorum operum, confessio est malorum. Quid ergo est facere veritatem? non te palpes, non tibi blandiaris, non dicas iustus sum, cum sis iniquus, & incipis facere veritatem. Venis ad lucem, ut manifestentur opera tua quia in deo sunt facta: quia & hoc ipsum quod tibi displicet peccatum tuum, deus fecit. Non tibi displiceret nisi deus tibi luceret, & veritas eius tibi ostenderet. Sed qui admonitus diligit peccata sua, odit admonentem lucem, & fugit eam, ut non arguantur opera eius mala quæ diligit. Venient finaliter ad lucem, velint nolint: quando dominus illuminabit abscondita tenebrarum.

rum, & manifestabit consilia cordium, & tunc laus erit unicuique à deo. 1. Corin. 4. Elucescit ex his, quàm iustitia res sit audax, secunda, iucunda, victoriosa. Roman. 13. Vis non timere potestatem? bonum fac, & habebis laudem ex ea. Esaiæ. 30. Iuxta est qui iustificat me, quis contradicet mihi? Romanorum. 8. Si deus pro nobis, quis contra nos? Contra, iniustitia pusillanimitas, Sapient. 17. Cum enim sit timida nequitia, data est in omnium condemnationem. semper enim præsumit saeva, perturbata conscientia. Job. 15. Sonitus terroris semper in auribus illius: & cum pax sit, ille semper insidias suspicatur, Prouerb. 28. Fugit impius nemine persequente. Iustus autem quasi leo confidens, absque terrore erit.

DE QUERELA BAPTISMI Christi, Ioannis tertio.

ARTICVLVS VI.

Ioan. 3.
K

Post hæc uenit Iesus & discipuli eius in terram Iudæam, & illic morabatur cum eis, & baptizabat. Erat autem & Ioannes baptizans in Ennò iuxta Salim, quia aquæ multæ erant illic. Et ueniebant multi & baptizabantur: nondum enim missus fuerat Ioannes in carcerem. Facta est autem questio ex discipulis Ioannis cum Iudæis de purificatione. & uenerunt ad Ioannem, & dixerunt ei: Rabbi, qui erat tecum trans Iordanem, cui tu testimonium perhibuisti, ecce hic baptizat, & omnes ueniunt ad eum.

Ostendit quàm gloriose Ioannes de Christo absente testatus sit, filium dei è caelo missum in salutem credentium pronuncians. Iactis enim euangelicæ gloriæ fundamentis in Galilæa & Hierosolymis, Iesus quò magis ac magis propagaretur euangelium, profectus est in terram Iudæam: atque illic aliquandiu commoratus cum discipulis suis, hisdem initiis exordiens prædicationem

euangelicam, unde cœperat Ioannes. Prouocabat enim ad pœnitentiam, & baptizabat. Sicut dicit Augustinus: Christus primò per seipsum baptizauit, præsertim apostolos, nec dubium quin proprio baptismate gratiam conferente, postmodum apostolis commisit, & ipse prædicationi intendebat, unde infra quarto dicitur: Quamquam Iesus nõ baptizaret, sed discipuli eius. Sic & Paulus. 1. Corinthiorum. 1. Non enim misit me Christus baptizare, sed euangelizare. Ennon non procul à Salim, quod Syris sonat scatebras, unde illic baptizandis superpetebat aquæ copia. Nonnulli se conferebant ad Iesum, & à discipulis illius baptizabantur. atque hinc inuidia orta quibusdam discipulis Ioannis aduersus Iesum, quòd quum ipse nuper baptizatus à Ioanne, seque ueluti pro discipulo illius gessisset, ac illius testimonio fuisset populo commendatus, nunc repente sese æquaret illi, imò se illi anteponeret, cuius discipuli præsumeret, quòd hætenus solus Ioannes fecisset. Atque hic humanus discipulorum affectus Ioannis, profectus ad gloriam Christi, & euidentiùs etiam testimonium Ioannis de Christo elicit. Iudæus quidam præferebat baptismum discipulorum Christi, baptismum Ioannis: discipuli uerò Ioannis, sui magistri: quare Ioannem adierunt, ut sui baptismi honorem defenderet. Quem tu clarum fecisti, inquit, eadem audeat quæ tu: & omnes ad illum currunt, te contempto: & ita futurum est, ut per illum tuâ autoritas minuatur & obscuretur: ac tu ipse in causa es, quum illum sic magnificaris. Job. 5. Paruulum occidit inuidia. Philip. 2. Nihil per contentionem, neque per inanem gloriam. Cyrillus: Hic stultus discipulorum zelus à Ioanne damnatur, qui sic discipulorum suorum prauo affectui mederi studuit, ut ostenderet sese non solum non ægrè ferre quòd Iesus gloria indies crescens suam obsecuraret, uerum etiam uolenter gaudere se munus delegatum explese, nunc adesse Christi tempus, qui longè sublimiora præstaturus esset. Sic Moyses, Iosue dicenti Nume. undecimo. de prophetantibus, Domine prohibe eos, respondit: Quid æmularis pro me? Quis tribuatur ut propheteret omnis populus, & det eis dominus spiritum suum?

Salim
quod sonet.

Respondit Ioannes & dixit: Non potest homo accipere quicquam, nisi fuerit ei datum de caelo. Ipsi uos mihi testimonium perhibetis, quod dixerim, non sum ego Christus, sed missus sum ante illum. Qui habet sponsam, sponsus est. amicus autē sponsi qui stat & audit eū, gaudio gaudet propter uocem sponsi. Hoc ergo gaudium meum impletum est. illum oportet crescere, me autē n. i. nui. Qui de sursum uenit, super omnes est.

Nisi supernè datū esset, neuiquam creuisset cui inuidetis: & ita in duobus peccatis, nam & contrarij estis diuino consilio, & attentatis impossibile. Augustinus: Christus dat, homo accipit. ex se nihil habet nisi quod imbecille, quod imperfectum, imò perditionē ex se inuenit, ex deo autem fortitudinem & salutem. Ose. 3. Perditione tua Israel, tantummodo in me auxilium tuum. 2. Cor. 5. Non quòd sufficientes simus cogitare aliquid à nobis tanquam ex nobis, sed sufficientia nostra ex deo est. 1. Corin. 4. Quid enim habes quod non accepisti? Quod muneris mihi delegatum est iuxta modum meum, id bona fide peregi. Ipsi testes estis, quòd non semel publicè professus sum me non esse Christum, quē multi putabant esse, nec in aliud esse missum, quàm ut præcurrens, illi uenienti uiam præparem. famulus illius sum, ille dominus est. Luc. 3. Existimate autem populo, & cogitantibus omnibus in cordibus suis de Ioanne, ne fortè ipse esset Christus, respondit Ioannes, dicens omnibus: Ego quidem aqua baptizo uos, ueniet autem fortior me post me, cuius non sum dignus soluere corrigiam calceamentorum eius ipse uos baptizabit in spiritu sancto & igni. Act. 13. Huius (Dauid) ex semine deus secundum promissionem eduxit Israel saluatorem Iesum, prædicante Ioanne ante faciem aduentus eius, baptismū poenitentiae cuncti populo. Cùm impleret autē cursum suum, dicebat: Quem me arbitramini esse, non sum ego, sed ecce uenit post me, cuius non sum dignus calceamenta pedum soli ere. Quia enim discipuli Ioannis minus dignè senserunt de Iesu, ideo Ioānes magnificentia ipsius fidelissimè & clarissimè pandit. Quòd si ille, inquit, innotē-

scit mundo, suaque gloriā meam obscurat, gaudeo meū testimonium uerum esse: video enim sponsum Christum loquentem sponsæ, populo scilicet, & ipsum docentem. Amicus sponsi non inuidet sponso suam felicitatem, neque præripit illi sponsam suam, sed gratulatur ei, cui fauet ex animo, & astat illi tacitus, magnòque animi gaudio audit uocem spōsi, colloquentis cum sponsa. ita ego, cui nihil erat optatius, gaudio perfundor, intelligens rebenè succedere, Sponsus ergo Christus, Ecclesia sponsa, Sponsus. cuius in humanitate sibi naturam copulauit, peccato secluso. Roma. 8. Deus filium suum mittens in similitudinē carnis peccati, de peccato dānauit peccatū in carne, ut iustificatio legis impleretur in nobis. Hinc omnes animæ Christianæ, sponsæ censentur nomine. 2. Cor. 11. Ac- Sponsæ. mulor uos dei æmulatione. respondi enim uos uni uero uirginem castā exhibere Christo. Thalamus ubi co- Thalamus. pula sit, locus baptismatis, hoc est, ecclesia. Dat arabonem sponsæ, peccatorum remissionem spiritu sancti communionem. Ephe. 1. In quò credentes signati estis spiritu promissionis sancto, qui est pignus hereditatis nostræ, in redemptionem acquisitionis, in laudem gloriæ ipsius. Perfectiora uerò in futuro præstabit, quando dignos in meliora & perfectiora introducet. Mat. 25. Et quæ paratæ erant, intrauerunt cum eo ad nuptias. Apoc. 19. Gaudeamus & exulemus, & demus gloriam deo, quia uenerunt nuptiæ agni, & uxor eius præparauit se. Et datum est illi, ut cooperiat se byssino splendenti & candido. byssinum enim iustificationes sunt sanctorū. Est hic spōsus nobilissimus, quia rex regum & dominus dominantium, Apoc. 19. Psal. 18. Ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo, exultauit ut gigas ad currendam uiam, à summo caelo egressio eius, & occursum eius usque ad summum eius. Ioan. 3. Nemo ascendit in caelum, nisi qui descendit de caelo, filius hominis qui est in caelo. Liberalissimus, quia seipsum impendit pro sponsa. Ephe. 5. Viri, diligite uxores uestras, sicut & Christus dilexit ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in uerbo uitæ, ut exhiberet ipse sibi gloriosam ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid huiusmodi, sed ut sit san-

sta & immaculata. Fidelissimus, nunquam deserens, & desertos reuocans. Epheſi. quinto: Nemo vnquam carnem suam odio habuit, sed nutrit & fouet eam, sicut & Christus ecclesiam, quia mēbra sumus corporis eius, de carne eius, & de ossibus eius. Propter hoc relinquet homo patrem & matrem & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne vna. Sacramētum hoc, magnū est, ego autem dico in Christo & in ecclesia. 1. Corinth. 6. Qui adhæret deo, vn^o spiritus est. Sed. 2. Corinth. vndecimo: Timeo autem (ait Apostolus) ne sicut serpens seduxit Euam astutia sua, ita corrumpantur sensus vestri, & excidant à simplicitate quæ est in Christo Iesu. Hinc amatores mūdi, Iaco. quarto, adulteri appellantur. Adulteri, inquit, nescitis quia amicitia huius mundi inimica est dei? Quicumque enim voluerit amicus esse seculi huius, inimicus dei constituitur. Ose. 9. Noli lætari Israel, noli exultare sicut populi, quia fornicatus es à deo tuo. Psalm. 72. Quia ecce qui elōgant se à te, peribunt: perdidisti omnes qui fornicantur abs te. Est vitium piissim^o. Hier. 3. Vulgò dicitur: si dimiserit vir uxorem suam, & recedens ab eo duxerit virum alterū, nunquid reuertetur ad eam vltra? Nunquid non polluta erit & contaminata mulier illa? Tu autem fornicata es cum amatoribus multis: tamen reuertere ad me, dicit dominus, & ego suscipiam te. Ose. secundò: Ecce ego sepiam viam tuam spinis, & sepiam eam maceria, & semitas suas non inueniet. & sequetur amatores suos, & non apprehendet eos: & quæret eos, & non inueniet, & dicet: Vadam ad virum meum priorem, quia bene mihi erat tunc magis quàm nunc. Esa. 62. Gaudebit spōsus super spōsam, & gaudebit super te dominus deus tuus. Superius turbæ loquens Ioannes, quæ Christi maiestatem non nouit, indignum se dixit soluere corrigiam calceamentorum, Luc. tertio, nunc autem discipulis inuidia tatis, & Ioannem à Christo auertere conantibus, se dicit amicum, quò & ipsos ad Christi amicitiam prouocaret. Oportet igitur illum, qui hactenus longè minor habitus est quàm est, crescere, & fama & gloria augeri: me autem qui maior habitus sum quàm eram, decet minui. quem admodum lucifer superueniente sole non extinguitur, sed occultatur, Paulatim declarauit se deum esse, & non

repente: Ioannes verò præcursor cognitus est & propheta. Matthæi. 21. Omnes enim habebant Ioannem sicut prophetam. Augustinus: Venit ille ut minueretur hominis gloria, & aueretur gloria dei, & ita oportet illud dare, me autem accipere: illum glorificari, me confiteri. Minuamur hic per humilitatem, & deus exaltabit illic per gloriam. Ecclesi. 3. Quantò magnus es, humilia re in omnibus, & coram deo inuenies gratiam: quoniam magna potentia dei solus, & ab humilibus honoratur. Qui de cælo venit, humanam assumens naturam, Ioannis. 16. Exiui à patre, & veni in mundum. Baruc. 3. Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est, perfectione naturæ quo ad diuinitatem, & excellentia gratia quo ad assumptam humanitatem, omnem excellit creaturam.

Qui de terra est, de terra est, & de terra loquitur: qui de cælo uenit, super omnes est: & quod uidit & audiuit, hoc testatur, & testimonium eius nemo accipit. Qui autem acceperit eius testimonium, signauit quia deus uerax est. Quem enim misit deus, uerba dei loquitur. Non enim ad mensuram dat deus spiritum. Pater diligit filium, & omnia dedit in manu eius. Qui credit in filium, habet uitam æternam: qui autem incredulus est filio, non uidebit uitam, sed ira dei manet super eum.

Quid enim aliud potest homo, quàm humana loqui? ipse verò, ait Ioan. 3. Quod scimus loquimur, & quod uidimus testamur, & testimonium nostrum non accipitis. Qui enim ueritatem non attendunt, ipsius testimonium non recipiunt. Lucæ septimo. Pharisei autem legisperiti consilium dei spreuerunt in semetipsis. Ioannis. 1. Sui eum non receperunt. Verè Omnes quæ sua sunt quærun, non quæ Iesu Christi. Qui autem Christo credit, ostēdit quòd deus uerax est, ex eo quòd credidit ei à quo missus est. Verba enim dei locutus est. Ioannis septimo: Mea doctrina nō est mea, sed eius qui misit me. Qui ergo homini diffidit, parum est: sed qui non credit illi qui

filius est vnicus, facit deū mendacem. Ioan. 12. Qui spernit me, & nō accipit verba mea, habet qui iudicet eum, sermo quem locutus sum, ille iudicabit eum in nouissimo die. quia ego ex meipso nō sum locutus, sed qui misit me pater, ipse mihi mandatū dedit quid dicam, & quid loquar. Quisquis igitur accipit testimonium filij, is credens filio, certō cōfirmat deum esse veracem, qui loquitur in filio. Et nos docemur, non nostra sponte, neque proprio motu debere fungi euangelico munere, sed aut uocatione à deo, sicut Ioannes Luc. 3. aut ordinatione cœtus ecclesiastici, quod Matthia electio, Act. 1. Pauli segregatio planissimè edocent. Act. 13. Ministrantibus illis & ieiunantibus, dixit illis spiritus sanctus: Segregate mihi Saulum & Barnabā in opus ad quod assumpsi eos. Romano. 10. Quomodo prædicabunt nisi mittantur? Hinc dominus conuenitur Hier. 23. Non mittebam prophetas. & ipsi currebant: non loquebar ad eos, & ipsi prophetabant. Si stetissent in consilio meo, & nota fecissent verba mea populo meo, auertissem utique oēs à via sua mala, & cogitationibus suis pessimis. Locutus est deus per prophetas, & vnique pro modulo suo spiritum suum impartit: sed huic vnico filio suo non dedit spiritum ad mensuram, id est, vnā atque alteram virtutem, sed ipsum integrum substantialiter vt consubstantialē, non à quo operationem recipiat vt prophetæ, Col. 2. Quia in ipso inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. Vnde Ioā. 1. De plenitudine eius omnes nos accipimus. Ephe. 4. Vnuique autem nostram data est gratia secundum mensuram donationis Christi. Legimus sanctos orando spiritum sanctum dedisse, Act. 8. sed Christus omnibus ex sua amplitudine elargitur, soli enim diuinæ id seruatum est potestati. 1. Cor. 12. Diuisiones gratiarum sunt, idem autem spiritus, diuidēs singulis prout vult. Diligit enim pater filium, non simpliciter vt omnia, Sap. 11. Diligis enim omnia quæ sunt, & nihil odisti eorum quæ fecistis. sed in cōprehensibili affectu. Marc. 1. Tu es filius meus dilectus, ait pater de cœlis. Omnia tradidit ei in manus, non se spolians sua potētia. sed huic eandē quam habet virtutē communicans, Mat. 11. Omnia mihi tradita sunt à patre meo, Quia enim oēs

declinauerunt, & omnia per verbum restaurata sunt, dignum est vt agnoscant ipsum verbum. Colossen. 2. Quia in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliari omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis eius, siue quæ in terris, siue quæ in cœlis sunt. 1. Corinth. decimoquinto. Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur. Matthæi vigesimooctauo. Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra. Dominatur enim omnibus, etiam siquidē noluit, postea enim in secundo aduentu quando omne genua flectetur ei. Philip. secundo. perfectum accipiet dominium, quando malitia non vltra habebit virtutem, sed inefficax manens, ostendet naturā boni à principio omnibus iaditam & omnia continentem. Qui credit fide per charitatem operante, Galat. 5. vitam habet nunc in spe. Roma. 8. Spe salui facti sumus. Roma. 5. Spes autem non confundit. Recusat autem, qui non credit filium posse largiri quæ pollicetur, simulque patrem mendacij insimulat, qui per filium vana polliceatur. Qui autem diffidit filio, quoniam ipse sibi velut oculos occludit ne lucem aspiciat, non videbit vitam, quoniam hæc lux est vita hominum, Ioan. 1. sed ipse in peccatis permanens, manet obnoxius vltioni diuinæ, hoc est, morti aternæ. Nam qui sponte recessit à vita, quo pacto habebit eam? Col. 3. Cū Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria. Nam per fidem habitat in cordibus nostris. Ephel. 3. Nec solum vita priuatur, sed & ira dei manet super eum, ne mortē credas temporalem, quia perpetuum erit supplicium. Heb. 10. Horrēdum est incidere in manus dei viuētis. Eccle. 5. Misericordia & ira cito ab illo proximāt, & in peccatores respicit ira illius. Psal. 88. Exardescet sicut ignis ira tua, Vnde Psalm. 5. Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripas me. Romanorum. 1. Reuelatur enim in ira dei de cælo super omnem iniquitatem & iniustitiam hominum eorum, qui veritatem dei in iniustitia detinent.

PARS SECUNDA:
DE MULIERE SAMARITANA,
Ioannis quarto.

ARTICVLVS VII.

Ioan. 4.
L

VT ergo cognouit Iesus, quia audierunt Pharisei quod Iesus plures discipulos facit quam Ioannes, & baptizat, quanquam Iesus non baptizaret, sed discipuli eius, reliquit Iudeam, & abiit iterum in Galileam. Oportebat autem cum transire per mediam Samaritaniam.

Iesus ab inimicis traditus, quid nobis insinuet.

Cognouit reuelatione aliorum, malè ob id audire nomen suum, quia gloriam Ioannis, quem ipsi pharisei suspicabant, sua prædicatione & baptizatione obscuraret, qui secundum quod deus, omnia nouit. Hebræo. quarto, Omnia nuda & aperta sunt oculis eius. Tamen Iesus non baptizaret, iam tum ostendens præclarior esse munus euangelizandi, quam baptizandi. Quauis autem potens esset cohibere inuidentes sibi, etiam si impetu quodam nunc irgerent, secessit tamè, ne uideretur phantasticum habere corpus. siquidem sepe per medium illorum exiret. Volebat omnem occasionem caluniandi Iudæis excidere, ne dicere possent quod relictis illis concesserit ad gentes quas abominabantur. Quando autem abegerunt eum, tunc accessit ad gentes: neq; tunc ex proposito, sed obiter, docens nos ut parcamus inimicis, & omnimodo tentemus, non eis dare occasionem scandali & inuidia. Secundò, ne iniiciamus nos temerè & inutiliter in tétationem, sed secedamus ad tēpus, donec insania resideat. Tertio, ut insinuares quod ingratum quandoq; uerbum dei subtrahendum sit, ne deteriores reddantur. Mat. 7. Nolite sanctum dare canibus, neque mittatis margaritas uestras ante porcos, ne fortè conculcent eas pedibus suis, & canes conuersi dirumpant uos. Pro. 9. Qui erudit derisorem, ipse iniuram sibi facit: & qui arguit impium, sibi maculam generat. Noli arguere derisorem, ne te oderit: argue sapientem, & diliget te. Quarto, secundum Cyrillum, ac in a-

ARTICVLVS VII.

40

benigenas transiione minari pellentibus uidetur, in alios se ab eis, nisi respiciant, gratiam translaturum. Sic Act. 14. Vobis oportebat primum loqui uerbum dei: sed quoniam repellitis illud, & indignos uos iudicatis æternæ uitæ, ecce conuertimur ad gentes. sic enim nobis præcepit, deus (ait Paulus Iudæis) Ideo Apoca. 3. Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam. Erat autem illi iter per mediam terram Samaritanorum.

*U*enit ergo in ciuitatem Samaria, quæ dicitur Sichar, iuxta prædium quod dedit Iacob, Ioseph filio suo. Erat autem ibi fons Iacob. Iesus autem fatigatus ex itinere, sedebat sic supra fontem. hora autem erat quasi sexta uenit mulier de Samaria haurire aquam. dixit ei Iesus: Da mihi bibere: Discipuli enim eius abierant in ciuitatem ut cibos emerēt. Dixit ergo ei mulier illa Samaritana: Quo modo tu Iudæus cum sis, bibere à me possis, quæ sum mulier Samaritana? non enim contuntur Iudæi Samaritanis. Respondit Iesus & dixit ei: Si scires domum dei, & quis est qui dicit tibi, da mihi bibere, tu forsitan petisses ab eo, & dedisset tibi aquam uiuam. Dixit ei mulier: Domine, ne que in quo haurias habes, & puteus altus est: unde ergo habes aquam uiuam? Nūquid tu maior es patre nostro Iacob, qui dedit nobis puteum, & ipse ex eo bibit, & filii eius, & pecora eius? Respondit Iesus & dixit ei: Omnis qui bibit ex hac aqua, sitiet iterum: qui autem biberit ex aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in uitam æternam, Dixit ad eum mulier: Domine, da mihi hanc aquam, ut non sitiam, neque ueniam huc haurire.

Quam obuia diuina sit benignitas omnibus, piè & simpliciter ueritatem inquirentibus, in hac Samaritana ostendit. Vbiq; occasionem captat, quò humani generis peragat salutem. Sichar, aliàs Sichem dicta, Genes. 33.

ubi partem agri Iacob, 100. agnis emit in possessionem à filiis Emor patris Sichem, quam postea filij ipsius obstrum Dinæ sororis suæ, occisis habitatoribus, desolarūt, Genes. 34. Iacob in morte prædium illic Ioseph in possessionem dedit, Gene. 48. Iesus igitur è longinquo fessus itinere, quod pedes confecerat, utpote à factu & rerum abundantia alienus, non utendo iumentis, nobis iam tum præbens exemplum, qualem oporteat esse euangelij præconem, sedebat illic ut se dabat locus, non super sedē, sed simpliciter super pavimento. Erat quasi sexta, quum iam sol vergens ad meridiem, aestu suo laboris molestiā conduplicat, atque his indicij Iesus declarabat se verum hominem esse, eisdem affectionibus obnoxium, quibus obnoxia sunt cæterorum hominum corpora. Hilar. Non poteramus aliàs dei verbum cognoscere, nisi locutus & perpeffus aliqua ut homo fuisset. Discurrebat in paupertate & labore, quarens ouem quæ perierat. Luc. decimonono: Venit filius hominis quærere & saluū facere quod perierat. Dominus ut mulieri præberet colloquij argumentum, & ex hoc quod agebat mulier, venaretur illam ad salutem, potum pustulabat, Aug. Omnium salutem sitiebat, qui pro omnibus sanguinem fudit. Hac tamen in re, ciuilitatis & mansuetudinis exemplum exhibuit euangelicis prædicatoribus, qui peccatricibus, & nõ vni prostituta, impudicæ, solitudine cõsuluerit, Esa. 42. Calamum quassatū nõ conteret, & linum fumigans non extinguet. Admirans mulier ciuilitatem & humilitatem Iesu, ait: Qui sit ut tu Iudæus cum sis, quemadmodum è sermone cultuque conicio, præter morem Iudæorum, à muliere Samaritana poscas potum, quum soleatis vos Iudæi à commercio Samaritanorū abhorreere, nefas ducentes si quid habeatis consuetudinis nobiscū? Erant enim duplici nomine ipsis odiosi, quia idolis seruientes, cum hoc dominū colebant. 4. Reg. 17. quam in monte Garisim non in Hierusalem, adorabāt, quemadmodū Iudæi, & quia terram ipsorū occupabant. Erant autem Iudæi simbriis distincti à cæteris gentibus, quibus cognoscebantur. Nu. 15. Præcipe filiis Israel, ut faciant sibi simbrias per angulos quatuor palliorū, vnde legimus de domino, Matth. 14. Rogabant eū ut vel simbriam vestimenti eius tangerent: & quæ

tūque tetigerunt, salui facti sunt. Iesus autē qui non tāsitiebat aquam illā, (tamen si verē iuxta carnis naturā sitiebat,) quæ animarū salutē, sensim pellicit mulierculā ad cognitionem euangelicæ gratiæ, respondēs per enigma, quod magis accenderet in illa discendi studiū. Si cognouisses, inquit, quā eximiū sit donum quod nūc vobis offertur, quid donet deus, nepe æterna & incorruptibilia: scires autē & me, quod quum deus sim, & possim hæc tibi dare, tu petiisses utiq; & accepisses aquam viuam, per quam humana natura ariditate infœcunditateq; quæ diaboli artibus infecta fuerat, depulsa, ad pristinā pulchritudinē ac viriditatem recurrit, magno florum, hoc est, virtutum numero & charitate erga deum suauissimos fructus producens. verē si cognosceremus doni dei nobilitatem & nostram infirmitatem, seruidē peteremus. Nam dat spiritū bonum petentibus se, Lucæ. 11. Gratia spiritus sancti, aqua dicitur, quia purificat. Ezech. 36. Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus iniquamentis vestris, & ab idolis vestris mundabo vos, & dabo vobis cor nouum. & spiritum meum ponam in medio vestri. Refrigerat. Matth. 11. venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Io. 7. Qui sitit, veniat ad me & bibat. Psalmist. 41. Sitiuit anima mea ad deum fontem viuum. Tertio, fœcundet. Psal. 1. Erit tanquam lignū quod plantatū est super aquas, quod fructum suū dabit in tempore suo. Hiere. 17. Benedictus vir qui cõfidit in domino, & erit dominus fiducia eius, & erit quasi lignum quod transplantatur super aquas, quod ad humorem, mittit radices suas, & non timebit cū venerit aestus. Et erit folium eius viride, & in tempore siccitatis non erit sollicitum, nec aliquando desinet facere fructum. Hinc dicitur aqua viua, quia semper agilem ad bonum facit animam. Psalmista. 12. Super aquam refectiois educauit me, animam meam conuertit, deduxit super me semitas iustitiæ, propter nomen suum. Aqua hæc de petra fuit. primæ Corinthiorum decimo: Bibebant omnes de spiritali cõsequente eos petra: petra autem erat Christus. Nu. 20. Cū eleuasset Moyses manum, percutiens bis silicem, egressæ sunt aquæ largissimæ, ita ut populus biberet & iumenta. Vnde Apoc. 22. Qui sitit, veniat: & qui vult, acci-

piat aquam vitæ gratis. Sed heu, Hier. 2. Duo, inquit dominus, mala fecit populus meus: me dereliquerunt fontem aquæ vitæ, & foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas. Mulier sensui carnis ad hærens, de materiali aqua intelligens, ait: Tum mihi polliceris aquam hac præstantiorem. Vnde igitur suppetit tibi aquæ vitæ copia quam promittis, quum nec situlam in qua, nec chordam cum qua haurias, habeas? Nam Iacob ex hoc fonte bibit, ob eius bonitatem, & filij ac pecora propter eius copiam. Beda: Ideo Iacob patrem nominat, quia sub lege vivebat. 4. Reg. 17. in qua magnæ reputationis fuerunt Abraham, Isaac, & Iacob. Vnde domini Iudæi dixerunt, Ioan. 8. Nunquid tu maior es patre nostro Abraham? Non indignatur dominus illam paulatim allicere ad maiorem sui admirationem, ostendens aquam esse spirituale de qua loquebatur, quæ non reficeret corpora, sed animas. Si miraris, inquit, Iacob qui talem dedit aquam, multo magis admirari oportet eum qui præbet longè meliorem. Quam enim ego do, fons sit aquæ vitæ salientis in vitam æternam; in diesque magis ac magis multiplicatur. Qui ergo hanc bibit aquam, sitiet iterum, quia habet causam temporalem & deficientem: qui autem eam bibit quam ego do, non sitiet, quia causam habet indeficientem & perpetuam, spiritum sanctum. Facit enim animam transilire temporalia, & in æternam pertingere vitam. Est enim pignus hereditatis nostræ, Ephe. 1. Psalmist. 83. Gratiam & gloriam dabit dominus. Sitis capitur quandoque pro desiderio rei non habitæ. sic rerum temporalium sitim prouocat. Ecclesiast. 5. Auarus non implebitur pecunia: & qui amat diuitias, fructum non capiet ex eis. Sic diues, Luc. 12. qui cogitans collectis bonis requie & deliciis se agere vitam, audiuit: Stulte hæc nocte repetunt animam tuam à te: & quæ congregasti, cuius erunt? Sic est omnis qui thesaurizat sibi, & non est in deum diues. Alio modo pro pleniori & perfectiori consecutione reitiam habita, sic qui habent gratiam, plenius & perfectius hic desiderant, & post, consummatam gloriam. Eccl. 24. Qui edunt me, adhuc esuriēt: & qui bibunt me, adhuc sitient: & qui operantur in me, non confundentur. Philip. tertio: Quæ quidem retro sunt obliui-

Sitis quibus aut quot modis capiatur.

scens, ad ea quæ sunt priora, extendens in seipsum, ad destitutum prosequor, ad brauium supernæ vocationis dei in Christo Iesu. Tertio, pro amore rei præsentis cum exclusione fastidij, sic sancti deum desiderant in patria. 1. Pet. 1. in quem desiderant angeli prospicere. Psalm. 18. Satiabor cum apparuerit gloria tua. Psalm. 35. Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos, quoniam apud est fons vitæ. Qui hac carent, sitient in æternum, sicut diues epulo, Luc. 16. Væ vobis qui saturati estis, quia esurietis. Ela. 65. Ecce serui mei comedent, & vos esurietis: ecce serui mei bibent, & vos sitietis: ecce serui mei lætabuntur, & vos confundemini: ecce serui mei laudabunt præ exultatione cordis, & vos clamabitis præ dolore cordis, & præ contritione spiritus vlulabitis. Mulier necdum ad spiritualia mentem eleuans, hanc petiit aquam, quò labore subleuaretur veniendi & hauriendi. Peramus & nos non temporalia, quæ sitim non extingunt: sed augent: sed spiritualia & æterna, quæ talem extingunt sitim. Philip. 3. Veruntamen existimo omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam Iesu Christi domini nostri, propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror vt stercorea, vt Christum lucrificiam. Psalm. 33. Gustate & videte quoniam suavis est dominus, beatus vir qui sperat in eo.

Dixit ei Iesus: Vade, uoca uirum tuum, & ueni huc. Respondit mulier & dixit: Non habeo uirum. Dixit ei Iesus: Bene dixisti, non habeo uirum. Quinque enim uiros habuisti, & nunc quem habes, non est tuus uir: hoc uerè dixisti. Dixit ei mulier: Domine, uideo quia propheta es tu. Patres nostri in monte hoc adorauerunt, & uos dicitis, quia Hierosolymis est locus ubi adorare oportet. Dixit ei Iesus: Mulier, crede mihi, quia ueniet hora quædo neque in monte hoc, neque in Hierosolymis adorabitis patrem. Vos adoratis quod nescitis: nos adoramus quod scimus, quia salus ex Iudæis est. Sed uenit hora & nunc est, quando ueri adoratores adorabunt

patrē in spiritu & ueritate: nā & pater tales querit qui adorēt eū. Spiritus est deus: & eos qui adorāt eū, in spiritu & ueritate oportet adorare. Dixit ei mulier: Scio quia Messias uenit, qui dicitur Christus. Cū ergo uenerit, ille nobis nūciabit omnia. Dixit ei Iesus: Ego sum qui loquor tecum.

Dominus itaque quasi non cōmunicaturus rem tantā, nisi marito præsente, iubet ut uirū suum accersat. Quia enim uerba ipsius non spiritualiter intellexit, procedit ad signa, & per prophetiam suam reuelat uirtutem, priores eius viros enumerās, & eū qui nunc ignoiebatur arguēs. Nō agrē tulit, nec aufugit, sed magis admirata est, & confortata de dogmatibus interrogat illum. Huc profecit mulieris fides & credulitas. primū, Iudæū duntaxat appellat, miratur non perinde tenacē religionis Iudaicæ, quod præter aliorum morem à Samaritana postulare potum, mox dominū appellat, nunc prophetici honorem tituli tribuit, quod ex sese aliorum nosset arcana, moxque omīso de rebus humiliorib⁹ sermone, capiēs ē prophetā sublimiora quædā discere, proponit quæstionem uelut inexplicabilem de ratione adorandi deum, quod hic lōgē diuersum sentirēt. Iudæi & Samaritani. Chrysostomus: Pu deat nos & erubescamus. quinque uirorum mulier atque Samaritana, tantā in dicendo adhibet diligentia, ut neq; diei tempore, neque aliis occupationibus à Iesu doctrina abducatur. nos uerò nihil ad diuinatū rerum eruditionē inquirimus, sed in omnibus securē & eodē modo afficimur, & ob id omnia negligimus. In mōtibus orare & sacrificare consueuerant. Hinc Abraham dicitū fuerat, Gen. 22. Tolle filium tuum quem diligis Isaac unigenitum, & uade in terrā uisionis, atq; ibi offeres eum in holocaustū, super unum mōtium quem monstrauero tibi. Hinc Samaritani in *Sarizim orandū censebāt, eò qd is locus à Moyse delectus esset, ubi patriarchæ benedicerēt populo seruanti præcepta dei. Cōtrā, Iudæi in Hierusalē: quia Deu. 12. specialis oblationum designatur locus, & 3. Regum. 9. à domino designatum est templum in domum orationis. Hinc dominus, Matth. 21. Scriptum est, domus mea

* *Carisim.*

domus orationis uocabitur. Esa. 56. cunctis populis. Sed utrorūque errorem corrigit dominus, fidem exigens mulieris. Esa. 7. Nisi credideritis, non intelligetis. Mulier, inquit, crede mihi, si uere prophetam existimas, iam, adesse tempus quando & Samaritanorum impurus cultus abolebitur, & Iudæorum religio carnalis transferetur in melius, neque posthac adorabitis patrem in hoc monte, qui non solū huius montis deus est, sed totius orbis: neq; Hierosolymis, sed ubicūq; erit piorum hominum congregatio, ibi futura est Hierosolyma. Vos adoratis quod nescitis, existimentes deum, non esse deum nisi Iudæorū & uestrum, & talem, ut dæmonum admittat consortium, cui soli debentur diuini honores. Esa. 42. Ego dominus, hoc est nomen meum: gloriam meam alteri non dabo, & laudem meam sculptilibus. 4. Reg. 17. Cū dominum colerent, diis quoque suis seruebant, iuxta consuetudinem gentium, de quibus translati fuerant Samaritani. Colentes idola, nesciūt quid colant. Nam. 1. Cor. 8. Scimus quia nihil est idolū in mundo, & quod nullus deus nisi vnus. Et idcirco salutis initium à Iudæis profectum est, qui per prophetas tenent promissa ueteri Messia, qui per legem tenent figuras & umbras euangelicæ pietatis. Nunc tēpus est, ut falsa religio gētium cedat euangelicæ ueritati: & carnalis cultus cedat spirituali, & umbræ legis cedant luci euangelicæ: non enim in solis lucis mutatio erit, sed & modus colendi deum alterabitur. Offendit ergo primò, deum loco non concludi, quia deus. Actu. 17. Deus qui fecit mūdum & omnia quæ in eo sunt, hic cæli & terræ cū sit dominus, non in manufactis templis habitat, nec manibus humanis colitur, indigens aliquo, cū ipse det omnibus uitam & inspirationem. Esa. 66. Cælū sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum. Ideo ubique inuocari potest & adorari. Psal. 102. In omni loco dominationis eius benedic anima mea domino. Augustinus: Fortē quæris aliquem locum altum & sanctum: intus exhibe te templum deo. In templo uis orare deum? in te ora, sed prius esto templum dei, quia ille in templo suo audit orantem. Secundò quòd odorandus spiritu, nō rebus corporeis, sed in quadā spiritus & mentis erectione & inflammatione. Ro. 8. Nā quid oremus sicut oportet.

ret nescimus, sed ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Qui autem scrutatur corda, scit quid desideret spiritus, quia secundum deum postulat pro sanctis. Non ergo excludit orationem vocalem, qui dixit Mat. 6. Quum oratis, dicite: pater noster. & ipse vocaliter orasse legitur, Ioan. 12. 17. Sic & in horto, Mat. 26. & cruce, Luc. 23. Hinc. 1. Cor. 14. Orabo spiritu, orabo & mente, Tertio, in veritate, non in typo & umbra, quia Iudaeorum obseruationum finis. 1. Cor. 5. Epulemur in azymis, synceritatis & veritatis. Hactenus enim satis umbris, ac figuris Moisaicae legis datum est, post haec ubiunque mens erit, per fidem, euangelicam à vitis pura, ibi templum erit deo dignum. Actū. 15. Fide purificans corda eorum. Vbiunque vota caelestia, preces purae, cogitationes sanctae, ibi vincimur quibus litatus deo. Psalm. 44. Propè est dominus omnibus inuocantibus eum, omnibus inuocantibus eum, in veritate. Augustinus: Patrem in veritate adorant, qui patrem aeternum in nomine filij inuocat, petendo quae salutis sunt. Ioan. 14. Quodcumque petieritis patrem in nomine meo, hoc faciam. Non adorant in veritate, qui intellectum falsa opinione de deo habent seductum, vel affectum peruersa operatione deformatum. Matth. 7. Non omnis qui dicit mihi, domine domine, intrabit in regnum caelorum: sed qui facit voluntatem patris mei, qui in caelis est, ipse intrabit in regnum caelorum. Dicendo, veri adoratores, signat quosdam falsos. Mat. 15. Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè est à me. Non ergo vno loco, vt Samaritani, sed in omni loco in spiritu & incorporaliter adorationem offerent, neque sicut Iudaei qui solum Hierusalem, & cum hoc figuralem & umbratilem futurorum ostensuum cultum adducunt, sed verum & nihil umbratile habentem. Hinc claret dominum caeremonias omnes nos sustulisse, sed Iudaicas & figurales, quum ipse sublatis in caelum oculis patrem orauerit. Ioan. 17. Sic positus in terra genuibus, Luc. 22. Imò procidit in terram in faciem suam, Mat. 26. Sic Stephanus positus genuibus, orauit pro lapidentibus Actū. 7. Neque specialem esse iocum orationis & oblationis prohibuisse, quum postea dixerit. Mat. 21. Scriptum est, domus mea domus orationis est. Unde discipuli post

Quas caeremonias
Obiectus
censulerit,
quas non.

assumptum Christum in caelum, erant semper in templo laudantes & benedicentes deum, Luc. 24. Sic accepro spiritus sancto, Petrus & Ioannes ascenderunt in templum ad horam orationis nonam, Actuum. 3. Sed singularem, quemadmodum templum. Deute. 12. & 16. quia vbiq; terrarum templa diuino nomini sunt dedicata. Mal. 1. Non est mihi voluntas in vobis, dicit dominus exercituum, & munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis vsque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda. Samaritana ad plenum non capit verba, Messiae, quaestionis decisionem relinquit. Is, inquit, explicabit nobis omnia, quae de nouo cultu dei dixisti. Nouerat instare tempus, quia quinque Moysi libros receperunt Samaritani, & ex fama Ioannis testimonium perhibentis, Ioan. 1. Quia studiosa erat, manifestè se ei reuelat. non sic autem Iudaeis, qui non discendi causa, sed calumniam di inquirebant. Expectas, inquit, Messiam veterum, hunc scito venisse, iamque vides illum. nam ego sum qui loquor tecum. Chryostomus: Si circa principium, hoc mulieri dixisset, videretur ex vanitate loqui: nunc autem paulatim in memoriam Christi reducens, nam primò Iudaeorum, secundò prophetam, tertio Messiam agnouit, magis opportunè reuelauit. Non enim rudibus neque contentiosis, sed illis se solet dominus reuelare hominibus, qui ad descendum propensiores, & credenti radices simplici sermone parturientes, ad perfectiorem cognitionem illuminati facilius ascendunt.

Et continuo uenerunt discipuli eius, & mirabantur, quia cum muliere loquebatur. Nemo tamen dixit, quid quaeris, aut quid loqueris cum ea? Reliquit ergo hydriam suam mulier, & abiit in ciuitatem, & dicit illis hominibus: uenite, & uidete hominem qui dixit mihi omnia quaecumque feci. Nunquid ipse est Christus filius? Exierunt ergo de ciuitate, & ueniebant ad eum. Interea rogabant eum discipuli, dicentes: Rabbi, manduca. Ille autem dixit eis: Ego cibum habeo manducare, quod

nos nescitis. Dicebant ergo discipuli ad inuicem: Nūquid attulit ei aliquis manducare? Dixit eis Iesus: Meus cibus est, ut faciam uoluntatem eius qui misit me, ut perficiam opus eius. Nonne uos dicitis, quod adhuc quatuor menses sunt, & messis uenit? Ecce dico uobis, leuate oculos uestros, & uidete regiones, quia albae sunt iam ad messem. & qui metit, mercedem accipit, & congregat fructum in uitam aeternam, ut & qui seminat, simul gaudet, & qui metit. In hoc enim est uerbum uerum, quia alius est qui seminat, & alius est qui metit. Ego misi uos metere, quod uos non laborastis: alij laborauerunt, & uos in labores eorum introistis. Ex ciuitate autem illa multi crediderunt in eum Samaritanorum, propter uerbum mulieris testimonium perhibentis, quia dixit mihi omnia quaecumque feci. Cum uenissent ergo ad illum Samaritani, rogauerunt eum ut ibi maneret. & mansit ibi duos dies. Et multo plures crediderunt in eum propter sermonem eius. & mulieri dicebant, quia iam non propter tuam loquelam credimus: ipsi enim audiuimus & scimus, quia hic est uere saluator mundi.

Considera, inquit Chrysostomus, quæso, hoc in loco discipulos nil ferentes, neque à principio diei ullam uisus curam habentes: sed quo tempore omnes prandent, cibos emptum proficiscuntur. Non ut nos, qui cum primū mane exurgimus, ante omnia coquos aduocamus, & de paradisi epulis & mensa diligenter uerba facimus: inde alijs operam damus, secularia diuinis præponentes: & quæ superflua habenda essent, tanquā necessaria exequimur. deo omnia præposterè aguntur, quia spiritualia quæ necessaria sunt, primò curanda: & quibus perfectis, hæc alia deinceps attingere oporteret. Cōspicati discipuli illum cum muliercula Samaritana collocutum, mirabantur illius tantam humanitatem, & quod contra morem cum alienigena sermonem misceret. Scientes uero non esse ociosum, non interrogauerunt. Mulier ergo relicta a pud puteū hydria, iam enim aquæ sitis exciderat, gusta-

ta aqua quæ promiserat Christus, properat in ciuitatem, quod etiam alios ad fidem adduceret. Augustinus: Mulier audito à Christo, ego sum, & ipso receptor in cor, proiecit cupiditatem, & properauit annunciare ueritatem. Chrysostomus: Sicut Apostoli à Christo uocati, dimiserunt retia, sic ista hydriam, & euangelistarum opus fecit: & non tantum unum, sed totam aduocat ciuitatem. Ita & nos, si quid boni in cōcione uel aliàs acceperim⁹, proximis communicare studeamus. Eccl. 17. Et mādauit illis unicuique de proximo suo. r. Pet. 4. Unusquisque sicut accepit gratiā, in alterutrum illam administrantes. Quoniam accensa fuit anima eius diuino igne, ad nihil eorū quæ in terra sunt respicit, non ad confusionem, non ad ignominiam, sed ad hoc solum, ut prædicet Christi gloriam. Non autem dicit, hic est Christus affirmatiuè, sed nūquid, uolens etiā illos calculū addere, & facere sermonem creditu faciliorem. Nolite, inquit, fidere uerbis meis, ipsi potius facite periculum, & me non uanam esse cōpērtis. Rogabant interim magna dilectione discipuli dominum manducare. Iesus autem ubique captans occasionem homines à corporalium rerum cura, ad spiritualium studium euehendi, quemadmodum mulierem ex mentione aquæ pellexerat ad cognitionem sui, ita discipulos adhuc rudes, ex occasione cibi prouocat ad studiū euangelizandi. Chrysostomus: Hominum salutem, cibum suum dicit, ostendens quanto desiderio nostram auebat salutem, maiori quidem quàm nos cibum corporalem. Prouerb. octauo: Deliciæ meæ esse cum filiis hominum. Hoc docet discipulos & pastores, ut minoris faciant cibum corporalem, omneque desiderium eò transferant, ut saluet homines. Sed Philip. secundo: Omnes quæ sua sunt quærunt, non quæ Iesu Christi. Ezechie. 34. Væ pastoribus qui pascebant semetipsos. Ideo primæ Corinth. decimo: Non quærens quod mihi uile est, sed quod multis, ut salui fiant. Non intelligentibus discipulis quod dixerat, quod magis insingeret animis eorum, obscure dictum, apertius dicit. Leuissimè mouet iste cibus corporum, est alius cibus qui præcipuè mihi curæ est. Glosa: Voluntas patris est, ut credatur in eum quem misit. Ioannis sexto: Hæc est uoluntas eius qui misit me patris, ut omnis qui uidet fi-

lium, credit in eum, habeat vitam æternam. Opus nostra redemptio, quam per passionem consummauit. Ioan. 17. Opus consummaui, quod dedisti mihi vt faciam. Omnibus ergo deliciis voluntas dei præponenda & diuitiis, quia vult omnes homines, saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. 1. Timo. 2. Hinc Ephē. 5. Videte itaque fratres quomodo cautè ambuletis, non quasi insipientes, sed vt sapientes, redimentes tempus, quoniam dies mali sunt, propterea nolite fieri imprudentes, sed intelligentes quæ sit voluntas dei. Nam qui facit voluntatem patris qui in cælis est, ipse intrabit in regnum cælorum, Mat. 7. Tempus vrget, & hominum præua mentes ad euangelicam fidem, flagrant operam prædicatorum. Si vos qui rei corporum studetis, nostris instare tempus metendi, postquam à semente facta quatuor menses præterierint, quanto magis oportet nos non negligere spiritualis nostræ messis tempus? Quod si fructus spes facile prouocat messorum ad operam, quanto magis oportet nos alacres esse ad hanc messem patri colligendam, quæ & messori præmiū amplissimum in cælis parabit, & deo colliget, non triticum in horrea, sed animas hominum in vitam æternam? Prophetæ antè prædicauerunt, & præmolluerunt mentes hominum, vnde vobiscum gaudent qui homines ad salutem capitis. Caterum hic secus accidit quàm in messe corporali, nam illic iuxta vulgi proverbium, ad alium deuenit fructus messis, quàm ad eum qui sementem fecerat: gaudet quidem messor, sed discruciatatur seminator. Hic contrà fit. Nam simul gaudet & qui sementem fecit, & qui messem colligit, neuter enim caret fructu suo. Non autem tot millia conuertissent in primis, nisi per prophetarum dicta dispositi fuissent. vnde Petrus dicto Ioel. 2. tria millia conuertit Iudæorum, Actu. 2. Non ergo turbemini, inquit, quasi ad rem difficilem missi, nam quod onerosum erat, prophetæ susceperant, vos in præparata mittimini. Similitudinibus frequenter liquebatur dominus, tum vt significatius loqueretur, & magis ob oculos poneret. Mens enim familiarium rerum imagine concepta, magis excitatur, & tanquam in pictura rem ipsam amplectitur, tum vt iucundior esset narratio, & diutius animo inhareret. Non enim tã fa-

cilè sententia capitur, neque ita trahit auditorum multitudinē, vt rerum narratio, & maximè quarum periculum fecimus, descriptio. Est autè duplex ecclesiæ messis. Altera, qua per gratiam colliguntur in ecclesiam militantem. *Messis eccle-*
siæ duplex. Mat. 9. Videns turbas, misertus est eis, quia erant vexati & iacentes sicut oves non habentes pastorem. Tunc dixit discipulis suis, Messis quiddè multa, operarij autem pauciores: rogare ergo dominum messis, vt mittat operarios in messem suam. Huius messis fata spiritalia & spicæ intellectuales sunt, qui prophetarum voce culti, ad fidem Christi perueniunt. Quæ seges albescit, cum iam maturus, hoc est promptus animus est ad suscipiendam fidem & Christi religionem. Messoria falx, apostolorum est prædicatoria, quæ ab idolis gentes, & à legalibus figuris Iudæos abscondens, in arcem, hoc est ecclesiam dei transponit: vbi labore virtutis contriti, in fulgens triticum & diuino dignum horreo efficiuntur. Altera, qua boni à malis secerentur. Mat. 13. Messis consummatio est seculi. Sicut ergo colliguntur zizania, & igni comburuntur, sic erit in consummatione seculi. Mittet filius hominis angelos suos, & colligent de regno eius omnia scandala, & eos qui faciunt iniquitatem, & mittet eos in caminum ignis. Ibi erit fletus & stridor dentium. Tunc iusti fulgebunt sicut sol in regno patris eorum. Galat. 6. Quæ enim seminauerit homo, hæc & metet, quoniam qui seminat in carne sua, de carne & metet corruptionem. Pro. 22. Qui seminat iniquitatem, metet mala. Ose. 10. Arastis impietatem, & iniquitatem messuistis. Qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam. Ose. 10. Seminatis vobis in iustitia, & metite in ore misericordiæ, in nouate vobis nouale. 2. Corinthio. 9. Qui parçè seminat, parçè & metet: & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet. Psalm. 125. Euntes ibant & flebant mittentes semina sua, venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos. Procurrat igitur multitudo Samaritanorum è ciuitate, vt oculis cernerent, de quo tanto affectu prædicauerat muliercula, qui fidem operibus monstrantes, obseruabant eum valde, vt apud se maneret. Et mansit illic biduum duntaxat, calumniam declinans, & nihilominus humanitatem ostē-

dens, & haud dubiè diuiniora quædam docens, & corda illorum illustrans, ob quæ plures crediderunt. Erat enim docens sicut potestatem habens, & non sicut scribæ & pharisæi, Mat. 7. & Ioan. 7. Nunquam sic locutus est homo, sicut hic loquitur. Vnde mulieri dixerunt: Tu parcius de illo prædicaras quàm res habet. nos enim iã nõ tuis verbis adducti, credimus hunc esse Messiam, sed ipsi ex eius sermonibus admirandis certum habemus quòd hic est verè Messias ille Iudæis expectatus, qui salutem adferet toti mundo.

N Post duos autem dies exiit inde, & abiit in Galilæam. Ipse enim Iesus testimonium perhibuit, quia propheta in sua patria honorem non habet. Cum ergo uenisset in Galilæam, exceperunt eum Galilæi, cum omnia uidissent quæ fecerat Hierosolymis in die festo. Etenim ipsi uenerant ad diem festum. Venit ergo iterum in Cana Galilææ, ubi fecerat de aqua uinum.

Cyrillus: Solemùs quod tritum est & quotidianum, etiam si magnum sit, paruipendere: sic enim affectus hominum, ut familiaritas contemptum pariat, & pleræque res illis non ob aliud in precio sint, quàm quòd è lóginquo uenerint. Præterit ergo patriam, non quia inanis esset gloriæ cupidus, sed quia sciebat prædicationem fidei fructum ibi facere non posse, ubi prædicator conténitur. Ergo nõ parum illis gratiæ facit, qui quum neglecturi sermoné eius essent, huius cõtempus supplicia effugerunt, quæ daturus omnes scimus qui prædicationem veritatis paruifaciunt. Vbi que verò hi celebrantur, qui abiecti habitus opinione, ut potiores fide. Nã Samaritanos alienos, Galilæos ut agrestes habebant, qui tamen miraculis & doctrina domini permoti fuerunt. Miraculum iudem in Cana factum, initio paucis cognitum, pòst populari rumore diuulgatum, non nihil bonæ opinionis conciliauerat Iesu, sed tamen quæ non responderet ipsius dignitati. Per pauci credebant illum esse Messiam, plerique prophetam esse suspicabantur.

DE FILIO REGVLII, Io. iiii.

ET erat quidam regulus, cuius filius infirmabatur Ca Ioan. 4. O
pharnaum. Hic cum audisset quia Iesus adueniret à Iudæa in Galilæam, abiit ad eum, & rogabat eum, ut descenderet & sanaret filium eius. Incipiebat enim mori.

Ostendit quàm benignè dominus humanæ fidei imbecillitati subueniens, tam verbo quàm facto ipsam prouehit, fouet, & confirmat. Conceperat regulus iste ex miraculo, quod in Cana factum fuerat, bonam quãdam & si nõ perfectam de Christo opinioné, quare dominus eum perstringit ob paruam fidem. Chrys. Regulus dicebatur, vel quòd de genere regio, vel quia aliquam principatus dignitaté obtinebat, aut quia sic uocatus. Non enim tunc temporis rex in Galilæa erat nisi Herodes: nec propria, sed Cæsaris autoritate: quare hunc primatū post Herodem in hac parte credibile est habuisse, nã & in Capharnaum quæ metropolis erat Galilææ, morabatur. Huius filius quum grauiter infirmaretur, audito Christi aduentu, ad ipsum properabat. maior enim erat morbis, quàm ut ad Iesum ægrotus deferri potuisset. Iam enim agere animam cœpit, quum abiret regulus. Opportunè Iesum adiit in re, quòd ad humanum præsidium, omnimodè desperata. Virtus enim de illo exibat, & sanabat omnes, Luc. 6. Nam Eccle. 13. Non est census super censum salutis corporis. Melior est pauper sanus & fortis uiribus, quàm diues imbecillis & flagellatus malitia. Hinc docemur, in necessitatibus ad dominum recurrere debere. Ipse enim vitæ & mortis habet potestatem, deducit ad portas mortis & reducit, Sapient. 16. Vnde Ezechias lachrymis & præcibus. 15. annos vitæ suæ obtinuit, quam esset morti per prophetam commissione domini adjudicatus, 4. Reg. 20. Esa. 38. Ideo admonet Eccle. 38. Fili, in infirmitate tua non despicias te ipsum, sed ora dominum, & ipse curabit te. auerte à delicto, & dirige manus, & ab omni delicto munda cor tuum. Non tamen

spemenda opera medici, etenim illum dominus creauit. Eccl. 38. Honora medicum propter necessitatem, etenim illum creauit altissimus. Altissimus de terra creauit medicinam, & vir prudens non abhorrebit illam. Sed sunt qui ad phitones, & ariolos recurrunt, quibus contingit quod Ochozia, qui misit ad consulendum deum. Accitō Beelzebub, an de casu per cancellos cœnaculi sui conualesceret. Cui dominus per Heliam denunciavit, dicens: Nunquid non est deus in Israel, vt eatis ad deum Accaron? Quamobrem hæc dicit dominus: De lectulo super quem ascendisti, non descendes, sed morte morieris. 4. Reg. 1. Leuit. 20. Anima quæ declinauerit ad magos & ariolos, & fornicata cum eis fuerit, ponam faciem meam contra eam, & interficiam eam de medio populi mei, Prima ergo nobis cura de salute animæ habenda, ex qua perpetua salus dependet corporis. Matth. 16. Quid enim prodest homini, si mundum vniuersum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur? aut quam dabit homo commutationem pro anima sua? Eccl. 30. Salus animæ in sanctitate iustitiæ, & melior est omni auro & argento. Psalm. 40. Ego dixi, domine miserere mei, sana animam meam quia peccaui. Hic. 17. Sana me domine, & sanabor: saluum me fac, & saluus ero, quoniã laus mea tu es. Augu. Laborat ne moriatur homo moriturus: & non laborat vt non peccet, in æternū victurus. Expedit enim nonnunquam, infirmitatibus & aduersitatibus arctari. Heb. duodecimo: Quem enim diligit dominus, castigat: flagellat autem omnem filium quem recipit. Ideo patienter infirmitas toleranda. Nam animam sanat. Pro. 20. Liuor vulneris absterget mala, & plagæ in secretioribus ventris. Esai. 28. Tantummodo sola vexatio intellectum dabit auditui. A peccatis præseruat. Eccl. 31. Infirmitas grauis sobriam facit animam. 2. Cor. 12. Ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ angelus satanæ, qui me colaphizet. Spiritū roborat. 2. Cor. 12. Cùm infirmor, tūc fortior sum. Præmium multiplicat. 2. Cor. 12. Virtus in infirmitate perficitur. Roman. 5. Gloriamur in tribulationibus, scientes quod tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio verò spem,

Infirmitates cur aliquando & necessarie non solum utiles.

spes autem nõ confundit. Ex his quæ audiuit, spem cõceperat. Rom. 10. Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi. Psalm. 77. Quanta mandauit patribus nostris, nota facere ea filiis suis. Vt ponant in deo spem suam, & nõ obliuiscantur operum dei, & madata eis exquirat: contrã. i. Cor. 13. Corrupt bonos colloquia mala.

Dixit ergo Iesus ad eum: Nisi signa & prodigia uideritis, non creditis. Dixit ad eum regulus: Domine, descende priusquam moriatur filius meus.

Cognoscens dominus fidei ipsius imbecillitatem, ad altiora eleuado, secreta cordis rimatur, vt salubriter cõfundatur, & ad cognitionem diuinitatis cõsurgat, cuius solius est cordis secreta scire. 1. Reg. 16. Homo uidet ea quæ patet, deus autem intuetur cor. Corrigit ergo imperfectam reguli fidem, qui nondum credit filium sanari posse, nisi Iesus eõ se cõtulisset, aut quasi medicum accerferet. Consuetudinis erat Iudæorum, non nisi signis testantibus credere. Vnde Moyses ait, Exod. 4. Non credent mihi neque audient vocem meam, sed dicent, non apparuit tibi dominus. Deditque ei dominus signum virgæ in serpentem conuersæ, & manus leprosæ è sinu, & iterum in pristinum statum reuersæ. Si non crediderint, inquit, tibi, neque audierint sermonem signi prioris, credent verbo signi sequentis. Sic Gedeon, Iudic. 6. Da mihi signum, quod tu sis qui loqueris ad me. Hinc domino dixerunt, Io. 2. Quod signum ostendis nobis quia hæc facis? Et Io. 6. Quod ergo tu facis signum, vt videamus & credamus tibi? 1. Cor. 1. Quoniam & Iudæi signa petunt, & Græci sapientiã quærunt. Hoc signum est infidelitatis. 1. Cor. 14. Itaque linguæ in signum sunt nõ fidelibus, sed infidelibus. Greg. Mirum quoddam is qui ad filij salutem petendã uenerat, audiuit, Nisi signa & c. nisi enim crederet saluare posse, non peteret. Sed mementote quid petiit, & apertè cognoscetis quia in fide dubitauit. Claret fidei ipsius infirmitas, quo ad Christi præsentiam. Greg. Corporalẽ domini præsentiam petebat, qui per diuinitatem nusquam deerat: minus ergo in illũ credidit, quem non putauit saluare posse dare, nisi præsens esset & corpore. Hier. 23. Cæli & terram ego impleo. Psalm. 138. Quò ibo à spiritu

Reguli fidei infirma.

tuus? & quò à facie tua fugiam? Si ascendero in caelum, tu illic es: si descendero in infernum, ades. Si sumptero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris. Etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua. Secundo, quo ad eius sapientiam, quia nescire credebatur periculum instans filio. Heb. 4. Omnia nuda & aperta sunt oculis eius. Quot & hodie sunt, qui dei providentiam ad haec inferiora se extendere non credunt, totis affectibus inferioribus inhiates? Iob. 22. Nubes latibulum eius nec nostra considerat, & circa cardines caeli perambulat. Eccle. 6. Etenim quia non profertur cito contra malos sententia, absque timore villo filij hominum perpetrant mala. Eccle. 15. Non dixeris, per deum abest, quae enim odit ne feceris. Tertio, quò ad potentiam. Vt enim erat totus intentus periculo filij morientis, nihil ad sermonem domini respondit, quod existimaret huiusmodi sermonibus tempus eximi, quum morbus posceret praesens remedium. Urget igitur ut properet venire Capharnaum, priusquam moreretur filius, quasi frustra venturus, si post exhalatam semel animam venisset. Apocalyp. 1. Ecce fui mortuus, & ecce sum vivens in secula seculorum, & habeo claves mortis & inferni. Deut. 32. Videte quod ego sim solus, & non sit alius deus absque me. Ego occidam, & ego vivere faciam: percutiam, & ego sanabo, & non sit qui de manu mea possit erueri. 1. Reg. 2. Dominus mortificat & vivificat, deducit ad inferos & reducit. Hic ergo praeter omnibus suscipiendus. Mat. 10. Timete eum qui potest & animam & corpus perdere in gehennam.

3 *Dicit ei Iesus: Vade, filius tuus vivit. Credidit homo sermoni quem dixit ei Iesus, & ibat. Tam autem eo descendente, serui occurrerunt ei, & nunciauerunt, dicentes, quia filius eius vivet. Interrogabat ergo horam ab eis in qua melius habuerit, & dicunt ei: Huiusmodi septima reliquit eum febris. Cognovit ergo pater, quòd illa hora erat in qua dixit ei Iesus, filius tuus vivit: & credidit ipse, & domus eius tota.*

Iesus itaque non obiurgata fide reguli, re ipsa ostendit se plus posse, quam ille se posse consideret, rogatus ut ve-

niret, quia non desit ubi inuitatur indicat solo iussu suo salutem reddidit, qui voluntate cuncta creavit. Heb. 1. Per quem fecit & secula. Nihil, inquit, opus est, ut hac gratia, me conferam Capharnaui: abi, iam filius tuus, quem morientem reliquisti, vivit ac valet. Hoc dicto non nihil confirmata est fides reguli: nam factò se credere ostendens, domum properat. Gal. 5. In Christo Iesu, neque circumcisio aliquid valet, neque praepitium, sed fides quae per charitatem operatur. Ecce quantum profecit ad correctionem domini. Psal. 140. Corripiet me iustus in misericordia & increpabit me, oleum autem peccatoris non impinget caput meum. Causa, quia foris increpatus, intus illuminabatur: alioquin inutilis esset: ut claret in Cain, qui à deo correptus, desperavit, Gene. 4. Pro. 29. viro qui corripientem dura ceruice contemnit, repentinus superueniet interitus, & eum sanitas non sequetur. Domum proficiscenti occurrunt serui, repentina morbi curatione stupefacti, rem laetam nuntiaturi, quod filius morti proximus, subito reualuisset, nec opus esse Christi praesentia, quem venturum credebant, suspicantes casu quopiam coualuisse, ignari quòd actum fuerat inter Iesum & regulum. Audito hoc nuncio regulus, quò & suos ad fidem adduceret, horam inquit: & cognouit cum Christi dicto, sanitatem restitutam. Nec fructu suo caruit hoc miraculum, quanquam in hominem ethnicum collatum. Credidit enim ipse, & domus eius tota, exemplo ipsius persuasa, ipsum esse Messiam. Beda: Sunt in fide, quemadmodum in aliis virtutibus, gradus. Est enim initium, est incrementum, est & perfectio. Vnde fides reguli initium habuit, quum salutem filio petiit: incrementum, quando dictis credens ibat: perfectionem obtinuit, ubi domus eius tota cum ipso credidit. Hinc Luc. 17. discipuli dixerunt: Domine, adauge nobis fidem. Et dominus patri lunatici. Marci nono: Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti. At ille: Credo domine adiuua incredulitatem meam. Sunt enim imbecilles in fide, quibus lacte opus est, non solido cibo. 1. Cor. 3. donec crescant in salutem. 1. Pet. 2. Nam fide stamus. 2. Cor. 1. Sed quid stat, videat ne cadat. 1. Cor. 10. Hinc Apostolus orauit, Eph. 3. flexis poplitibus, ut dequeret fidelibus, secundum diuitias gloriae suae, virtutem corroborari per spiritum eius in interiori homine, Chri-

Fidei gradus.

stum habitare per fidem in cordibus eorum, Sed obseruandum quod dominus ad filium reguli ire noluit rogatus, quod fidem ipsius confirmaret, se absentem curare posse: ad seruum verò centurionis ire voluit non postulatus: quia hic absentem curare credidit infirmum posse solo dicto: & ne diuitias honorare videretur, & personarum acceptor esse. Chrysostrmus: Reprehendit dominus regulum, ostendens signa maximè animæ gratia fieri, neque minus, hoc loco patrem animi morbo laborantem, quam filium curauit, suadetq; non signa nobis desideranda, sed doctrinam attendendam.

DE PROBATICÀ PISCINÀ,
Ioannis quinto.

ARTICVLVS IX.

Ioan. 5.
P.

HOC iterum secundum signum fecit Iesus cum uenisset à Iudæa in Galilæam. Post hæc erat dies festus Iudeorum, & ascendit Iesus Hierosolymã. Est autè Hierosolymis probatica Piscina, quæ cognominatur Hebraicæ Bethsaida, quinque porticus habens. In his iacebat multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum, expectantium aque motum. Angelus autem domini descendebat secundum tempus in piscinã, & mouebatur aqua, & qui prior descēdisset in piscinã post motionē aquæ, sanus fiebat à quacunq; detinebatur infirmitate.

Ostendit post acceptam, magna cum deo solitudine ambulandum, utriusque hominis salutem, ne ad pristina relabendo vitia, ob ingratitude in maiora quàm antea incidamus mala. Dominus, ne videretur legi contrarius, comparet cum reliquis diem festum agēs, partim, vt plures per signa & doctrinas alliceret, maximè turbam simplicem tunc confluentem, partim, vt humilitatis, & obedienciæ præberet exemplum, docens festa veneranda.

Matthæi. 5. Non veni soluere legem, sed adimplere. Erat lacus quidam siue piscina, quæ Græcis dicitur probatica, nimirum à pecudibus, quod illic sacerdotes hostias immolandas abluere solebant, & ab eodem argumento Hebræis dicitur Bethsaida, quasi dicas domum peculem. Mouebat angelus aquam, sed temporibus incertis, & sanabatur tantum vnus. Chrysostrmus: Aqua sordes corporis abluit, hinc varia morborum genera per aquã sanatur. Siquidè cum vellet deus appropinquantis baptismatis fidem nos erudire, non solum peccata, sed & morbos per aquam depulit. Propiores enim veritati imaginis, & in baptismate, & in passione, & in aliis, certiores fuere quàm vetustiores. Descendens verò angelus magni consilij mouet aquã, cum verbū accedit ad elementū, & fit sacramentū. Quæ admodum enim huius aquæ natura non per se sanabat, siquidem semper sanasset, sed duntaxat dum ab angelo mouebatur, & hoc nisi vnum, ita & in nobis non simplex aqua operatur, sed cum spiritus gratiam accipit, omnia abluit peccata, sed in vnitæ ecclesiæ, & fide vnus dei. Sic & in sale & aqua, herbis & cæteris, quibus dæmonum fugatur potestas, virtus diuini nominis operatur, qua præsentæ, efficaciæ. Num. 6. Inuocabunt nomen meū (sacerdotes scilicet) super filios Israel, & ego benedicā eis. Quod miraculū esset euidentius & insignius, vnū elegit ex omnibus maximè deplorandum, vt qui morbo periculoso, penèq; immedicabili, deinde vetustissimo teneretur, postremò qui maximè desideraret alienū subsidium, & adeo tenuis erat & ægrotus, vt neminè parare posset, à quo tempestiuè deferretur in aquã. Hunc videns oculo compassionis, an sanus velit fieri interrogat, fidem & constantiam circumstantibus volens ostendere, & vim morbi omnibus conspicuam facere, simulq; subindicare, neminem ab animi vitii sanari posse, nisi morbum suum oderit. & salutis desiderio teneantur. Cyril. Magnū misericordiæ sacramentum, non expectare Christum semper laborantium preces, sed sua misericordia prouenire. Præcurrit enim ad iacentem, & misericordia stetit ante quàm ei supplicetur. Interrogat, vt cupiditate valetudinis ad petendum incenderet quod ipse facillè præstare posset, atq; paratior ad susci-

Aqua motio mysticè qui intelligenda.

Benedictiones salis & aquæ, herbarum & cæterorum vnde.

piendam gratiam interrogando redderet. Vide patientiam infirmi humiliter respondentis. Nil blasphemum respondet, non arguit Christum, quasi stultè interrogantem & se irridèctem, nec maledixit diei, ut nos sæpe solemus pusillanimitate, sed mansuetè & placidè respondit; tamen si nesciret quis esset qui interrogaret.

2 Erat autem ibi homo triginta & octo annos habens in infirmitate sua. Hunc cum uidisset Iesus iacentem, & cognouisset quia iam multum tempus haberet, dixit ei: Vis sanus fieri? Respondit ei languidus: Domine, hominè non habeo, ut cum turbata fuerit aqua mittat me in piscinam. dum uenio enim ego, alius ante me descendit. Dixit ei Iesus: Surge, tolle grabatum tuum, & ambula: & statim sanus factus est homo ille, & sustulit grabatum suum, & ambulabat.

Volens dominus ostendere, & eos qui motu piscinæ sanabantur, sua virtute sanari, sibi que in promptu esse, solo nutu omnes, & corporum, & animorum morbos posse tollere, cum dicto sanauit hominem, ut lectulum in humeros sustolleret, ac diurni morbi monumentum, cunctis videntibus, in domum referret. Chryostomus: Intuere diuinæ clementiæ superabundantiã. non enim solùm sanat, sed & lectum portare iubet, ut credibile miraculū fieret, ne quispiam phantasticum crederet quod factum erat. Nisi enim membrã essent firmissimè solidata, lectum ferre non potuisset. Vtinam & nos qui dissoluti sumus, & ad omne opus bonum immobiles, sanitatem assequamur, neque habeamus rationem humanam, utpote comparat iumentis insipientibus, & similes facti illis. Psalmi. 48. ut portet nos in piscinam lachrymarum penitentię, in qua sanatur primus, quia post mortem infructuosa penitentię, Eccle. 17. Ante mortè confiteri, à mortuo quasi nihil perit confessio. Claret hoc Sapient. 5. de impiis bonorum irrisoribus. Dicentes intra se, & præ angustia spiritus gementes. Hi sunt quos aliquando habuimus in derisum; & in similitudinem improperij. nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum si-

ne honore. Ecce quomodo cõputati sunt inter filios dei, & inter sanctos fors illorū est: Ergo errauimus à via veritatis, & iustitiæ lumen nõ luxit nobis, & sol intelligentiæ non est ortus nobis. Sequitur. Talia dixerunt in inferno hi qui peccauerunt, quoniam spes impij tanquam lanugo est, quæ à vento tollitur. Ideo Eccle. 17. Confiteberis viuens, viuus & sanus confiteberis, & laudabis deum, & gloriaberis in miserationibus eius. Quinque porticus, Porticus sunt quinque vulnera redemptoris, ex cuius passionis merito omnes morbi sanantur animarum. Apo. 1. Dilexit nos & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo. Multitudo languentium in his facit Ro. 3. Omnes peccauerunt, & egent gloria dei. Sed nõ est in aliquo alio salus. Nec enī datum est aliud nomen sub cælo hominibus, in quo oportet nos saluos fieri, Act. 4. Vnde & ipse est angelus, qui turbat aquam verbo suo, & futurorum memoria suppliciorum. Esa. 38. Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ. Quemadmodum hic diuersæ nominantur species infirmitatum, sic sunt & peccatorū. Languidi qui. Languidi sunt, qui per inuriam & desidiã peccant. Heb. 12. Remissas manus & dissoluta genua erigite. Hier. 31. Vsq; quò deliciis dissolueris filia vaga? Cæci, qui per ignorantiam. Psal. 37. Dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum non est mecū. Hinc orat Psal. 12. illumina oculos meos, ne vnquam oddormiam in morte, ne quando dicat inimicus meus, præualui aduersus eum. Claudi, qui bene operandi non habent firmum gressum Psal. 17. Filij alieni mentiti sunt mihi, filij alieni inueterati sunt, & claudicauerunt à semitis suis. 3. Reg. 18. Vsq; quò claudicatis, ait Helias filiis Israel, in duas partes? Si dominus est deus, sequimini eum. Heb. 12. Gressus rectoros facite pedibus vestris, ut non claudicans quis erret, magis autem sanetur. Aridi, qui quicquid agunt, sine charitatis agunt pinguedine. Psal. 142. Expãdi manus meas ad te, anima mea sicut terra sine aqua tibi. Velociter exaudi me quia de fecit spiritus meus. Hinc Psal. 62. Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea, & labijs exultationis laudabit os meum. Iste qui. 38. annos habuit in infirmitate, signat longa consuetudine inueteratos. sed 38. quos si non est tam capitalis & in veteratus morbus, quem Iesus gnet.

verbo suo non curet, si obaudiatur. Surge, inquit, Ephe. 5. Apostolus, qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus. Tolle lectum tuum, Rom. 6. Sicut exhibuisti membra vestra seruire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem, ita exhibete nunc membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem. Et ambula. Psal. 33. Diuerte à malo, & fac bonum. Psal. 83. Beatus vir cuius est auxiliū abs te, ascensiones in corde suo disposuit in valle lachrymarum, in loco quem posuit. Etenim benedictionem dabit legislator. Ibiunt de virtute in virtutem. videbitur deus deorum in Sion.

3 Erat autem sabbatum in die isto. Dicebant ergo Iudæi illi, qui sanatus fuerat: Sabbatum est, non licet tibi tollere grabatum tuum. Respondit eis: Qui me sanum fecit, ille mihi dixit, tolle grabatum tuum & ambula. Interrogauerunt ergo eum: Quis est ille homo qui dixit tibi, tolle grabatum tuum & ambula? Is autem qui sanus fuerat effectus, nesciebat quis esset. Iesus enim declinauit à turba constituta in loco. Postea inuenit eum Iesus in templo, & dixit illi: Ecce sanus factus es, iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. Abiit ille homo, & nunciauit Iudæis, quia Iesus esset, qui fecit eum sanum.

Pharisæi inde calumniæ ansam sumpserunt, quique legis erant carnalia & ad tempus data, supersticiosè tuebantur, neglectis iis quæ erant præcipua, atque perpetuò duratura. Sabbatorum ocium violasse nefarium erat apud illos: proximum fraudasse sabbato, nullius erat momenti, unde malitia ex cæcati, non interrogabāt, quis est qui te sanum fecit: sed, qui dixit, tolle grabatum tuum & ambula. Erat enim omne opus seruile inhibiti sabbato. Exo. 20. Vnde Nec. 13. Prohibuit emptiones & negociationes cū gentilibus, & vt nullus inferret in die sabbati onus. Ille non dissimulans beneficium acceptum, & Iesu autoritate criminis inuidiam à se depellens, significans eum qui rem tantam verbo præstare potuerit, homine simul & sabbato maiorem videri, respondit calumniantibus Iu-

daïs: Is qui me simplici verbo sanum fecit, iussit: cui obediui, vt iustum est. Declinauerat à turba, vt absente ipso, testimonium sanitatis suspicione magis careret, ne videretur gratificari ei, sed veritatē testari, & ne Iudæorum inuidiam magis in se accenderet. ac tertio, vt exemplum vitandæ gloriæ monstraret. Gala. 5. Non efficiamini inanis gloriæ cupidi. Chrysostomus: Non secessit ad nundinas, neque voluptati ac negligentia se dedit, sed in tēplo conuersabatur, quod religionis est signum, vt deo gratias referret. August. Qui orandus est vt faciat, illi reddenda gratiarū actio cū fecerit. Iam ergo cognito comperitoque miraculo, Iesus authorē quoque cognitum esse volens, ait illi: Ecce sanitatem es cōsecutus, depulso morbo corporis, qui tibi natus erat ex animi morbo. vtrunque sustuli malum. tu caue in futurū. Ecce quā sollicitè ostēdit beneficium ne obliuiscatur. Psal. 102. Benedic anima mea domino, & noli obliuisci omnes retributiones eius. qui propiciatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas. Secundo interdicit reciduum. Iā noli, inquit, peccare. 2. Pet. 2. Si enim refugientes coinquinationes mundi in cognitione domini nōstri & saluatoris Iesu Christi, his rursus implicati superantur, facta sunt eis posteriora deteriora prioribus. Hic. 2. Quam vilis facta est, iterans vias tuas? Tertio prædicit supplicium. Ne deterius, inquit, tibi contingat. Sic seruus nequam & in cōseruum crudelis, in carcerem conicitur donec omne debitum, etiam dimissum, redderet, Matt. 18. Admonemur ergo hic, ex peccatis nonnunquam morbos generari: deinde, maximum apud gehennam supplicium, quum illic deterius quam hic contingat: atque postremo, si grauem priorum scelerum pœnam dedimus, multo grauiorem duros, si residerimus. Qui enim emendatus nō est, ad maiora tormenta ducetur, tanquam insensatus & contemptor. Videmus autem multos improborum, corpore bene valentes, & in deliciis & voluptate viuentes: verum quod nihil hic patiuntur, viaticum eis erit ad supplicium grauius quod alibi ferent. 1. Corinthio. 11. Dum iudicamur autem, à domino corripimur, vt non cum hoc mundo damnemur. Nam quæ hic fiunt, admonitiones sunt: quæ autem alibi, supplicium. Num ergo omnes

Morbi
Vnde.

morbi ex peccatis? Non, sed quidam ob probationem, vt Iob. 1. Tob. 2. quidam ad dei gloriam: Ioan. 7. quidam ex naturali defectu, quidam ex peccatis, vt Herodes ob superbiam percussus, vermibus consumptus occubuit, Actuum. 12. Comperto quis esset, vide quanta gratitudine Iudæis prædicet Christum, existimans illud multorum interesse, vt omnibus notus esset, qui verbo posset sic mederi morbo deplorato. Non ait. Iesus est qui dixit mihi, tolle grabatum tuum & ambula: quod illi audire volebant, vt violati sabbati crimen in eum impingerent, quod & alias non semel fecerunt: sed is qui me sanū fecit, quod audire non ferebāt. Augustinus: ille annuntiabat, & isti insaniebant. Vtinam deus faxit, vt post sanitatem acceptam, in templo inueniamur, vltra nos prophanis cogitationibus non inquinantes, vt ne in grauiorem incidamus pœnam futuram.

Propterea persequebantur Iudæi Iesum, quia hæc faciebat in sabbato. Iesus autem respondit eis: Pater meus usque modo operatur, & ego operor. Propterea ergo magis querebant eum Iudæi interficere, quia non solum soluebat sabbatum, sed & patrem suum dicebat deum, æqualem se faciens deo. Respondit itaque Iesus, & dixit eis: Amen amen dico vobis, non potest filius à se facere quicquam, nisi quod uiderit patrem facientem. Quæcunque enim ille fecerit, hæc & filius similiter facit.

Ostendit opera sua non ratione, quum diuina sint, sed inuidia stimulante calumniari: & extremum manere supplicium eos, qui non credunt, credentes verò vitam consequi æternam. Excitati inuidia Iudæi, & vndique calumniandi captantes occasionem, indignabantur Iesu quòd hominem miserandum sanasset sabbato, quum ipsi qui sibi videbantur legis tenacissimi, non vererentur asino in puteum delapso, succurrere die sabbati, quem admodum ipsis improperat saluator, Matt. 12. Salutem inuidet miseri Iudæi infirmo, seris seuitores, daemonibus patres: idcirco omnis venia inuido desperanda est. Nā scor-

tator voluptatis stimulos in excusatione adfert, fur paupertatem, homicida furorem, friuolas quidē, nec admittēdas quale scunque excusationes, tu verò quā adfers? Nul- lam profecto nisi animi prauitatem atque malitiam. Nā si inimicos amare iubemur, quam pœnā ex amici odio da- tuos nos arbitramur? Audi Paulum. 1. Cor. 13. Si tradidero corpus meum, ita vt ardeam, charitatem autem nō habuero, nihil mihi prodest. Hic affectus inuidiæ, & fornicatione, & adulterio grauior: alterū enim in ipso auctore consumitur, inuidiæ autem vis, vniuersos populos perdidit, vniuersum orbem coinquinauit. Ipsa cædis mater, ip- sius suasu Cain fratrem suum interemit, Gen. 4. Ipsi Esau inuidia in Iacob, Gen. 27. fratrum in Ioseph, Gen. 37. diaboli in humani generis odium, insidiæ tribuendæ sunt Sap. 2. Inuidia diaboli mors introiuit in orbem terrarum. Imitantur autem illum omnes, qui sunt ex parte illius. Non solum autē calumniabantur Iesum, verū etiā persequebatur, nō ob aliud, nisi quòd rē sanctam ac piam fecisset in sabbato. Ostendit itaque dominus se legis non esse transgressorem vel sabbati, sed patri æterno conformem in operando, quasi dicat. Sicut deus pater operatur in sabbato, & reprehensione caret, ita neque ego crimini obnoxius sum, Omnino enim prouidentia sua & in sabbato operatur. Hieronymus: Nō sex diebus tantum, sed vsque modo operatur: quia sex diebus condidit noua, & requieuit die septima à nouarum rerum productione: postea verò operatur vsque in finem gubernando, conseruando, renouando, propagando, vt permaneant condita, Sapiē. 11. Quomodo autem posset aliquid permanere, nisi tu voluisses? aut quod à te vocatum non esset, conseruaretur? Sapiē. 12. Tu dominator virtutis cum tranquillitate iudicas, & cum magna reuerētia disponis nos, subest enim tibi, cum volueris, posse. Ecce modus operandi. Vel- le scilicet. Psal. 148. Quia ipse dixit, & facta sunt: ipse mā- dauit & creata sunt. Sic & Christus solo verbo sanita- tem concludit. Sapiē. 8. Attingit ergo à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter. Non ergo ob sabbati religiōnem impediatur, quò minus ageret mā- datum patris ad humani generis salutem. Persequeban- tur plus illum propterea, quòd iam non solum vio-

laret sabbatum, sed & deum veluti sibi proprium patrem vsurpabat, semet illi æquans in operibus & auctoritate faciendi quæ vellet. Quia autem eandem cum patre habet substantiam, eandem habet & virtutem: & propter hoc eadem operatur, & non potest aliud aliquid facere, præter id quod pater facit. Hinc Ioã. 14. Pater autem in me manens, ipse facit opera. Glof. ordi. Subdit se esse filium æqualem patri, eiusdem voluntatis, potentia, operationis, quia eiusdem substantia.

² *Pater enim diligit filium, & omnia demonstrat ei, quæ ipse facit: & maiora his demonstrabit ei opera, ut & uos miremini. Sicut enim pater suscitatur mortuos & uiuificat, sic & filius quos uult uiuificat. Neque enim pater iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit filio, ut omnes honorificent filium, sicut honorificant patrem. Qui non honorificat filium, non honorificat patrem qui misit illum. Amen amen dico uobis, quia qui uerbum meum audit, & credit ei qui misit me, habet uitam æternam: & in iudicium non uenit: sed transiet à morte in uitam.*

Quoniã filius propter nos redimendos & instruendos homo factus est, & inter homines socialiter vixit, idcirco altitudinem sapientia suæ proportionauit capacitati intelligentia nostræ, loquendo nobis de rebus incomprehensibilibus more humano, quatenus sic ea aliquatenus caperemus. Vnde de æternis loquens, per uerba temporalia secundum omnes differentias temporum loquitur, quia ipsa æternitas comprehendit & continet omne tēpus. Inter homines sæpe degenerant à parentibus filij, nec eadem est semper patris & filij uoluntas, nec eadem facultas. secus hic res habet. Pater enim unice diligit filium, Matth. 17. Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui, sui que simillimum genuit, parẽmque potestatem operandi transfudit in illum, omniaque demonstrat filio faciendã, quæ ipse facit. Quod si mirandum uidetur, atque humanis uiribus maius, dicto restituere sanitatem paralytico: pater, ad cuius præscriptum filius facit om-

nia quæ facit, declarabit, filio suo hic etiam maiora demonstrabit opera, quò magis etiam miremini. Nam longè potentius est excitare mortuos ad uitam, quàm ægrotos restituere sanitatẽ. Et hanc quoque potestatem pater tradidit filio. Apocaly. 1. Habeo clauẽs mortis & inferni. Summa præcipuaque dei auctoritas est iudicare mūdum, rex enim est & dominus uniuersorum. Esa. 33. Dominus enim iudex noster, dominus legifer noster, dominus rex noster. Et tamen hanc quoque potestatem impartiuit filio, cui tradidit omne ius iudicandi quicquid in cælo est, quicquid in terra, quicquid subter terram. Phil. 2. Propter quod & deus exaltauit illum, & dedit illi nomen quod est super omne nomẽ, ut in nomine Iesu omne genu flectatur cælestium, terrestrium, & infernorum. Act. 17. Deus statuit diem in quo iudicaturus est orbem in æquitate, in uero in quo statuit, fidem præbens omnibus, suscitans eum à mortuis. Authoritatiuè tota trinitas, sed executiuè sententiam proferet filius in humanitate omnibus uisibilis. Apoc. 1. Videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt. 2. Cor. 5. Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, siue bonum, siue malum. Quia ergo benefaciendo nõ placauit eos, nec attraxit, ut se honorarent sicut dignum erat, inuitit terrorem iudicij, quo saltem timore inducantur. Pater innotescit per filium per quem operatur, filius uicissim patris maiestatem declarat. Vnde habet quicquid operatur, ut utroque per alterũ cognito, omnes honorificent filium, quem admodũ honorificant patrem. Quisquis honorat patrem in filio operantem, idem honorat filium ex patre operantem: quisquis autem non honorat filium patri charissimũ ac simillimũ, idem nec patrem honorat, qui in hoc misit filium, ut per filium honorificetur. Sermonem mirabiliter nectit: interdum quidem sublimia testimonia de se, ut dignum erat, fert: interdum autẽ humilia, propter insaniam inimicorum Iudæorum. Hinc mentes audientium exhilarat, quum audientes sermones eius deo sint credituri. Non enim dixit, qui credit mihi, sed ei qui misit me. Igitur qui audit aure cordis. Mat. 13. Qui habet aures audiendi, audiat. & credit illi, in iudicium condemnationis (hoc

est, suppliciu) non venit, sed viuit vitam æternam, sed transiet à morte infidelitatis, ad vitam fidei, & iustitiæ. Roma. 6. Gratia dei vita æterna. & à morte naturæ ad vitam gloriæ. Col. 3. Cùm Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos cum ipso apparebitis in gloria.

3 Amen amen dico uobis, quia uenit hora, & nunc est, quando mortui audient uocem filij dei: & qui audierint, uiuent. Sicut enim pater habet uitam in semetipso, sic dedit & filio uitam habere in semetipso: & potestatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est. Nolite mirari hoc, quia uenit hora in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient uocem filij: & procedent, qui bona fecerunt, in resurrectionem uitæ: qui uero mala egerunt, in resurrectionem iudicij.

Ostendit gratiæ necessitatē simul & utilitatē, si à morte culpæ ad cælestia capessenda resurgere debemus. 1. Cor. 15. Per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum: & sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes uiuificabuntur. Plus autem est animam peccato mortuam reuocare ad uitam, quam corpus exanimam uitæ restituere. Sed utriusque rei potestatem pater dedit filio. Sapien. 16. Homo per malitiā occidit animam suam. Eze. 18. Anima quæ peccauerit, ipsa morietur. Vnde Apoc. 3. Nomen habes quod uiuas, & mortuus es, hanc sequitur mors gehennæ. Psal. 84. Sicut oues, in inferno positi sunt, mors depascet eos, Hęc dicitur mors secundo. Apo. 20. Reuiscunt animæ mortuæ, si uocē audierint filij dei interiori auditu & perseueranter, quia sola perseuerantia coronabitur. Mat. 24. Qui perseuerauerit usque in finem, saluus erit. Non enim omnes obediunt euangelio, Rom. 10. Hinc admonet Apostolus Hebr. 3. Quapropter dicit spiritus sanctus Psal. 94. Hodie si uocem eius audieritis, nolite obdurare corda uestra. Ideo notanter dicit, qui audierint, Augustinus: obaudierint, quia sunt qui audientes non audiunt. Mat. 13. Qui ergo nunc domini uocem uocatis obaudire nolunt, Mat. 11. Venite. ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam uos: audient in fine tunc, uelint nolint. & obediunt, uocem de-

pellentis. Mat. 25. Ite maledicti in ignem æternum. Quare adhortatur Paulus. 2. Cor. 6. Exhortamur ne in uacua gratiam dei recipiatis, ait enim: tempore accepto exaudiui te, & in die salutis adiuui te, Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. Olim reuiscunt & omnium corpora defuncta ad uocem filij dei: nunc paucis ad uitam reuocandis specimine edito futuræ resurrectionis, id quod maius est agitur, ut ad eiusdem uocem reuiscant animæ. Sicut pater uita est, & omnis uita fonte principium. Psal. 35. Domine, apud te est fons uitæ: sic gignendo filium eiusdem substantiæ, eandem ei communicat uitam, quare & aliis uitam præstare potest. Ioannis. 14. Ego sum uia, ueritas, & uita. Nam omnia per ipsum facta sunt, Ioan. 1. Heb. 1. Per quem fecit & secula. Act. 17. Nec indigens aliquo, cum ipse det omnibus uitam & inspirationem. Gen. 2. Formauit igitur dominus deus hominem de limo terræ, & inspirauit in faciem eius spiraculum uitæ, & factus est homo in animam uiuentem. Hunc ergo qui deserit, uitam non habet. Dedit & ei potestatem iudicium facere, ut in humanitate ab omnibus uideatur. Mat. 24. Videbunt filium hominis uenientem in nubibus cæli, cum uirtute multa & maiestate. Diuinitas enim nisi à beatis non potest uideri. Exod. 33. Non uidebit me homo, & uiuet, Ioan. 1. Deum nemo uidit unquam. Nam hunc uidere uita beata est. Ioan. 17. Hęc est uita æterna, ut cognoscant te solum deum uerum, & quæ misisti Iesum Christum, 1. Ioan. 3. Videbimus eum sicuti est. Psal. 71. Deus iudicium tuum regi da, & iustitiam tuam filio regis Act. 10. Præcepit nobis prædicare & testificari, quia hic est qui constitutus est à deo iudex uiuorum & mortuorum. Sæpe sermones in medium afferet de iudicio, ut auditores excitet. Cui enim persuasum est, quod resuscitandus sit, & recepturus delictorum poenas, omnino currit ad ipsum, placatque ut suum futurum iudicem. Vnde dominus Matthæ. 5. Ego consentiens aduersario tuo cito dum es cum eo in uia, ne tradat te aduersarius iudici, & iudex tradat te ministro, & in carcerem mittaris. Amen dico tibi, non exies inde donec reddas nouissimum quadrantem. Ioan. 12. Qui spernit me, & non accipit uerba mea, habet qui iudicet eum: sermo

quem locutus sum, iudicabit eum in nouissimo die. Obediendum ergo euangelio, alioqui ostēdit nos transgressores redargutos à lege, Iacob. 2. Perspicuum autem est, remissa culpa non semper omnem poenam remitti, quam operæ precium est hic solui. Alioqui à domino puniemur. 1. Cor. 11. Si nosmetipsos diiudicauerimus, non utique iudicaremur: dum iudicamur autem, à domino corripiamur, ut non cum hoc mundo damnemur. 2. Regum. 12. Dauid poenitenti dictum fuit: Dominus transfudit peccatum tuum à te. Veruntamen quia fecisti inimicos blasphema re nomen domini propter verbum hoc, filius qui natus est tibi, morietur, Audierat peccatum translatum, sed poenam non proflus condonata, id quod rei exitus probauit. Nam suscitauit illi dominus malum de domo sua, ut à proprio filio, regno pelleretur. secundi Regum. 15. & 16. Hinc lachrymis stratum suum rigabat. Psalm. 6. Sic Exodi. 32. ob Moysi preces idololatriæ peccatum dimisit populo, nihilominus temporali poena puniens. Ego, ait, iudic die ultionis visitabo hoc peccatum eorum. Percussitque dominus populum pro reatu vituli quem fecerat Aaron. Et Nume. 14. Dimisi, inquit, iuxta verbum tuum: at tamen omnes homines qui viderunt maiestatem meam & signa quæ feci, non videbunt terram super qua iuraui. In solitudine iacebunt corpora vestra, quadraginta annis recipietis iniquitates vestras. Qui ergo hic non diiudicant seipsum, nec à domino corripiuntur, & hinc exeuntes dolent, quis misericordiæ sinum ipsis occludere audeat, & non cum sancta matre Ecclesia sentire, ipsos non æterna, sed temporali poena plectendos? Nam misericordiam & veritatem diligit deus, Psalmist. 83. Sicut iustè poenam exigit, ita misericorditer in verè poenitentibus æternam in temporalem commutat. Sed quoniam post hanc vitam meriti locus non est, sed vel præmij vel supplicij recipiendi pro factis. Ioann. 9. Venit nox quando nemo potest operari, Ecclesiast. nono. Quodcunque potest facere manus tua, instàter operare: quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erūt apud inferos, quò tu properas: hinc piè semper in ecclesia defunctis, quò vnū cor-

Suffragia pus sumus in Christo, singuli autem alter alterius mem-
giu uinorū bra. 11. Corin. 12. per viuorum suffragia subuentum est. Sic

Iudas ille Machabæus. 12000. drachmas argenti misit Hierosolymam, offerri eas ibi pro peccatis mortuorum, iustè & religiosè de resurrectione cogitans. 2. Machab. 12. Hinc Chrysostomus homil. 69. in Matthæum: Non temere ab apostolis hæc sancta fuerunt, ut in tremendis mysteriis defunctorum agatur commemoratio, sciunt enim, inde illis multum contingere lucrum, vtilitatem multā. Idem Damascenus affirmat, modum hūc orandi pro defunctis, ab apostolis manasse. Obserua hic, fidem hanc & ante Christi tēpora fuisse, nec per Christum neque per apostolos reprobata: quod haud dubio fecisset, si erroneum & seductorium fuisset. Tempore siquidem apostolorum quidam baptizabantur pro mortuis, primæ Corinthiorum decimoquinto. quanquam in hoc errarent, quò mortui illi non tenebantur ad baptismi obligationē: quare & abolitum, aliud non, sed in hanc vsque horam à piis & sanctis, necnon in sacris literis eruditissimis quàm diligentissimè obseruatum. Hinc Augustin. ser. 44. ad fra. erem. Defunctis cum omni diligentia misereri & subuenire studeamus, attendētes quid Iudas Machabæus fecerit. Dixit enim quò sancta & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis soluantur. 2. Machab. 12. Licet autem non sit in canone Iudæorum, est tamen in canone Christianorum, quemadmodum euangelia & cætera, ut idem dicit. 17. de Ciuitat. dei. c. 38. Certumque & perspicuum est tunc eam fidem fuisse. Huius ergo iudicis sententia inuitabili, qui paruerint ipsius doctrinæ, transferentur in vitam æternam: contra, qui parere noluerint, addicentur æternis suppliciis. Tantam potestatem traditam homini nolite mirari, quum idem sit filius dei. Hoc traditum est illi, quod semper cum patre habuit commune. Siquidem venit hora. Mat. vigesimoquarto. De die illa hora nemo scit, neque angeli cælorum, nisi pater solus, quando omnes qui mortui sunt & sepulti, audient omnipotentem vocem filij dei, atque ilico reuiuiscant corpora: & qui mortui fuerunt & humo conditi, prodibunt. 1. Thef. 4. Quoniam ipse dominus in iussu & in voce archangeli & in tuba dei descendet de cælo. 1. Corin. 15. Canet enim tuba, & mortui resurgent in corrupti. Qui bona fecerunt, nō enim sola fides absque operibus iusti-

mortuis 170
desse.

Pro mortuis oratum
et ante aduentu Christi
fuisse.

fiat, sed oportet etiam opera adesse, tunc enim propriè fides est. Roma. 2. Non enim auditores legis iusti sunt apud deum, sed factores legis iustificabuntur. Iaco. 2. Fides sine operibus mortua est in semetipsa. Hinc dominus, misericordiae opera in proximos collata, caelesti præmio remuneranda testatur, Mat. 25. Luc. 14. & Lucæ. 16. Contrà qui in iniquitatibus perseverant, resurgens in iudicium cõdemnationis. Non enim est illius resurrectio ad vitam. 2. Mach. 7. Ideo non dicuntur propriè resurgere. Psal. 1. Ideo non resurgent impij in iudicio, neque peccatores in consilio iustorum. Dan. 12. Multi de iis qui dormierunt in terræ pulvere, euigilabunt: alij in vitam æternam, alij in opprobrium, ut videant semper. Non solum autem differens erit resurrectionis status bonorum & malorũ, sed & conditio bonorum. 1. Corin. 15. Stella differt à stella in claritate, sic & resurrectio mortuorum. Philip. 3. Salvatorem expectamus dominum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ. Videt ergo geminam doctrinam fieri per metum & lætitiã. Nam quum dicit, impia facientes condemnari, deterret: quum autem resurgere ad vitam, lætificat, & per lætitiã exhortatur. Hinc est quod non tam constanter, quàm gaudenter sancti pro domino moriuntur. Heb. 11. Non suscipientes redemptionem, ut meliorem inuenirent resurrectionem. Non ergo de carnis depositione per mortem nimium dolendum, sed diuinum iudicium præcauendum. Ecclesi. 18. Ante iudicium para iustitiã tibi. Nam horrèdum est incidere in manus dei uiuentis, Heb. 10. Eccle. 1. Si pœnitentiã non egerimus, incidemus in manus domini, & non in manus hominũ. Ideo Psalm. 15. Prouidebam dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi ne commouear.

Non possum ego à meipso facere quicquam. Sicut audio iudico, & iudicium meum iustum est: quia non quæro uoluntatem meam, sed uoluntatem eius qui misit me. Si ego testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum non est uerum. Alius est qui testimonium perhibet de me, & scio quia uerum est testimonium eius quod perhibet

de me. Vos misistis ad Ioannem, & testimonium perhibuit ueritati. Ego autem non ab homine accipio testimonium, sed hæc dico, ut uos salui sitis. Ille erat lucerna ardens & lucens, uos autem uoluistis ad horam exultare in luce eius.

Ostendit quòd radix malitiæ, vanæ gloriæ cupido, non sinit hominem salubribus submittere se institutis, quàm certissimis testimoniis roboratis. Eadè potestas patris & filij ostenditur, & in nullo sibi deesse aliquid à patre, siue in sermonibus, siue in operibus, siue in iudiciis. Nec ergo est quòd quisquam calumniaretur filij iudiciũ uelut iniquum: eoquè iustum est, quia non est illi alia uoluntas quàm quæ est patris, ut aliquo pacto corrupta uoluntas corruptum pariat iudiciũ. Qui enim suam uoluerit stabilire, fortassis suspectus erit quòd cotrumpat quòd iustum est: qui autè non sua spectat, quo prætextu possit iniusta iudicare? Psalm. 10. Iustus dominus & iustitias dilexit, æquitatem uidit uultus eius. Obserua duplicem in Christo naturam: diuinam, qua patri æqualis: humanam, qua patre minor & subiectus. Sic duplicem uoluntatem, diuinam, & humanã, de qua Lucæ. 22. Veruntamen non meã uoluntas, sed tua fiat. Apud homines lenis est ille, qui testimonium perhibet de seipso, & arrogans habetur, qui sua ipsius uoce magna vindicat. Prou. 27. Laudet te alienus, non os tuum. Hinc testimonium meum, secundum uestram estimationem non uidetur uerum. Quòd si solus ipse mihi testis sum, sit apud uos testimonium meum. Alius est, pater scilicet. Matt. 3. Hic est filius meus dilectus. Vel Ioannes, Hic enim uenit ut testimonium perhiberet de lumine, Ioannis primo. Ponit ergo tria testimonia. Ioãnem, quem fide dignum habuerunt. Huius certè testimonium, cum tantũ tribuebant ei, ut eum crederent Messiam, apud eos pondus habere debuit, præsertim quum à Christo non fuerit procuratum, sed ab ipsis expressum. Non pendeo, inquit, à Ioannis testimonio: sed tamè optaré apud uos habere pondus, ne pereatis ob incredulitatem. Magnus quidem erat Ioannes, sed lux ipsa promissa mundo non erat. Esaiæ. 9. Populus qui ambulat

bat in tenebris, vidit lucem magnā: habitātib in regione vmbrae mortis, lux orta est eis. Esa. 49. Dedi te in lucē gentium, vt sis salus mea vsque ad extremū terrā. tantum erat lucerna de nostro igne ardens, de nostro lumine lucens. Vos voluistis illū esse Messīā, qui se negabat dignum qui solueret corrigiā calceamentorum Messīae. Cur ergo testimonium illius apud vos nūc leue est quod de me tulit, quum alioqui de illo tam magnificē senseritis? An sit Ioannes diuini amoris igne, gaudēs ad vocem sponsi, Ioānis. 3. Arguens transgressores. Luc. 3. Genimina viperarum, quis ostendit vobis fugerē à ventura ira? Facite ergo fructus dignos poenitentiae. Luxit radiis sapientiae & exemplaris vitae, sed ad corruscationem superuenientis claritatis imminutus est. Ioan. 3. Illum oportet crescere, me autem minui. Secundō, opera.

2 Ego autem habeo testimonium malus Ioanne. Opera enim quae dedit mihi pater ut perficiam, ipsa opera quae ego facio, testimonium perhibent de me, quia pater misit me. Et qui misit me pater, ipse testimonium perhibuit de me. Neque uocem eius unquam audistis: neque speciem eius uidistis. Et uerbum eius non habetis in uobis manens, quia quem misit ille, huic uos non creditis.

Si ergo illius testimonio diffiditis, ego ex me ipso certius habeo testimoniū, nimirum patris mei, qui maior est Ioāne, cuius testimoniū refelli non potest. Nullū certius testimoniū ipsis factis, ea si uideris esse digna deo, si uideris à me fieri, satis de me testificantur, me nihil ex me ipso facere, sed ex deo qui me salutis uestrae causa, misit in mundū. Quia igitur pater dedit mihi illa, ideo deo aduersaris estis, qui illius operibus aduersamini. Io. 15. Si opera nō fecissem in eis, quae nemo alius fecit, peccatū nō haberent: nunc autem & uiderūt, & oderūt, & me, & patrem meū. Tertiō patrem, qui per omnē scripturā tā legis quā prophetarū testatus est. Nulla enim aetas (vt dicit Aug.) vacauit à prophetia de Christo, Lucā. 1. Sicut locutus est per os sanctorū, qui à seculo sunt, prophetarum eius. Ro. 10. Finis legis Christus. Pater autē quū spiritus sit, nec uo-

ēē habet, vt audiri possit auribus humanis, nec specię quae cerni possit oculis corporeis. Nam moysi non talis apparuit, & auditus est, qualis est suapte natura, quem admodū uos existimatis. Sic enī soli filio uisus est atq; auditus, & tamē aliqua uoce, aliqua specie se uestris sensibus insonauit. Nā patribus aliena in specie, uel imaginatione formata, uel angelo in persona dei apparere, uel alio modo consimili. Vnde Exo. 31. Loquebatur autem dominus facie ad facie, sicut solet loqui homo ad amicū suū. Qui ait: Ostende mihi gloriā tuā. Respondit: Non poteris uiderē facie meam. Non enim uidebit me homo & uiuet. Hinc Stephanus Act. 7. Hic est qui fuit in solitudine in ecclesia cū angelo, qui loquebatur ei in monte Sina, & cū patribus uestris, qui accepit uerba uitaē dare uobis. Sic ergo uidit Iacob, Gene. 32. Vidi dominū facie ad facie, & anima facta est anima mea. Esa. 6. Vidi dominū sedentem super solium excelsum & eleuatum, & plena erat omnis domus à maiestate eius. Sed quem admodū audistis uocē eius & nō credidistis, auditis Ioannē nec credidistis: ita nec legis nec prophetarū testimoniū haeret animis uestris: & eum quē sacrae literae promittunt, reuicitis: ei quem pater iuxta prophetarū promissa misit, non creditis. Psal. 118. In corde meo abscondisti eloquia tua, vt nōn peccem tibi.

Scrutamini scripturas, quia uos putatis in ipsis uitam aeternam habere. Et illae sunt quae testimonium perhibent de me, et non uultis uenire ad me, ut uitam habeatis. Claritatem ab hominibus non accipio, sed cognoui uos, quia dilectionem dei non habetis in uobis. Ego ueni in nomine patris mei, et non accepistis me: si alius uenerit in nomine suo, illum accipietis. Quomodo uos potestis credere, qui gloriam ab inuicem accipitis, et gloriam quae a solo deo est non queritis? Nolite putare quia ego accusatorum sum uos apud patrem. Est qui accusat uos Moyses in quo uos speratis. Si enim crederetis Moysi, crederetis utique et mihi: de me enim ille scripsit. Si autem illius literis non creditis: quomodo uerbis meis credetis?

*Scrutatio
duplex.*

Discutite solerter dicta prophetarum & legis, & inuenietis quia testatur de me. Est scrutatio diuinorum pia agnoscendę veritatis auiditate. Sic audietes Paulum, quotidie scrutabantur scripturas, si quę docebat, ita se haberent, Act. 17. P. sal. 118. Mirabilia testimonia tua, ideo scrutata est ea anima mea. Est alia curiosa, qua quis difficultia scripturę curiosę proprio sensu inquirere nititur, ac iudicare. Pro. 25. Sicut qui mel multum comedit, nō est ei bonū: sic qui scrutator est maieſtatis, opprimetur à gloria. Ideo admonet Eccl. 3. Altiora te ne quęseris, & fortiora te ne scrutatus fueris: sed quę pręcepit tibi deus, illa cogita semper: & in pluribus operibus eius ne fueris curiosus. Nō dixit, in quibus habetis vitā, sed putatis inaniter propter duritiā cordis vestri, quanquam sic fuisset, obediendo intellexissetis. Esa. 7. Nisi credideritis, non intelligetis. Illę enim determinant incarnationis tempus. Gen. 49. Non auferetur sceptrum de Iuda, nec dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium. Dan. 9. Scito ergo &c. Modum. P. sal. 71. Descendet sicut pluuia in Vellus, & sicut stillicidia stillantia super terram. Et ascendet sicut virgultum coram eo, & sicut radix de terra sitienti. Esa. 7. Ecce virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emanuel. Locum. Mich. 5. Et tu Bethleem Ephrata, paruulus es in milibus Iuda, ex te mihi egredietur qui sit dominator in Israel, & egressus eius ab initio à diebus æternitatis. Quo ad conuersationis statum. Baruc. 3. Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est. Zacha. 9. Ecce rex tuus venit tibi iustus & saluator, ipse pauper. Hierem. 14. Tibi peccauimus expectatio Israel, saluator noster in tempore tribulationis. Quare quasi colonus futurus es in terra, & quasi viator declinans ad manendum? Quare fururus es velut vir vagus & fortis qui non potest saluare? Tu autem in nobis es domine, & nomē tuum inuocatum est super nos, ne derelinquas nos. vltimò, quo ad passionis exitum. Da. 9. Et post hebdomades sexagintaduas occiderit Christus, & non erit eius populus qui cum negaturus est. E. saias. 53. summam totā perstringit passionem. Ostendit ita que eos ex proposito, & non natura, malos. Non vultis, inquit, venire, quanquam non sit aditus ad

*Scripturę
q̄ manifeste
indican-
tine circūſta-
tias Messie*

vitam nisi per me tot testimoniis comprobatum à me, vt minimo negotio vitam habeatis. Nam credidisse filio quem misit pater, salutis est ianua. Incredulitas ergo vestra non ex inopia est testium, sed ex inopia charitatis in deum, præsertim cum ego nec gloriam, nec regnum, nec opes ambiam apud homines: tantum ambio gloriam patris, & in hoc ambio, vt vos seruemini. Si Christus qui habet in vestimento & in femore scriptum, Rex regum, & dominus dominantium, Apoc. 19. claritatem ab hominibus non accepit: nam quæsitus in regem, fugit, Ioan. 6. quid miseri & ad omne malum procliui vanitate sedumur, quærentes sciri, reputari, honorari? Eccl. 10. Odibilis coram deo & hominibus superbia: causam subinfert dicens quia dilectionē dei non habetis in vobis, tamen hoc iactetis quod me persequamini propter deum. Etenim qui diligit, credit & optemperat: & qui patrem diligit, non potest odisse filium illi charissimum: & qui legantem amat, non potest aspernari legatum. r. Timo. r. Finis præcepti est charitas de corde puro, cōscientia bona, & fide non ficta. Sed 1. Ioan. 3. Qui non diligit, manet in morte. Vbiq̄ autem patrem celebrat, & ab ipso se dicit missum esse, nihil se posse à seipso, & prorsus humilia multa loquitur, volens è medio tollere omnem ingritudinis & elationis rationem. Hinc in nomine patris dicit se venisse, non suo. Et quā estis, inquit, peruerse increduli mihi, qui patris nomine veniens, gratis vitā ac salutem offero: tam eritis stultē creduli, si quis suo nomine veniens, sibi dei gloriam arrogans, seipsum inæstimabili mentis tumore extollens super omne quod dicitur deus. 2. Theſ. 2. suūque, nō dei negotium agens, ea vobis pollicens quæ diligitis, vobis adferat ea quæ pertrahant in mortem æternam. Vera laus est, meruisse laudem apud deum: vera pietas est, omnem deo gloriā trahere. Quomodo igitur potestis credere mihi, nihil aliud prædicandi quàm gloriā dei, quum vos contempta vera gloria quæ à deo proficiscitur, venemini falsā gloriā apud homines, inuicem vobis adulantes, & deo suā gloriā inuideutes? Principes enim & magistri ipsi soli volentes haberi apud vulgus, non accipient me, ne imminuatur eorum gloria: populi autē inquerentes diligi à

principibus, non me accipient, vt ne excidant propter me ab honore, quæ à principibus habent. Eluceſcit quam peſtifera res vanæ gloriæ ſit cupido, quæ omne ſpirituale bonum impedit, & eneruat, ac deo exoſum reddit. *Psal. 52. Quoniam deus diſſipat oſſa eorum, qui hominibus placent, confuſi ſunt quoniã deus ſpreuit eos. Hinc Gala. 1. Si adhuc hominibus placerem, Chriſti ſeruus non eſſem. Ideo. 2. Cor. 10. Qui gloriatur, in domino gloriatur. non enim qui ſeipſum commendat, ille probatus eſt, ſed quem deus commendat. Nolite putare quod ego cupiens viciſci contemptum meum; vos delaturus ſum apud patrẽ, nihil opus eſt me delatore. Moyses ipſe vos deferret, cuius authoritatem apud vos ſacroſanctam fingitis; & in quo ſummã fidem collocatis, habentes pro oraculo quicquid ille ſcripſit. Quem ſicẽ colitis, cuius authoritas vobis leuis eſt in eo, in quo maximẽ debebat valere, ſiquidem ille de me ſcripſit. Deu. 18. Prophetam de gente tua & de fratribus tuis ſicut me ſuſcitabit tibi dominus deus tuus, ipſum audies, vt petiſti à domino deo tuo. Et ait dominus mihi: Prophetam ſuſcitabo eis de medio fratrum ſuorum ſimilem tui, & ponam verba meã in ore eius, loqueturque ad illos omnia, quæ præcepero illi. Qui autem verba eius quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit. ego vltor exiſtam. Et enim ſi fidem haberetis Moyſi, nimirum & mihi crederetis, quem ille promiſit; & cuius dictis credi iuſſit. Si autem illius dictis non creditis, quia nec intelligitis. 2. Cor. 3. Vſque in hodiernum diem idiplum velamen in lectione veteris teſtamẽti manet non reuelatum, quod in Chriſto euacuatur, ſed vſque in hodiernum diem cum legitur Moyses, velamen poſitum eſt ſuper eorum. Cum autem conuerſus quis fuerit ad deum, auferetur velamen. Quomodo meis verbis, quem minoris facitis, credetis? Chryſoſtomus: Qui metalla fodere aggreditur artis ignarus, auri venas non inuenit, ſed confunditur, laborem ſubit caſum: ita qui diuinarum ſcripturarum ordinem non intelligunt, qui earum proprietates, qui leges non diſquirunt, ſed omnia ad verborum ſententiam accipiunt, aurum terræ confundentes, nunquam reconditum in his theſaurum conſequuntur.*

DE QVINQVE PANIBUS, Ioannis ſexto.

ARTICVLVS X.

Post hæc abiit Ieſus trans mare Galilææ, quod eſt Tiberiadis, & ſequebatur eum multitudo magna, quia uidebant ſigna quæ faciebat ſuper iis qui infirmabantur. Subiit ergo in montem Ieſus, & ibi ſedebat cum diſcipulis ſuis. Erat autem proximum Paſcha dies feſtus iudeorum. Cum ſubleuaſſet ergo oculos Ieſus, & uidiſſet quia multitudo maxima uenit ad eum, dixit ad Philippum: Vnde ememus panes ut manducent hi? Hoc autem dicebat tentans eum. ipſe enim ſciebat quid eſſet facturus. Reſpondit ei Philippus: Ducentorum denariorum panes non ſufficiunt eis, ut unusquiſque modicum quid accipiat. Dixit ei unus ex diſcipulis, Andreas, frater Simonis Petri: Eſt puer unus hic, qui habet quinq̄ panes hordeaceos & duos piſces: ſed hæc quid ſunt inter tantos? Dicit ergo Ieſus: Facite homines diſcumbere. Erat autem fixum multum in loco. Diſcubuerunt ergo uiri numero quaſi quinque millia. Accepit ergo Ieſus panes, & cum gratias egiſſet, diſtribuit diſcumbentibus. Similiter & ex piſcibus quantum uolebãt. Vt autem iuſpleti ſunt, dixit diſcipulis ſuis: Colligite quæ ſuperauerunt fragmenta, ne pereant. Collegunt ergo, & impleuerunt duodecim cophinos fragmentorum ex quinque panibus hordeaceis & duobus piſcibus, quæ ſuper fuerunt iis qui manducauerant. Illi ergo homines cum uidiſſent quod Ieſus faceret ſignum, dicebant: Quia hic eſt uerè propheta, qui uenturus eſt in mundum.

PARS SECUNDA.

Vide super isto textu parte. r.ar. 45. f.

Iesus ergo cum cognouisset quia uenturi essent ut rap-
peret eum, & faceret eum regem, fugit iterum in montem ipse solus.

Vide ibidem.

DE AMBULATIONE

supra mare.

ARTICVLVS XI.

Ioan. 6.
T

UT autem sero factum est, descenderunt discipuli eius
ad mare. & cum ascendissent nauim, uenerunt trans
mare in Capharnaum. & tenebra iam facta erat, & non
uenerat ad eos Iesus. Mare autem uento magno flante,
exurgebat. Cum remigassent ergo quasi stadia uiginti-
quinque aut triginta, uidet Iesum ambulante supra mare,
& proximum naui fieri, & timuerunt. Ille autem dixit
eis: Ego sum: nolite timere. Voluerunt ergo eum accipere
in nauim, & statim nauis fuit ad terram in qua ibant.

Super hoc textu vide par. r.ar. 46. h

DE PRAEDICATIONE

Eucharistiae.

ARTICVLVS XII.

VLTIMA die turba quae stabat trans mare, uidit quia
nauicula non erat ibi alia, nisi una: & quia non in-
troisset cum discipulis suis Iesus in nauim, sed soli discipuli
eius abiissent: aliae uero superuenerunt naues a Tiberiade,
iuxta locum ubi manducauerat panem, gratias agentes deo.
Cum ergo uidisset turba quia Iesus non esset ibi, neque
discipuli eius, ascenderunt in nauiculas, & uenerunt Ca-
pharnaum quarentes Iesum. Et cum inuenissent eum trans
mare, dixerunt ei: Rabbi, quando huc uenisti?

Ostendit, non commodi gratia temporalis, nos quic-

ARTICVLVS XII.

59

quam agere debere, sed diuini honoris & laudis: alioqui
perit merces operis aeterna. Turbae quum uiderent unam
tantum nauim adfuisse, in quam discipuli tantum ingres-
si fuerant, & non Iesus ipse, quia multum quaesitum non
inuenierunt, & naues aduenissent ad traiciendam eam,
conscensis nauibus traiecerunt Capharnaum ibi quaesi-
turi Iesum, quod illic haberet domicilium, & quod sci-
rent apostolos eum traiecisse. Cupientes uero ex ipso tem-
pore colligere quomodo transisset, interrogabant quan-
do uenisset. suspicabantur enim & hic rem miraculo pe-
ractam, quemadmodum pridie paucis immensam mul-
titudinem.

Respondit eis Iesus & dixit: Amen amen dico uo-
bis, quae uis me non quia uidistis signa, sed quia man-
ducastis ex panibus & saturati estis. Operamini non ci-
bum qui perit, sed qui permanet in uitam aeternam, quem
filius hominis dabit uobis, hunc enim pater signauit deus.
Dixerunt ergo ad eum: Quid faciemus ut operemur o-
pera dei? Respondit Iesus & dixit eis: Hoc est opus dei,
ut credatis in eum quem misit ille.

Iesus itaque ut hic quoque suam declararet diuinita-
tem, quod non ignoraret illorum cogitationes. Hiero. 17.
Primum cor hominis & inscrutabile. quis cognoscet il-
lud? Ego dominus scrutans cor & probans renes. quum
uideret turbam ad se rursus confluere similibus miracu-
lis inhiantem, quae uentrem potius explerent quam mentem
erudirent: ex occasione cibi semel praebiti, docet qui ci-
bus illis potissimum sit experendus. Non quaeritis, inquit,
me ob animae, sed corporis refectioem: sed non magnum
est, corpus, hoc, alioqui & perituum, pascere: sed oportet
maxime spiritualium agere curam, & non omnem sollicitu-
dinem in corporalem cibum insumere, & negligere tem-
pus aptum doctrinae. Cyrillus: Nulla nobis carnis cura
habenda est, sed necessariis, & aeternis inuigilandum. non
enim differt a bestiis, qui corporis voluptates infectatur,
sed qui uirtutibus inhaeret, & spiritali uitam peragit le-
ge. Ille qui omnino deditus est his quae diuinitus concessa,
ad superiores iter praeparant, is mihi uidetur seipsum co-

gnouisse, nec ignorasse rationale animal ad imaginem conditoris esse productum. Non simus ergo solliciti quid manducemus: sultissimum enim est carnem & carni iucunda sic amplecti, ut nullam, aut vix æqualem de anima, quæ multo præstantior corpore, curam habere videamur: cui tantò studere quisque magis iubetur, quanto cæteris præstantior est. Sic enim sapienter & iudicabimus, & operabimur. Qui autem pigritiæ deditus, ventri viuunt, deliciis vacat: is cibum operatur qui perit, qui vero labore suo proximum nutrit, potum dat, vestit, non perdet mercedem suam, si amore dei id facit, Matt. 25. Quicquid enim finem habet in deum, preciosum est: quicquid cessat & hodie est, cras verò desinit, etiam maximum, quàm vilissimum est æstimandum. Cibum iste intelligi potest mystica sumptio carnis domini, quam ipse nobis dat, factus filius hominis, quem pater obsignauit, hoc est, ostendit & confirmauit testimoniis, quod sit filius suus. Vel actio virtuosa, & quicquid spiritaliter alitmentem, perducens in vitam æternam. hunc pater consignauit requirendum. Hæc rudis turba cum non intelligeret, ac ne animaduerteret quidẽ, rota intenta ventris negotio, respondit: Quoniam admones nos ut operemur cibum, quendam qui manet in nobis, adferens vitam æternam: quid igitur faciemus, ut operemur ea, quæ deo digna sunt, & vitam promereamur æternam, quorũ gratia te dicis venisse in mundum? Hoc est, inquit, opus quod efflagitat à vobis deus, ut credatis in eum quẽ misit ille, & per quem vobis ille loquitur, ne planè gratis vel indignis potius, vitam æternam vobis largiri videatur. Gloss. ord. Fides per dilectionem operans, est opus: quia etsi desit facultas, non quaeritur nisi voluntas, estque initium & finis totius boni. Signanter ait. opus dei: quia opera fidei hominis opera esse possunt, sed sine fide deo placere non possunt. Heb. 11. Sine fide impossibile est placere deo, quæ per dilectionem operatur. Gal. 5. Sed Rom. 5. Charitas dei diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum qui datus est nobis. Obserua quòd non durè arguat dicendo: o mancipia ventris & gulosi, sed cum mansuetudine, ut cum detegit occulta cordis illorum, ad maiorem illos adduceret fidem.

Dixerunt ergo ei: *Quod tu facis signum, ut videamus & credamus tibi: quid operaris: atres nostri manducauerunt manna in deserto, sicut scriptum est: Panem de celo dedit eis manducare.* Dixit ergo eis Iesus: *Amen amen dico uobis, non Moyses dedit uobis panem de celo, sed pater meus dat uobis panem de celo uerum, Panis enim uerus est, qui de celo descendit, & dat uitam mundo.* Dixerunt ergo ad eum: *Domine, semper da nobis panem hunc.* Dixit autem eis Iesus: *Ego sum panis uitæ, qui uenit ad me, nõ esurit: & qui credit in me, non sitiet in æternum.* Sed dixi uobis, quia & uidistis me, & non credidistis.

Verè gastrimargi, qui iterum signum quaerunt tale quod ventri prodesset. Si tibi, inquit, vindicam peculiarem auctoritatem supra maiores nostros, quorum auctoritatẽ hætenus sequuti sumus, præbe specimen & documentum auctoritatis à deo traditæ, ut eo conspecto, credamus non verbis tuis, sed factis. Ut homines passionati loquuntur, qui ad omnem ventum feruntur. Nam antè satiati, dixerunt: Hic est verè propheta qui venturus est in mundum. nunc increpati, signum petunt quasi prius nullum vidissent miraculum. Non Moyses, sed deus ministerio angelorum dedit manna, figuram veri panis futuri qui de celo descendit, naturam nostram assumendo. Ioan. 16. Exiui à deo, & ueni in mundum. & se visibilem præbendo. Baruch. 3. Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est. Hic ergo panis nõ est corporeus, nec ex aere depluit, sed ab ipso deo proficiscitur, & tam efficax est, ut det vitam, non corporalem, sed animarum: nec vni populo, sed toti mundo. His auditis, Iudæi ne sic quiddem eriguntur ad amorem rerũ cælestium, sed adhuc ventris negotium somniantes, dixerunt: Domine, semper & c. Sic & mulier Samaritana Ioan. 4. Domine, da mihi hanc aquam, ut non sitiam, neque veniam huc haurire. Sic isti saturitatem amabant potius quàm salutem, & saturatorem requirebant potius quàm seruatorem. Iesus igitur ut excuteret illis som-

nium cibi corporalis, a pertius eis explicat se non loqui de pane qui dentibus manditur, sed de caelesti. Ego sum, inquit, panis ille vitæ æternæ largito. Hic ergo panis vita secundum naturam existens, vtpote viuentis patris filius, quod sibi proprium est facit: viuificat enim omnia. Igitur sicut qui ex terra panis infirmam naturam carnis continet, non sinens illam corrumpi: ita Christus per spiritus operationem animam viuificat; atque etiam ipsum corpus à corruptione conseruat. Per ipsum enim humanæ naturæ resurrectio & incorruptio corporum est concessa. 1. Cor. 15. Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur. At qui credit in illum panem, non esuriet, neque famem feret, sed satiabitur æterna satietate, tamen si ad tempus hic esuriat, donec perfecta cõpleatur satietate. Psal. 16. Satiabor. cū apparuerit gloria tua. Hinc dicitur Eccl. 24. Qui edunt me, adhuc esurient: & qui bibunt me, adhuc sitient. In futuro autem, ait Psal. 35. Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos. Ostendit autem eos non ignorantia, sed malitia peccare, quia ipsum viderant, & docerent ea quæ salutis sunt, audierunt, nec tamen crediderunt. Ioan. 15. Si non venissem & locutus eis fuissem, peccatum non haberent, nunc autem excusationem non habent de peccato suo.

Omne quod dat mihi pater, ad me ueniet, & eum quid uenit ad me, non eiciam foras: quia descendi de celo, non ut faciam uoluntatem meam, sed uoluntatem eius qui misit me.

Ostendit quod fides quæ in Christum est, non vulgaris quam res sit, sed donum dei, dignis & rectis corde datum, deo coniungens, & in æternam vitam perducens. Pater (inquit) meus, non solum Iudæorum, sed & omnium gentium deus est. Rom. 3. An Iudæorum deus tantum? nonne & gentium? Imò & gentium. Rom. 10. Nam idem dominus omnium, diues in omnes qui inuocant illum. Ex me nihil habeo quod non sit patris. quicquid autem mihi dederit, cuiuscunque gentis sit, hoc ad me ueniet per fidem, etiam si sit à lege Mosaica alienum. Heb. 11. Accedentem ad deum, credere oportet quia est, & inquirentibus se

remunerator sit. Quoniam ergo non est in aliquo alio salus. Act. 4. Nec enim est aliud nomen sub caelo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri, ideo omnia dedit ei pater in manus, Ioan. 13. vt per ipsum salutem cõsequatur. Ioan. 14. Nemo uenit ad patrem nisi per me. Vult enim pater quantum in ipso est, omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem ueritatis uenire. 1. Timoth. 2. Sed non omnium est fides. 2. Theff. 3. Non enim omnes obediunt euangelio. Roma. 10. Hinc Actu. 10. In ueritate cõperi, quia non est personarum acceptor deus, sed in omni gente qui timet eum, & operatur iustitiam, acceptus est illi. Vide nunc fructum ueniendi. Non eiciam, inquit, non perdam, sed saluabo & magna cura illum refocillabo. Mat. 11. Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam uos. Ioannis. 7. Qui sitit, ueniat ad me & bibat. Qui credit in me, sicut dicit scriptura, flumina de ventre eius fluent aqua uiuæ. Hoc autem dixit de spiritu, quem accepturi erant credentes in eum. Attende benignitatem: nam omnem uenientem suscipit, nec eicit. Iacob. 4. Appropinquate deo, & appropinquate uobis. Sic suscepit latronem, Luc. 23. Peccatores. Lucæ. 15. Erant appropinquantes ei publicani & peccatores, vt audiverunt illum, & murmurabant pharisæi & scribæ, dicentes: Hic peccatores recipit. O excæcaram inuidiam, non ferentem opitulari infirmis. Recipit peccatores, & iustos facit: infirmos, & sanos reddit. Sic Luc. 18. Sinite paruulos uenire ad me, & nolite uerare eos, talium est enim regnum caelorum. Qui ergo uenire nolunt, si suo uitio foris remanent & pereunt, sibi imputent, non deo qui omnes uocat. Hinc Iudæis ait, Ioan. 5. Non uultis uenire ad me, vt salui sitis. 1. Corinth. 5. Eos qui foris sunt dominus iudicabit. Sic qui suo uitio se eicit dignos reddunt, & pereunt, sicut Iudas. Ioan. 17. Quos dedisti mihi, ego custodiui: & nemo ex eis periit, nisi filius perditionis Ioan. 15. Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes, & arefcet: & colligent eum, & in ignem mittent, & ardet. Sic & mali prælati & doctores. Matthæ. 15. Quod si sal euauerit, in quo salietur? Ad nihilum ualet ultra, nisi vt mittatur foras, & conculcetur ab hominibus. Tales & in sine foras mittentur, cum electi intra-

bunt in gaudium domini sui. Mattha. 25. Euger serue bone & fidelis, quia in modico fuisti fidelis, supra multa te constituaui. intra in gaudium domini tui. Mattha. 13. Exibunt angeli, & separabunt malos de medio iustorum, & mittent eos in caminum ignis: Ibi erit fletus & stridor dentium. Luc. 13. Cum autem intrauerit paterfamilias & clauerit ostium: incipietis foris stare & pulsare, dicentes: domine domine, aperi nobis. Et respondens, dicit vobis: Nescio vos vnde sitis. Tunc incipietis dicere: Manducauimus coram te & bibimus, & in plateis nostris docuisti: & dicit vobis: Nescio vos vnde sitis, discedite à me omnes operarij iniquitatis: Ibi erit fletus & stridor dentium, cum videritis Abraham, & Isaac, & Iacob, & omnes prophetas in regno dei, vos autem expelli foras: & venient ab oriente, & occidente, & aquilone, & austro, & accumbent in regno dei. Apocalyp. secundo: Foris canes, & venefici, & impudici, & homicidæ, & idolis seruientes, & omnis, qui amat, & facit mendacium. Qui ergo intus manent, replentur ab vbertate domus dei, & torrente voluptatis portantur, Psalmi. 35. nedum in futuro, sed & hic, Psalm. 22. Dominus regit me, & nihil mihi deerit: in loco pascuæ ibi me collocauit. Causam tanti boni indicat, dicens: In hoc ipsum descendi de cælo, non vt faciam quod ipse volo, veluti dissentiens à patre, sed quod vult pater qui misit me, à cuius voluntate, mea non potest dissidere, quum sit eadem voluntas. Descendit de cælo sicut deus, quando quidem incarnatus est: & ascendit in cælum cum carne, vt homo scilicet, vbi erat prius vt deus. Animaduerte incomprehensibilem filij humilitatem, qui ad mortem crucis vsque, paternæ obsecutus est voluntati. Philip. 2. Humiliauit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis. Hinc Luca. 22. Pater, si vis, transfer calicem hunc à me. veruntamen non mea voluntas, sed tua fiat. Obstupesce nostram superbiam, qui cõtra dei voluntatem, quæ nostram vult salutem, nostra stabile contendimus in perniciem nostrã. Oie. 13. Perditio tua Israel, tantummodo in me auxilium tuum. Nam Mattha. 7. Non omnis qui dicit mihi, domine domine, intrabit in regnum cælorum: sed qui facit voluntatẽ patris mei, qui in cælis est, ipse intrabit in regnum cælorum.

Hæc est enim voluntas eius qui misit me patris, ut omne quod dedit mihi, non perdam ex eo, sed resuscitem illud in nouissimo die.

Vt perstringat corda illorum, & agnoscant se dei munere indignos, dicit quod dedit mihi pater: hoc ipsi indigni, suis exigentibus prauitatibus. Ioan. 3. Non enim misit deus filium suum in mundum, vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum. Hanc voluntatem per omnia implere studuit. Ioann. 4. Meus cibus est, vt faciam voluntatem eius qui misit me, vt perficiam opus eius. Hebræ. 10. in capite libri scriptum est de me, vt faciam deus voluntatem tuam. Superius dicens, quia hostias, & oblationes, & holocaustomata, & pro peccato nolui, nec placita sunt tibi, quæ secundum legem offeruntur: tunc dixi, ecce venio vt faciam deus voluntatem tuam: in qua voluntate sanctificati sumus, per oblationem corporis Christi Iesu semel. Vult ergo pater vt filius seruet, ne pereat: quod tradidit ad vitã, ne mundus rapiat ad mortem. Mat. 18. Non est voluntas ante patrem vestrum qui in cælis est, vt pereat vnus de puillis istis. Quanta sollicitudine hæc voluntas nobis inquirenda & obseruanda, quæ nostram salutem & quærit, & operatur? Eph. 5. Videte itaque fratres, quomodo cautè ambuletis, non quasi insipientes, sed vt sapientes, redimentes tempus, quoniam dies mali sunt: propterea nolite fieri imprudentes, sed intelligentes quæ sit voluntas dei. 1. The. 4. Hæc enim est voluntas dei, sanctificatio vestra, vt abstineatis vos à fornicatione, vt sciat vnusquisque vestrũ vas suum possidere in sanctificatione & honore, non in passione desiderij, sicut & gentes quæ ignorant deũ. In omnibus ergo dicere debemus illud Iob. 1. Dominus dedit, dominus abstulit, sicut domino placuit, ita factum est: sit nomen domini benedictum. Totum enim fit in salutem electorum. Roma. 8. Diligentibus deum omnia cooperantur in bonum. Vnde Roma. 14. Siue viuimus, siue morimur, domini sumus. Hinc Petrus admonet. 1. Pet. 5. Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiã, humiliamini igitur sub potenti manu dei, vt vos exaltet in tempore visitationis, omnem sollicitudinẽ proiicientes in eum, quoniam ipsi

cura est de vobis. Duplex commodum ei qui venit ad ipsum. nam ipso seruante non perit. Ioannis. 10. Oves meae vocem meam audierunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me, & ego vitam aeternam do eis, & non peribunt in aeternum, & non rapiet eas quisquam de manu mea. Alterum, quia vult pater ut corpus quoque defunctum, vitæ per ipsum reddatur in nouissimo die, ut iam totus & anima & corpore viuat. Iob. 19. Scio quod redemptor meus uiuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum, & rursus circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo deum saluatorem meum. Quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius. reposita est hæc spes mea in sinu meo.

Hæc est autem uoluntas patris mei qui misit me, ut omnis qui uidet filium, & credit in eum, habeat uitam aeternam. Et ego resuscitabo eum in nouissimo die.

Ostendit ueniendi modum, nempe per fidem, qui uidet, inueniens. 1. Corin. 13. Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem, quæ est uita aeterna. Ioan. 17. Hæc est uita aeterna, ut cognoscant te solum deum uerum, & quem misisti Iesum Christum. Qui ergo Christum per fidem in se habet, vitam aeternam habet, primæ Ioan. 1. Annunciamus uobis vitam aeternam, quæ erit apud patrem, & apparuit nobis. Nam licet corpore moriatur, anima tamen uita gratiæ uiuit. Obserua hic, quod quidam iuxta Paulum mox debito naturali persoluto, uitam consequuntur supernam cum Christo. 2. Cor. 5. Scimus quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, quod ædificationem ex deo habemus, domum non manufactam, sed aeternam in caelis. Nam & in hoc ingemiscimus, habitationem nostram quæ de caelo est superindui cupientes, si tamen uesiti & non nudi inueniamur. Nam & qui sumus in hoc tabernaculo, ingemiscimus grauati, eo quod nolumus expoliari, sed superuestiri. ut absorbeat quod mortale est, à uita. Qui autem efficit nos in hoc ipsum, deus, qui etiam dedit nobis pignus spiritus. Audiētes igitur & scientes quoniam dum sumus in hoc corpore, peregrinamur à domino: per fidem enim ambulamus, &

non per speciem. Audemus autem & bonam uoluntatem habemus magis peregrinari à corpore, & praesentes esse ad dominum. Et ideo contendimus siue absentes, siue praesentes placere ei. Hinc ait Philipp. 1. Desiderium habens dissolui & esse cum Christo, multo magis melius. Horum enim opus manet, quod superaedificauerunt fundamento Christo, quare mercedem accipiunt. 1. Cor. 3. Quod contra mali in inferno, quemadmodum diues ille epulo. Luc. 16. Lazarus uero hic purgatus igne tribulationis, mox in finem deportatus est Abrahæ. Qui uero superaedificauerunt ligna, foenum, stipulam, non aurum, nec argentum, neque lapides preciosos, nec hic purgati sunt igne proprii iudicij uel diuini, non perueniunt nisi illic purgati. Non enim intrabit in illam supernam ciuitatem aliquid coinquinatum, Apoc. 21. Hinc diuinus ille Cyprianus libro quarto. epist. 2. Aliud est, ad ueniam stare: aliud, ad gloriam peruenire: aliud, missum in carcerem non exire inde, donec soluat nouissimum quadrantem: aliud, statim fidei & uirtutis accipere mercedem: aliud, pro peccatis longè dolore cruciatum, emendari & purgari diu igne: aliud, peccata omnia passione purgasse. Aliud denique, pendere in die iudicij ad sententiam domini: aliud, statim à domino coronari. Ambrosius super illo. 1. Corinth. 3. Si quis superaedificat: tria genera posuit praecleara in mundo, quibus doctrinam bonam significat: alia tria posuit friuola, quibus corrupta & uana doctrina signatur. Opus ergo quod ardere dicitur, mala doctrina est, quæ interibit. Cuncta enim mala interibunt sicut & iter impiorum, Psalmist. 1. quia non substantia, sed asseuerationes peruersæ. Damnum autem pati, est poenas perpeti, quis enim in poena positus quia non substantia, sed asseuerationes peruersæ. Damnum autem pati, est poenas perpeti, quis enim in poena positus iacturam non facit? ipse inquit, saluus erit, sic tamen, ut saluus hæc non sine poena sit. Ostendit itaque illum saluum quidem futurum, sed poenas ignis passurum, ut per ignem purgatus fiat saluus, & non sicut per fidi aeterno igne in perpetuum torqueatur. ut ex aliqua parte operæ precium sic credidisse in Christum. Sicut autem est misericordiae diuinae, culpam poenitentem condonare, sic iustitiæ, poenam exigere. Psalm. 100. Misericordiam & iudicium cantabo tibi domine. Unde Ezechie. decimo octauo: Si autem impius egerit poenitentiam ab omnibus peccatis suis quæ

*Purgatorij
inferno.*

*Opus dissu-
rum quid.
Damnum pæ-
ni-*

operatus est, & custodierit omnia præcepta mea. & fecerit iudiciū & iustitiam, vita viuet & nō morietur. Omnium iniquitatū eius quas operatus est, non recordabor. In iustitia sua quam operatus est, viuet. Obserua quid velit cūm dicit, Si egerit pœnitentiā, custodierit præcepta, fecerit iudicium & iustitiā, in iustitia sua quam operatus est. Non ergo parum spei ingerit peccatoribus tanta domini misericordia, vt quod hic negligentius quidem, non autē peruersē actum est, illic resarciri valeat, nam æternum pereant cum damnatis, pœnam soluēdo aut per se, vel per suos. Cūm enim vnus sumus corporis membra. Rom. 12. Multi vnum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra. 1. Cor. 12. In idipsum pro inuicem solliciti sunt membra: & si quid patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra: siue gloriatur vnum membrum, congaudent omnia membra. Vos autem estis corpus Christi, & membra de membrō. Necessē est compati & subuenire membris in necessitate positis, quemadmodum & nos sanctorum vicissim exposcimus suffragia. Si diuēs ille æterni ignis stipula, fratribus, ne in similem inciderent pœnā, providere studuit: quātō magis nos mēbris nostris in Christo, quō citius liberentur spe resurrectionis? Hinc subdit: Ego resuscitabo. Duplex resurrectio: vna quidem communis & generalis, qua omnes etiam mali resurgunt: altera, qua soli iusti assumuntur in occursum domini in æra, & prius cūm magna fiducia domino occurrunt. 1. Thessalon. quarto. Vnde. 1. Corinth. 15. Sicut in Adā omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur. Sæpe autem memor est resurrectionis, vt persuadeat hominibus, ne his solūm quæ videntur, dei providentiā circumscribant, sed sciant esse & alium statū in quo absque dubio fruituri sint remunerationibus virtutis.

Resurrectio duplex.

Murmurabant ergo Iudæi de illo, quia dixisset, ego sum panis uiuus qui de celo descendī: & dicebant, Nōne hic est filius Ioseph, cuius nos nouimus patrē & matrem? Quomodo ergo dicit hic, quia de celo descēdit? Respondit ergo Iesus & dixit eis: Nolite murmurare in inuicem.

Non intelligentes quōd esset, sed in hoc respicientes quod apparebat, qui hactenus cibi spe ferebant vtrūq; sermone: nunc posteaquam vident adēptam spem pastus corporalis, vertuntur ad contumeliā, imitatores patrum suorum: & quem saturi volebant regem facere, nūc vt humilem contemnunt. Offendebat eos imbecillitas humani corporis, quōd tantum cernebant oculis corporis, quum ex factis diuinitate diuinā virtutē perspicere potuissent, si oculos fidei habuissent, Vnde dominus ait Philippo. Ioā. 14. Non creditis quia ego in patre, & pater in me est? Alio qui propter opera ipsa credere. & Io. 10. Opera quæ ego facio in nomine patris mei, hæc testimonium perhibent de me. Hinc ait Ioan. 7. Nolite secundū faciem iudicare, iustum iudicium iudicate. Dominus verō non respondit eis, Non sum filius Ioseph: nō enim poterāt intelligere patrem ineffabilem qui ex virgine, multō minus natiuitatis capaces, quæ ante secula ex patre.

Nemo potest uenire ad me, nisi pater qui misit me, traxerit eum: & ego resuscitabo eum in nouissimo die. Est scriptum in prophetis: Erunt omnes docibiles dei. Omnis qui audiuit a patre & didicit, uenit ad me. Non quia patrem uidit quisquam, nisi is qui est a deo, hic uidit patrē.

Ostendit quōd pauci ob id saluantur, quia se non accommodant gratiæ diuinæ. Iudæis enim inter se musticantibus ex contēptu ipsius, declarans se non latere cogitationes hominū, superiorem sermonem explanat, pariter & confirmat, Nemo potest venire interiori accessu per fidē & charitatē vt iungatur mihi, nisi pater secretis inspirationibus fidei trahat. Sunt enim tria nobis necessaria, si venire volumus ad Christum, quæ non a nobis, sed a deo expectanda. Primū, intellectus illuminatio. Ioan. 8. Ego sum lux mundi. Ioann. 1. Illuminat omnem hominem uenientem in hunc mundum. Omnia verō bonum appetunt. Cūm ergo ipse summum sit bonum, imō solus verē & natura bonus. Mat. 10. Nemo bonus nisi solus deus, cognitione trahit. Augustinus: Trahit pater ad filium eos qui propterea credunt in filiū, quia cum cogitant pa-

Tria ad Christum

*chis necessa-
rio qua.* trem habere deū. Sic Mat. 16. Tu es Christus filius dei vi-
ui. Secundum affectus inflammatio. Nam concupiscentia
abstrahit & illicit nos, Iacob. 1. & ad peccatum inducit.
Ideo Rom. 7. Charitas dei diffusa est in cordibus nostris
per spiritum sanctum, qui datus est nobis: si in iis quibus
non est vera dilectio, trahitur homo amore & desiderio,
quanto magis trahitur aliquis vehementi delectatione,
cui pater reuelat filium, qui est vera beatitudo, & vita, & om-
ne bonum? In presenti ergo trahitur, vt videat in futuro
quod credit, & manducet quod esurit, & habeat quod
amat & desiderat. Tertiū, effectus consummatio. Sap. 9.
Corpus quod corrūpitur, aggrauat animam, & deprimit
terrena cogitatio sensum multa cogitantem. Roma. 8. Ip-
se autem spiritus adiuvat infirmitatē nostram. Hinc ait
Apostolus Rom. 9. Non est volentis, neque currentis, sed
miserentis dei. Quid ergo dicemus: Si omne quod dat pa-
ter, venit ad eum, & quodcumque traxerit, & nemo po-
test venire nisi tractus, nisi datum sit ei desuper, quibus
pater non dat, nullo crimine tenetur? Sed hæc verba ma-
litiæ sunt, ad excusandas excusationes in peccatis. Crede-
re enim volūtatis est, id quod nō paruum quid est. Roma.
19. Sed non omnes obediunt euangelio. Hinc Actu. 13. ait
Paulus Iudæis: Vobis oportebat primū loqui verbum dei;
sed quoniā repellitis illud, & indignos vos iudicatis æter-
næ vitæ, ecce conuertimur ad gentes. sic enim præcepit
nobis dominus: Posui te in lucem gentium, vt sis salus mea
vsque ad extremum terræ. Audientes autē gentes, gauisæ
sunt, & glorificabant verbum domini, & crediderunt
quotquot erant præordinati ad vitam æternā. Ecce quo-
modo gentes se accommodarunt gratiæ, & illuminatæ
sunt: Iudæi subtrahentes se, excaecati. Rom. 11. Cæcitas ex
parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium intra-
ret. Non ergo tollit libertatem arbitrij, sed ostendit quod
multa habeat opus cooperatione à deo is, qui crediturus
est. Illos enim trahit, qui mentis habent aptitudinem: eos
autem qui se ipsos non faciunt idoneos, non trahit ad fi-
dem. Nam sicut magnes non omnia attrahit, sed ferrum:
ita & deus ad omnes quidem appropriat, eos autem qui
idonei, & familiaritatem erga ipsum præferunt, tra-
hit. Non enim impartit tantum munus, nisi volentibus

*Libertas ar-
bitrij asseri-
tur.*

& audis. Non est ergo tractus iste violentus, neque coactus
sed amorusus atque spontaneus, ex diuina charitate pro-
cedens, Deus nanque mouet vnūquodque secundū pro-
priam suam naturam, & sic rationale ad Christum conuer-
tit, & mouet spontaneè ac libere, intellectualiter. Vnde tra-
ctus iste inter charitatē trahentis, & vnionem tracti, cū
ipso est medius, sine quo nihil possumus, Psal. 142. Anima
mea sicut terra sine aqua tibi. Cant. 1. Trahe me post te.
Hic. 31. in charitate perpetua dilexi te, ideo attraxit te mi-
serans. Sed quomodo? Ose. 11. in funiculis Adam traham
eos, in vinculis charitatis: Dei ergo donum est, sed noster
conatus. Vnde Augustinus: Initium nostræ salutis, deo
miserante habemus: vt acquiescamus salutari inspirationi,
nostræ potestatis est. Esa. 1. Si vuleritis & audieritis me,
bona terræ comedetis. vt adipsamur quod acquirendū
admonitione cognouimus, diuini muneris est: vt non la-
bamur, iam adempto salutis munere, sollicitudinis no-
stræ est, & cælestis pariter adiutorij. Vnde. 1. Cor. 10. Qui
stat, videat ne cadat. & 1. Cor. 15. Abundantius omnibus
illis laboraui: non ego autem, sed gratia dei mecum. Fru-
ctum consequenter ostendit, quia vitam consequitur im-
mortalem. Chryloto. Non parua dignitas filij, si pater
adducit, & ipse resuscitat, non vt opera trinitatis diuidā-
tur, sed vt personalitas virtutis ostendatur. Non ergo par-
uum venire ad Christum, quum vitam largiatur æter-
nam, nedum animæ, sed & corpori. Demum attractionis
pandit modum, neminem excludens. Erunt, inquit, om-
nes capaces doctrinæ, quare & tractus. Beda: Pluraliter
in prophetis dicit, quia omnes propheta vno eodemque
spiritu repleti, licet diuersa, ad idem tamen tendentiā,
prophetarunt. Esa. 54. Ponam vniuersos filios tuos do-
ctos à domino. Hic. 31. Non docebit vltra vir proximum
suum, & vir fratrem suum, dicens: cognosce dominum.
Omnes enim cognoscent me à minimo vsque ad maxi-
mum, ait dominus. Ioel. 2. secundum Septuaginta: Erunt
omnes docibiles dei. Qui ergo non attrahitur, ipse in
vicio, quia se subducit attrahere volenti. Qui enim audit
à patre, hoc est, qui reuelationem patris accipit, & di-
scipulus illius verè efficitur, is venit. Non enim qui au-
dit, sed qui didicerit, venit. Quia & si homines foris lo-
tur.

*Quis, cur
non traha-*

quantur, tamē solus deus sensum intus aperit, intus instruit veritatis cognitione & amore. Psalm. 84. Audiam quid loquatur in me dominus deus, quoniam loquetur pacem in plebem suam. Sed Mar. 13. Auditus audietis, & non intelligetis: & videntes videbitis, & nō videbitis. In crasatum est enim cor populi huius, & auribus grauer audierunt, & oculos suos clausurunt, nequando videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, & conuertantur, & sanem eos. Vestri autem beati oculi, quia vident: & aures vestrae, quia audiunt, Sed ne quis carnalem suspicetur patrem, oculis visibilem corporalibus: deus enim spiritus est, nec auditur, nec videtur nisi spiritualibus. Sic vidisse, sic audisse, salus est. Deum inquit, vt est, nemo mortalium vidit aut audiuit. Lucem enim habitat inaccessibilem. 1. Timot. 6. Hoc soli filio datum est, qui solus à deo profectus est, apud quem semper fuit, antequam veniret in hunc mundum. Ioan. 1. Deum nemo vidit vnquam. vnigenitus filius qui est in sinu patris, ipse enarrauit.

2 Amen amen dico vobis, qui credit in me, habet vitam eternam. Ego sum panis vitæ. Patres uestri manducauerunt manna in deserto, & mortui sunt. Hic est panis de caelo descendens, ut si quis ex ipso manducauerit, non moriatur.

Quisquis fiduciam habet in me, is iam habet vitam eternam: quum fontem habeat immortalitatis. Chrysof. Qui credit in me, habet me: quid est autē haberē me, nisi habere vitam eternam? vita enim aeterna, est verbum quod in principio erat apud deū. Ioan. 1. Et vita erat lux hominum: Assumpsit autem vita mortem, vt vita occideret mortem, Ose. 13. Ero mors tua o mors. Ioan. 14. Ego sum via, veritas, & vita. 1. Ioan. 5. Hic est verus deus & vita aeterna. Sape id repetit & inculcat, quod primum ante credentium sit vita eterna, qua nihil sublimius, iucundius, feliciusque excogitari potest. Quoniam de pane figurali obiecerant Iudæi, instruit de vero pane. Ego sum, inquit ille, ille panis qui vitam præstat, non corporalem & temporariam, sed animæ & æternam, gratiæ

in præfenti, & gloriæ in futuro. Volens autem excludere vanam Iudæorū gloriationem, & huius panis, respectu mannae, ostendere nobilitatem & vtilitatem, ait quod manducantes manna, mortui sunt corporaliter tam boni quam mali, nec virtute mannae vitæ restitui potera. Sic mali morte culpæ, quibus vsu mannae vita gratiæ non restituebatur. virtute autem huius panis, & animæ à morte culpæ reuiuiscunt & præseruantur, & in fine corpora animabus reuiuata, æterna vita perfruuntur, quam manna figurabat, non autem præstabat. Vnde manna sine labore colligebatur præparata, sed cum labore ad esum præparabatur. Sic eucharistiæ sacramentū sine merito nostro datur nobis, sed non sine præparatione sumendum. 1. Corint. vndecimo: Probet seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit, non diiudicans corpus domini. Naturaliter saporem habuit determinatum, quasi simile cum melle. Exo. 16. Et quasi panis olei cci, Num. 11. Sed operatione diuina bonis diuersos, p voto præstabat sapes. Sap. 16. Angelorum esca nutritiui populum tuum, & paratum panem de caelo præstitisti illis sine labore, omne delectamentum in se habentem, & omnis saporis suauitatem. Substantiam enim tuā & dulcedinem quam in filios habes, ostendebas: & deseruiēs vnus cuiusque voluntati, ad quod quisque volebat, conuertebatur. Mali verò naturali sapore attradiati, dicebant Num. 11. Anima nostra nauseat super cibo isto leuissimo. Verè & modo: sic est in angustiissimo isto sacramento, cui improbi, quod suo obtingit ipsorum vitio, ascribunt. Tertio, manna è caelo venit aereo. Exo. 16. cum rore. Iste panis è summo caelo cum plenitudine gratiæ Ioannis. 1. Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à patre, plenum gratiæ & veritatis. Quarto, defecit quam primum gustarunt de frugibus terræ promissionis Iordane transito. Iosue quinto. Vnde non sine causa hic addidit, in deserto, sed volens ostendere quod non valde diu datum fuerit patribus manna, sed solum in solitudine, & non in terra promissionis. Hic verò panis perpetuo durat, & vitam præstat, ne moriatur hic morte culpæ, & in futuro morte gehennæ, quæ est mors secunda, Apoc. 20.

Manna
& eucharistiæ collatio.

3 Ego sum panis viuus, qui de cælo descendi. Vt quis mā-
ducauerit ex hoc pane, uiuet in æternum: Et panis quem
ego dabo, caro mea est pro mundi uita.

Hic panis verè descendit è cælo, ac cælestem à deo vim
habet efficiendi, vt si quis eo vescatur, totus uiuat in æ-
ternum, nec vnquā morti sit obnoxius. Cyrillus: Mortui
sunt qui manna manducauerunt, quia nullam inde vitæ
perpetuæ virtutem acceperunt. Nō enim viuificabat, sed
tamen solūmodo corporalem remouebat, & figura
erat veritatis. Qui verò panem vitæ suscipiunt, immor-
talitatem consequentur, & omnia interitus mala effu-
giunt, cum Christo æternaliter viuentes. Et si communi
hac morte omnium, fideles cadere videantur, viuunt ta-
men deo. Est enim panis viuus, quia vita per essentiam,
& omnibus præstans vitam. Act. 17. non solū naturalē,
sed & gratiæ & gloriæ. Psal. 83. Gratiam & gloriam dabit
dominus. Roma. Gratia dei vita æterna. Quemadmodum
autem crudelitati vulnerum, non vnum, sed varia vicif-
sim remedia conferuntur, neque semel, sed frequenter
appositis remediis molliūtur: sic duro animo varia quæ-
dam, ac frequens accommodanda doctrina est, vt si pri-
ma parum profecerit aut tertia, vel eisdem verbis allata
pernoscere atque attrahere possit. Quoniam autem sa-
cramentum hoc sublimissimum est & vtilissimum: idcirco
quod omnem excludat errorem, seipsum exponens, con-
sequenter apertissimè loquitur, quemadmodum & Mat.
26. quum institueret. Augustinus: Ne aliquis putaret quod
solum se dixisset panem secundum diuinitatem, qua pas-
cit omnia, ait &c. Quo & potestatem suam indicat, quod
non vt seruus vel minor patre, crucifigendus sit, sed vo-
luntariè. Ioan. 10. Potestatem habeo ponendi animam
meam, & potestatem habeo iterum sumendi eam. Ad hūc
autem finem, vt à morte culpæ & gehennæ eriperemur,
& vitam gratiæ & gloriæ consequeremur, dedit in cruce
corpus suum in precium: & in sacramento in edulium
atque remedium, quo in vita gratiæ roboraremur. Psal.
22. Parasiti in conspectu meo mensam aduersus omnes qui
tribulant me.

Litigabant ergo Iudæi ad inuicem, dicentes: Quo-
modo potest hic nobis carnem suam dare ad manducan-
dum? Dixit ergo eis Iesus: Amen amen dico vobis, nisi
manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius
sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui mandu-
cat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet
vitam æternam. Et ego resuscitabo eum in nouissi-
mo die.

Quemadmodum Nicodemus non capiebat sermonem
Iesu de cælesti renascencia, nec Samaritana mulier intel-
ligebat ænigma Iesu de aqua saliente in vitam æternam:
ita crassior populus disceptabat, qui fieri posset, vt ho-
mo carnē suam daret aliis manducandum: sic, vt ea suf-
ficeret omnibus ad vitam æternam. Inuitarat enim om-
nes ad eundem panem cælestē, ac denique dixit carnem
suam esse panem, quare impossibile & inutile esse iudi-
cabant. Quomodo quando cogitationes incredulitatis
ingrediuntur in animam, ingreditur simul & quomo-
do, oportet nos in sumptionibus diuinorum mysterio-
rum indubitam fidem retinere, & non querere quo
pacto. Iudaicum enim hoc verbum est, & extremi supplicij
causa. Cū ergo deus operatur, non queramus quo-
modo, sed operis sui viam atque scientiam illi soli con-
cedamus. Nam quemadmodum nullus nouit quidnā se-
cundum naturam deus sit: iustificatur tamen per fidem,
cū credat præmia illum redditurum querentibus eum,
Heb. 11. sic etiam operum eius rationem ignorat, cū ta-
men fidē omnia illum posse non dubitat, non contem-
nenda probitatis huius præmia consequetur. Animalis
verò homo qui sequitur cogitationes humanas & ani-
males, non est capax eorum quæ sunt super naturā, & spi-
ritualium, atque ita spirituales esum carnis dominicæ
non intelligit, cuius qui non sunt participes, non erunt
participes æternæ vitæ, eò quod non susceperunt Iesum,
qui est vita æterna. Non enim nudi hominis caro est, quæ
manducatur, sed dei, & quæ deificare valet, vt pote con-
temperata deitate. Ostendit ergo necdum vtile, sed & nec-
cessarium ad salutem, manducare sacramentaliter, & spi-

ritualiter : vel saltem spiritualiter per fidem & votum sumendi etiam sacramentaliter. Sicut enim corpus sine cibo corporali vitam conseruare non potest, sic nec anima sine isto viuifico cibo vitam gratiæ : sed manducans hunc cibum, vitam ipsam, quæ gratiæ & gloriæ vitam præstat, habet. Hinc ait, resuscitabo eum, vt & corpore & anima glorificatus, videat per speciem, quod hic contemplatus est per fidem.

B *Caro mea uerè est cibus, & sanguis meus uerè est potus. Qui manducat meã carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo.*

Immensam huius diuinissimi mysterij ostendit operationem & utilitatem. Dominus siquidem deus exuberantem volens in nos declarare benignitatem, quum non essemus, creauit nos: quum propria culpa à vita excidissemus & gloria, reparauit nos per passionem filij sui. Romano. 5. Si enim cum inimici essemus, reconciliati sumus deo per mortem filij eius, multò magis reconciliati, salui erimus in vita ipsius. & ne quid desit salutis & gratiæ, filius proprio nos & corpore & sanguine rescit, roborat, & perficit: donec in terram perueniamus promissam. Non enim habemus hic manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus. Heb. 13. & nisi hoc cibo confortemur, deficiamus in via. Hoc figuratum fuit in manna, quo filij Israel pasti fuerunt, donec in terram peruenirent promissionis, Iosu. 5. Sed quanta distantia inter terram promissionis & cælum, sic & inter manna & eucharistiam. Nec autem putaretur dominus parabolicè loqui, prout consueuerat, ita quòd carnem suam diceret panem, quia per panem signaretur, & esset sub forma panis solum sicut sub signo, vel per aliquam similitudinem & proprietatem cum pane cibus diceretur, sicuti petra. 1. Cor. 10. Petra autem erat Christus. Et uitis, Ioan. 15. Ego sum uitis uera. Hinc dicit, Caro mea uerè est cibus, non umbraticè sicut manna, Exod. 16. 1. Corin. 10. Omnes eandem escam manducauerunt. Sic & agnus paschalis, Exo. 12. Erant quidem hæc uerè cibus, quia panis & agnus. sed non ille panis, nec ille agnus cum articulo, quod de solo Christo dicitur. Secundo est uerè cibus, quia vitam

*Sacramentorum
consuetudo.*

præstat animæ, & hanc æternam, quod manna nequirit, nam illud manducantes, mortais sunt. Ordinatur enim sacramenta nouæ legis ad conseruationem uitæ spiritualis, quæ per baptismum acquiritur, in quo spiritualiter ad vitam regeneramur. Ioan. 3. Nisi qui renatus fuerit ex aqua, & spiritu sancto, non potest introire in regnum dei. Hinc per confirmationem roboramur, sed per hoc sacramentum nutrimur, quod est spirituale alimentum. Cibum autem oportet realiter vniri cibato atque addi, idcirco in hoc sacramento realiter continetur, substantialitèrque vnitur communicanti, sic & sanguis, qui est potus. Panis enim qui à nobis in mysterijs manducatur, non est tantum figuratio quædam carnis domini, sed ipsa caro domini. Non enim dixit, panis quem ego dabo, figura est carnis, sed caro mea est. Transformatur enim arcanis uerbis panis ille per mysticam benedictionem & accessionem spiritus sancti, in carnem domini. Condescendente uerò domino nostræ infirmitati, talis apparet nobis mysticus panis, qualibus aliqui assueti sumus, & non caro, ne abhorreamus ab eius esu. Non autem perficitur hoc sacramentum in usu, sicut alia sacramenta, sed in consecratione materiæ, & non in usu. Alia enim non perficiuntur in benedictione materiæ, sed in usu: ut baptismus & confirmatio non perficiuntur in benedictione aquæ & chrismatis, sed in ablutione & unctione, cum determinatis uerbis & formis. Hinc frequentatio huius sacramenti non deficiet, donec dominus ad iudicium ueniat. primæ Corinthi. undecimo: Quotiescunque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem domini annunciabitis donec ueniat, iudicaturus scilicet orbem. Vnde Matthæi vigesimooctauo: Ecce ego uobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi. Non solum secundum diuinam essentiam, sed & corporalem præsentiam in hoc sacramento, quia hoc maxime nobis necessarium. Quemadmodum enim cibus corporalis vitam naturalem sustentat, confortat & perficit, deperditum reparat, delectat, & impingat: sic cibus iste viuificus, vitam spiritualementem ac deiformam in anima fulcit, confortat, perficit, amissa bona restituit, exhilarat, &

impinguat, diuitias gratiæ accumulando in anima. Plus enim in Christo consecuti sumus, quàm in Adam perdidimus. Rom. 5. Sed non sicut delictum, ita & donum. Vbi abundauit delictum, superabundauit & gratia. Priuarat autem nos vita naturæ, gratiæ, & gloriæ. Sapient. 1. Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione viuorum, Impij autem manibus & verbis accerferunt illam. Vnde. Genes. 2. Plantauerat autem dominus deus paradysum voluptatis à principio, in quo posuit hominem quem formauerat, Produxitque dominus deus de humo omne lignum pulchrum visu, & ad vescendum suauē. Lignum etiam vitæ in medio paradisi, lignumque scientiæ boni & mali. Lignum ergo vitæ Christus multo excellentius. Mira res & obstupescenda, itane creator omnium nobis vermiculis seipsum dedit in cibum? Quando hoc capere potest mens humana? Omne transcendit intellectum. Maximam enim nobis in hoc charitatem ostendit, maximam nos inde consequimur utilitatem. Quemadmodum enim cibus humanus traiectus in stomachum, ac per membra digestus, transit in substantiam corporis, vt iam idem sit cibus, & homo vescens eo: ita vice versa, qui hunc cibum comederit, spiritaliter in ipsum transformatur. Contemperatio fit noua & super rationem, ita vt sit deus in nobis, & nos in deo. Caro mea, inquit, verè est cibus, qui præstat immortalitatem: & sanguis meus verè est potus, qui confert vitam æternam, non corpori tantum, sed toti homini. Nam ego sum in illo per spiritum meum, per quem illi vitam impartio, & ille in me est, velut membrum in corpore, aut palmes in vitæ societate indissolubili. Vnde sicut membrum à capite influentiâ recipit vitæ. Ioan. 1. De plenitudine eius omnes nos accepimus. Ioan. 15. Manete in me, & ego in vobis. Sicut palmes non potest ferre fructum nisi manserit in vite: sic nec vos, nisi in me manseritis. Hinc nedum significat. Vnionem capitis ad membra, & membrorum in inuicem & ad caput, sed & efficaciter præstat. 1. Cor. 10. Calix benedictionis cui benedicimus, nõne cõmunicatio sanguinis Christi est? & panis quem frangimus, nõne participatio corporis domini est? Quoniam vnus panis & vnum corpus multi sumus, omnes

qui de vno pane, & de vno calice participamus. Nam vt ex multis grauis panis efficitur, & ex multis racemis vinum confluit: sic ex multis hominibus cum capite Christo vnum corpus fit. Ephe. 1. Et ipsum dedit caput super omnem ecclesiam, quæ est corpus ipsius, & plenitudo eius, qui omnia in omnibus adimpletur. Quod ergo certiorum nobis faceret spem, nos quoque venturos ad suæ gloriæ consortium, sic nobis cohæret, vt totum corpus capiti connectitur nec alterum ab altero potest diuelli. Porro capitis gloria membris cæteris communis est, quibus sic prædet caput, vt sua bona transfundat in singula. Nec corpus absolutum est, nisi caput accedat: & capiti videtur aliquid desiderandum, nisi corpus omnibus membris consummatum accesserit, in quæ singula sic suas dotes transfundit Christus, vt idem impleat omnia iamq; totus & integer viuat ac regnet, adglutinatis sibi membris omnibus. Ecce quanta gloria, dignitas, & beatitudo bonorum, qui tam præstantissimo vescuntur alimento, & Christo tam intimè copulantur, tantisque donis deficiis adimplentur.

Sicut misit me viuens pater, & ego uiuo propter patrem: & qui manducat me, & ipse uiuet propter me. Hic est panis, qui de cælo descendit.

Quemadmodum pater est in me, & mihi vitam impartit, & vitam aliis tribuendi. Ioan. 5. Sicut pater habet vitam in semetipso, sic dedit & filio vitam habere in semetipso. Sicut pater suscitatur mortuos, sic & filius quos vult viuificat. Ita qui me comedit, mihi que mystico esu potuque sic iungitur, vt mecum vnum fiat, huic & ipse vitam impartiam, non ad breue tempus duraturam, sed æternam Cyrillus. Quando igitur caro saluatoris verbo dei (quod naturaliter vita est) coniuncta, viuifica effecta est, quando eam comedimus, tunc vitam habemus, illi coniuncti, quæ vita effecta est. Hac de causa in excitandis mortuis nedum verbo, sed & carne utebatur. Matthæi nono, vbi puellam manu tenens, ait: Puella, surge. Sic loculum in quo adolefcens mortuus iacebat, tetigit, dicens: Adolefcens tibi dico, surge, Luc. 7. Hinc omnis turba quærebat cum tãgere, quia virtus de illo exibat & sanabat omnes,

Lucæ. 6. Quomodo ergo non viuemus, qui carnem illam manducamus, quæ suo tactu corrupta redintegravit? Nec velis Iudaicè querere, quomodo: sed recordare quâuis naturaliter aqua frigidior sit, aduētū tamen ignis frigiditatis suæ oblita, estuat, hoc sanè modo etiam nos, quâuis propter naturā carnis corruptibiles simus, participatione tamen vitæ, ab omni imbecillitate reuocati, ad proprietatem illius, ad nutum reformamur. Nec putet ex ariditate mentis suæ Iudæus, inaudita nobis excogitata esse mysteria. Videbit enim, si attentius quærit, hoc ipsum à Moyſis temporibus per figuram semper factitatum fuisse. Quid enim maiores eorum ab ira Aegyptiorum liberauit, quando mors in primogenita sauebat? Nonne omnibus palam est, quia diuina institutione perdocti, agni carnes manducauerunt, & postes & superliminaria sanguine perunxerunt, propterea mortem ab eis diuertisse? Pernicies nāque, id est, carnis huius mors, aduersus genus humanum, propter primi hominis transgressionem furiebat, cui dictum fuit, Gen. 1. Terra es, & in terrā ibis. Verū quoniā per carnem Christus atrocem hunc euerſurus erat tyrannū, propterea apud priscos id mysterium obūbrabatur, & ouinis carnibus atq; sanguine sanctificati, deo ita volente, perniciē effugiebāt. Exo. 12. Augustinus? Vt viuam propter patre, mea exinanitio facit: vt ipse viuat propter me qui māducat me, participatio mea facit: si cut membrum corpori coniunctum viuunt, diſiunctum nō viuunt. Sed vnde virtus talis sit pani huic, indicat: quia de cælo descēdit, non aereo vt manna, sed empyreo. Psal. 18. A summo cælo egressio eius. Io. 16. Exiui à patre & veni in mundum. Quia ergo verè de cælo descendit, cælestem habet virtutem, ac vescendū dat vitam æternam.

³ Non sicut manducauerunt patres uestri manna, & mortui sunt. Qui māducat hunc panem, uiuet in æternū.

Non erat manna verus ille panis, sed figura eius: quare vitam spiritualem & æternam dare non potuit, sed danadā in hoc sacramento figurabat. Obserua hic, triplicem à domino designari, & distingui panem. Manna, de

Triplex panis.

quo Iudæi se iactabant, quod patribus à deo prestitum fuisset. Psal. 77. Et pluit illis manna ad manducandum, & panem cæli dedit eis, panem angelorum man ducavit homo. Exo. 16. Iste est panis quem dominus dedit vobis ad vescendum. Verbū dei carne obuelatū, quod cælo descendit carnem assumendo. Ioan. 6. Panis enim verus est qui de cælo descendit, & dat vitam mundo. Fuit manna quidem verus panis, sed non ille panis verus, qui vitam præstat mundo, sed figura: quare nonnullas cum panem vero habuit similitudines. Primò, quia manna de cælo, sed aereo, vnde panis cæli dicebatur. Psal. 77. sed ille panis de cælo æthereo. Ioan. 6. Ego sum panis viuus qui de cælo descendi. Secundò, egrediebatur populus quotidie manne ad manna colligendum. Exo. 16. nos quotidie luce fidei præuia istum colligere debemus panem. Tertio, qui plus colligebat, nequaquam plus habebat: neq; qui minus, minus, sed singuli secundum quod edere poterant. Exo. 16. Sic iste panis omnibus plena est sufficiētia. Quarto, si qui ante sabbatum negligebant colligere, nihil sabbato inuenerunt, Exo. 16. Sic qui hic cibum hunc nūc nō colligunt, postea non inuenient. Quintò, naturalem habuit saporē vt similia cum melle, vel vt pannis oleaceus, Num. 11. sed bonis ad votum dulcissimum erat. Sapient. 16. Angelorum esca nutriisti populum tuum, & paratum panem de cælo præstitisti illis sine labore, omne delectamentum in se habentem, & omnis saporis suauitatem. Substantiā enim tuā & dulcedinē quam in filios habes, ostēdebas: & deseruiens vniuscuiusque volūtati, ad quod quisque volebat, conuerrebat. Malis tamen in nauseam vertebar. Num. 11. Anima nostra arida est, nihil respiciunt oculi nostri nisi man. Sic iste panis seruās saporē, spiritualiter animam omni dulcedine replet, hic gratiarum, & pōst gloriæ. 1. Pet. 1. Si autem gustastis quoniam dulcis est dominus. Sextò, reſeruatū fuit in memoriā in tabernaculo in arca, Exo. 16. Iste autem panis nobis seruatur in cælis, & nihilominus quotidie ministratur, do nec in terram perueniamus promissionis, clarè ibi visuri & fruiari plenissimo. Nam videbimus eum sicuti est. Ioannis. 3. Tertius panis est caro ipsa Christi, sed similitudine panis velata. Ioannis. 4. Et panis quem ego da-

*Manna cō
vero panis fē
militudines*

bo, caro mea est pro mundi vita. Manna enim manducantes, mortui sunt, nec eius virtute vitam consequi poterunt: sed hunc panem qui manducatur, vitam consequuntur æternam, hic gratiæ, & post gloriæ in anima & corpore. Potest autem non iniuria dici cibus corporalis, vel spiritalis. Eadē quippe caro, quæ in cruce pro nobis fuit immolata, realiter in os nostrū sumitur, & à nobis editur & transglutitur in sacramento citra transformationem in nostrum corpus: Matth. 26. Accipite & comedite, hoc est corpus meum. Ideo corporalis manducatio dici potest. Sed quia nullam à dētibus nostris iniuriam patitur, neq; cæterarum more escarum, conuertitur in corporis nostri substantiam, sed nos magis in se vertit: ideo non iniuria spiritalis cibus & manducatio appellari potest. Nā & Paulus corpora nostra, spiritalia post resurrectionē futura asserit, & nihilominus corpora vera. 1. Cor. 15. Seminatur corpus animale, resurget corpus spirituale. Cyrillus: Quoniam corpus Christi viuificat, & ad incarnationem reducit sua participatione, quum sit ipseus vitæ corpus, & ipseus incarnati verbi, quo vniuersa viuunt & sunt, virtutem completatur, quod si tanta vires huius carnis communicatio nostræ carni tribuat, vt eadem in nouissimo die resurrectura sit, quis hoc ceu tenue fomentum existimabit? veruntamen ita carne Christi carnem nostram ali neutiquam putamus, vt ipsa more cæterarum carnium à nobis digeratur, sed magis ad similitudinem auri gemmarumque & margaritarum, quæ fomentum præstant corporibus citra substantiæ suæ conuersionem vllā. Vbiq; vitæ meminit, & crebro: quia nihil ita suauis hominibus & delectabile, vt res illa. Si ergo dominus quadraginta annis sine messe & semente pavit homines in deserto, Deu. 8. & vitam illorum conseruauit: multo magis nunc vitam nostram conseruabit spiritualem carne sua, quæ ex virgine spiritu sancto operante procreata est, Luc. 1. Dicitur autem panis propter speciē remanentē, & quia panis antea fuit: sicut virga Moysi, dicta fuit virga, quanquā conuersa fuerat in serpentē. Exod. 7. Et tertio, quia obumbratum specialiter in oblatione Melchisedech, vt dicit apostolus Heb. 7. Vnde Gen. 14. At verò rex Salem, Melchisedech, proferens panem & vinum, erat

enim sacerdos altissimi, benedixit ei, Abrahæ scilicet. Cui autem sit cibus spiritalis animæ, non conuenit nec proficit nisi viuenti vita gratiæ, sicut cibus corporalis non prodest, nec datur nisi viuenti vita naturæ. ideo admonet Apostolus. 1. Cor. 11. Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducatur & bibit indignè, iudicium sibi manducatur & bibit, non diiudicans corpus domini. Nam sacramentaliter tantum sumit sicut Iudas, & non spiritaliter, non discernens fide hunc cibum ab aliis. Hinc ait. 1. Cor. 11. Ideo inter vos multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi. Sic Bethsamesamitarum curiosius quàm decuit arcam videntes, percussi fuerunt ad septuaginta viros, & quinquaginta millia plebis. 1. Reg. 6. Oza manum extendens, vt declinantem arcam teneret, à domino percussus fuit & mortuus. 2. Reg. 6. Sed quæ comparatio ad istam arcam, in qua omnes thesauri sapientiæ & scientiæ sunt reconditi? Colof. 2. Si ergo adsit fides, fides dico viuua, & secum qua ferueat, trahens charitatem, probatus est: & si nunc accedat & edat, hoc ad augmentum gratiæ attentat, & est in eo sacramentalis & spiritalis manducatio & bibitio: & in filio dei manet & prius & nunc, sed prius per fidei veritatem, nunc autem per fidem & angusti sacrosancti signi veritatem, filius dei manet in illo, cibans, confortans, & perficiens: Helias, gustato cibo & potu per angelum præparato, in fortitudine cibi illius ambulauit quadraginta diebus, & quadraginta noctibus vsque ad montem dei Oreb. 3. Regum. 19.

Hæc dixit in synagoga, docens in Capharnaum. Multi ergo audientes ex discipulis eius, dixerunt: Durus est hic sermo: & quis potest eum audire? Sciens autem Iesus apud semetipsum, quia murmurarent de hoc discipuli eius, dixit eis: Hoc nos scandalizat? Si ergo uideritis filium hominis ascendentem ubi erat prius? Spiritus est qui uiuificat. caro non prodest quicquam. Verba quæ ego locutus sum uobis, spiritus & uita sunt.

Ostendit quam periculosum simul & damnabile sit, nõ se simpliciter per fidem subdere diuinis promissionibus

& iussis, Hæc enim verba tā salutifera, & verissima, in loco & ciuitate celebri docuit. Ioan. 3. Qui facit veritatem, venit ad lucem, vt manifestentur opera eius. Ioan. 18. Ego palam locutus sum mundo. Quia carnales erant, audiētes carnem, putabant quòd eos cogeret ad carnis & sanguinis sui deuorationem. tantum aberat vt crassus populus horum mysteriorum caelestium capax esset, vt discipuli quoque complures offensi, pararint à suo magistro desciscere, murmurantes inter sese: Durus est hic sermo de comedenda carne viui hominis, & bibendo eius sanguine, rationi & veritati contrarius. Cuius aures ferant huiusmodi doctrinam? At dominus secretis eorum respondens murmurationibus, deum se ostendit. At huiusmodi, inquit, sermo vestras aures offendit, quòd dixerim me panem, profectum esse è caelo, qui vitam daret mundo? Vtrum est difficilius, iuxta crassum humani sensus intellectum, descendisse è caelo, an ascendere in caelum? Quid ergo si videritis olim hunc filium hominis, quem videtis humano corpore indutum, ascendere in caelum: vbi prius erat antequàm descenderet, priusquàm hoc haberet corpus mortale? Ad insinuanđū vnitatem personæ vtriusque naturæ in Christo, dicit filium hominis fuisse in caelo antequàm descenderet. Ascendit enim vt homo, vbi erat prius vt deus. Dixit tamen hoc, vt abduceret eos ab opinione, qua dicebant eum filium Ioseph. Quoniam autem carnaliter accipientes verba eius, offendebantur, dicit carnem per se nihil prodesse, spiritum verò donare vitam. Augustinus. O domine & magister bone, quomodo caro non prodest quicquam, cum tu dixeris, nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis, Ioannis sexto. An vita non prodest quicquam? Et propter quid sumus quod sumus, nisi vt habeamus vitam æternam, quam tua carne promittis? Quid ergo est, caro non prodest quicquā? Sed quomodo illi intellexerunt? quomodo in cadauere dilaniatur, aut in macello venditur, non quomodo spiritu vegetatur. Proinde sic dictum est, caro non prodest quicquā: quomodo dictum est, scientia inflat. 1. Corin. 8. Iam ergo debemus odisse scientiā? Absit. Et quid est, scientia inflat? Sola, sine charitate, ideo adiunxit, Charitas ædificat. Ad-

de ergo scientiæ charitatē, & vtilis erit scientia, non per se, sed per charitatem. Sic ergo caro non prodest quicquā, sed sola caro: adde spiritum ad carnē, quomodo accedit charitas ad scientiā, & prodest plurimum. Duplicem eorum, quo tenebantur, corrigit errorē. Alterum, quo autumabant carnem, quemadmodum pecudum manducandam, quo contra dicit carnem per se nihil prodesse, sed spiritum cui vnita est, viuificare. Hic enim cibus auidē sumptus, ac in viscera mentis traiectus, vegetat animos, & vnum cum iplo efficit, sic vt ipsius spiritu viuamus in æternum. quēadmodum eiusdem corporis mēbra, quamdiu coherent, communi spiritu viuunt. Alterum, quo corpus corruptioni obnoxium credebant & mortale. Hinc dicit, Verba quæ locutus sum vobis, non sunt carnalia, quēadmodum vos interpretamini, sed spiritus sunt & vita, quia spiritualiter intellecta viuificant animam. Non enim sunt de carnali & corruptibili corpore, sed spiritali. 1. Cor. 15. Seminatur corpus animale, surget corpus spiritale, quod in sacramento accipitur. Idem quidem corpus eiusdem substantiæ quod in cruce pependit, accipitur, sed non eiusdem qualitatis. Non ergo deum nudū manducamus, tangi enim nequit, quia incorporeus est. Ioā. 4. Deus spiritus est. & neq; oculis neque manibus apprehēdi potest. Iterū nudi hominis earo nihil prodesse potest: sed quia deus vnuit sibi carnem secundum ineffabilem contemperationem, viuificata est caro. Sic ergo intellecta & credita verba mea, spiritus & vita sunt, quia vitam præstant. Ipsa enim verba spiritum & vitā præstant sacramento, quibus consecratur.

Sed sunt quidam ex vobis qui non credunt. Sciebat enim ab initio Iesus, qui essent non credentes, & quis traditurus esset eum. Et dicebat: Propterea dixi vobis, quia nemo potest uenire ad me, nisi fuerit ei datum à patre meo. Ex hoc ergo multi discipulorum eius abierunt retrorsum, & iam non cum illo ambulabant.

Ostēdit deitatis benignitatē reuelando secreta, & causam quare non intelligant, quia non crederent. Esaia. 4.

Si non credideritis, non intelligetis. Ideo admonet apostolus omnem intellectum captiuandum in obsequium Christi. 2. Corin. 10. Cupit quidem deus munus hoc celeste omnibus contingere per Christum, sed nec aduersantibus dandum est, quia non promerentur: nec quisquam potest accipere, nisi fuerit appetens. Deus enim quantum in se est, paratus est opem impendere, imò & gratiam infuit. dummodo non posuerit homo obicem, faciens quod in se est. Ex hoc multi nolentes intellectum suum subiacere verbis Christi, sed carni adhærentes, & literæ, quæ occidit, & non spiritui, qui uiuificat. 2. Corin. 3. Christo relicto, abierunt per infidelitatem mente, & corpore retrorsum post satanam. Qui enim se à Christo diuidit, retrorsum vadit: qui autem adhæret deo, vnus spiritus est cum illo. 1. Corin. 6. semper extendens se ad anteriora. Phil. 3. Ego non arbitror me comprehendiisse: vnus autem, quæ quidè retrò sunt obliuiscens, ad ea verò quæ sunt priora, extendens meipsum, ad destinatum prosequor, ad brauium supernæ uocationis dei in Christo Iesu. Sed multi cum vxore Loth retrò respiciunt, quæ uersa fuit in statum salis, Gene. 19. Vnde dominus Luc. 17. Memores estote de vxore Loth. Matt. 10. Qui perseuerauerit usque in finem, hic saluus erit.

3 *Dixit ergo Iesus ad duodecim: Nunquid & uos uultis abire? Respondit ei Simon Petrus: Domine, ad quem ibimus? uerba uitæ æternæ habes. Et nos credimus & cognouimus, quia tu es Christus filius dei. Respondit ei Iesus: Nonne ego uos duodecim elegi, & ex uobis unus diabolus est? Dicebat autem de Iudæ Simonis Iscariothis. hic enim erat eum traditurus, cum esset unus ex duodecim.*

Quò illorum fides manifestaretur, & aliis imitanda proponeretur, liberum eis facit, sequerentur necne, demonstans quòd noller eos reuerentia erga se, comitari se, sed ut scirent beneficium esse quòd sequantur. Ecclesiast. 23. Gloria magna est sequi dominum, longitudo enim dierum assumetur ab eo. Num & uos, inquit, uultis abire? Liberum est, nisi intelligitis uestra referre, ut permanea-

tis. Hic Simon Petrus simplicis semper & ardentis fidei in Iesum, totius ecclesiæ personam gerens, ceterorum quoque nomine magna alacritate, respondit: Domine, quate derelicto ibimus? doctrina tua celestis est, & obsequentes in uitam perducit æternam. Non enim terrena promittit ut Moyses & propheta. Leui. 26. Si enim in præceptis meis ambulaueritis, & mandata mea custodieritis, & feceritis ea, dabo uobis pluuias temporibus suis, & terræ gignet germen suum, & pomis arbores replebuntur. Esa. 1. Si uolueritis & audieritis me, bona terræ comedetis. sed æterna & celestia. Matt. 4. Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum celorum. Matt. 11. Regnum celorum uim patitur, & uolenti rapiunt illud. Et nos credimus fide formata, etsi nondum perfecta & stabilita, & cognouimus per donum intellectus, quia tu es Christus ille filius dei, naturalis, non adoptiuus. Opportunè ait, credimus & cognouimus: quia nisi credideritis, non intelligetis, Esa. 7. Emédans dominus Petrum, quòd non omnes crederent, ait: Quid miramini iam aliquot discipulorum à me abiisse? Nonne uos duodecim, ut eximios ex omnibus delegi? Et tamè est tã paucis & singulariter defectis, vnus diabolus est, non per essentiam, sed per imitationem, delaturus eum cuius corpus ederet, & sanguinem biberit. Nouerat dominus quòd nihil profuturus esset, nihilominus iudæ prodit malitiam, quòd suum est faciens: neque illum manifestat, neque omnino occultum esse permittit: illud quidem, ne impudentior & contentiosior fieret: hoc autem, ut ne licèter facinus patraret, & occultum illud putans. Quamuis esset à sancto illo choro, attamen mala sua uoluntate indignus inuentus est. Ita homo, animal est suapte natura uertibile. Hinc. 1. Corin. 10. Qui stat, uideat ne cadat. Dicimus itaque hoc, quòd non coactione & vi quadam meliores facere conseruerit deus, neque eius electio cogat uoluntatem nostram, quum sit mala, ut fiat bona: sed electio quidem sit à deo, qui adhortatur nos ad bonum, & suam nobis impartit bonitatem: in mente autem nostra & uoluntate situm est saluari, & dignè ad electionem ambulare, uel è diuerso.

PARS SECVNDA.
DE SCOENOPHEGIA
& doctrina in templo.

ARTICVLVS XIII.

Ioan. 7.
D

Post hæc autem ambulabat Iesus in Galileam, non enim uolebat in Iudæam ambulare, quia querebant eum Iudæi interficere. Erat autem in proximo dies festus Iudæorum Scœnophegia. Dixerunt autem ad eum fratres eius: Transi hinc, & uade in Iudæam, ut & discipuli tui uideant opera tua, quæ facis. Nemo quippe in occulto quid facit, & querit ipse in palam esse. Si hæc facis, manifesta te ipsum mundo. Neque enim fratres eius credebant in eum.

Ostendit quanta sollicitudine uana gloria, omnium meritorum perniciosissima pestis, fugienda. quanto enim quis diligentius placere studet malis, tanto magis displicet deo. Postquam ergo dominus plurimis miraculis doctrinam confirmasset euangelicam, nec non spe præmiorum per transfigurationem, animos suorum ad crucem post se bauladam incitasset: & uerbis sanato puero à spiritu muto & surdo: in de profectus, prætergredebatur Galileam, nec uolebat quenquam scire. Mar. 9. Non enim pro tunc publicè vel prædicauit, vel miracula gessit. Augustinus: Christus potentiam suam ostendit quando uoluit: sed & infirmitati nostræ præbuit exemplum, non enim perdidit maiestatem, sed nostram consolabatur infirmitatem. Nam uolens, dedit in mortem animam suam, Hier. 12. Ioan. 10. Potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo iterum sumendi eam & nemo tollit eam à me, sed ego pono eam à meipso. Hinc quum esset in medio ipsorum insanientium contra ipsum, manebat illæsus, suam ostendens deitatem. Luc. 4. nunc uerò confirmat quod uerè homo sit, simul & imagine quadam depingens, quod se à ingratis hominum subducat mentibus, Matth. 21. Auferetur à uo-

ARTICVLVS XIII.

76

bis regnum dei, & dabitur genti facienti fructus eius. Et quod nonnunquam furori cedendum. Matt. decimo: Cum vos persecuti fuerint in una ciuitate, fugite in aliam. Veritate, multorum sibi conciliauit inuidiam, quod uisu uenit iis, qui propugnatores sunt ueritatis. Atqui manifestariò constat hos non amore iustitiæ, & diuinæ gloriæ zelo adductos, sed odio. id quod inuidia solet, qualescunque causas prætexere, ut suam libidinem expleant, sabbati uiolationem, dei blasphemationem falsè imponentes. Instabat tunc dies cum primis festus ac religiosus, quem græci scœnophegiam appellant, ob memoriam priscorum patriarcharum, qui uitam agebant in tabernaculis, subinde mutantem sedem. Hinc præceptum fuit Leuiti. 23. Ut mense septimo diebus agerent festum tabernaculorum, habitando in umbraculis, ut discerent posteri, quod in tabernaculis habitare fecisset dominus filios Israel. Hoc typo iam tum adumbrabant, qualem oporteat esse uitam eorum, qui profiteantur euangelicam doctrinam, nempe ut se peregrinos agnoscant mundi, sed ciues cæli. Ephe. secundo: Non estis hospites & aduenæ, sed estis ciues sanctorum & domestici dei. Ideo Philip. tertio: Nostra autem conuersatio in cælis est. Hinc admonet Petrus. 1. Pet. secundo: Obsecro uos tanquam aduenas & peregrinos abstinere uos à carnalibus desideris, quæ militant aduersus animam, conuersationem uestram inter gentes habentes bonam. Hortabantur eum sui uelut gloriæ cupidum, sed subrimidum, animoque minus quam oporteret præsentem, ut si fideret suis præiudiciis, non laticaret inter Galilæos. Augustinus: Consuetudo scripturæ est, quoslibet consanguineos fratres appellare. Sic Abraham filium fratris sui, Loth fratrem nominauit. Gen. decimotertio. Et Laban, Iacob, Gen. 29. uolebant ergo isti ex magnificis domini & diuitis, & factis, sibi occupare gloriam, quemadmodum & Iudæi de Ioanne Ioannis. 5. Vos autem uoluistis ad horam exultare in luce eius. O quot sunt tales, qui sub prætextu & commodi & honoris alterius, solum suum agunt negocium. Hinc hortabantur ut Hierosolymam adirent, illic ostensurus uirtutem, eo maxime tempore, quo ingens multitudo conflueret populi, ac sic manifestatio se ostende-

Fratres qui olim dicti.

get Christum. Sic & pharisæi omnia sua faciebant, vt viderentur ab hominibus, Matth. 23. Sinistram ipsorum intentionem euangelista clarè demonstrat, dicens nec fratres in ipsum credidisse. I deo ipse ait, Marc. 6. Non est propheta sine honore, nisi in patria sua, & in domo sua, & in cognatione sua. Qui autem humanam quærunt gloriam, Christo synceriter afficit & credere non possunt, Ioan. 5. Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab inuicem accipitis, & gloriam quæ à solo deo est, non quæritis? Nos igitur hanc viperam simul vt irrepserit, iugulemus, eique caput amputemus, ne bonorum operum totum inficiat corpus. Gala. 5. Nō efficiamur inanis gloriae cupidi, inuicè prouocantes, inuicem inuidentes. 1. Tim. 1. Soli deo honor & gloria. Vnde ipse Christus ait, Ioã. 3. Ego honorifico patrem meum. Et Psal. 113. Non nobis domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.

Dixit ergo eis Iesus: Tempus meum nondum aduenit, tempus autem uestrum semper est paratum. Non potest mundus odisse nos, me autem odit, quia ego testimonium perhibeo de illo, quia opera eius mala sunt.

Quomodo & quando oporteat me innotescere mundo, ex patris cælestis pendet decreto, non ex humano cōsilio. Ego, qui patris arbitratu veni, meum habeo tempus. Sic & matri, in nuptiis ob vini defectum requisitus, respondit, Ioan. 2. Nondum venit hora mea. Quanquam autem deus nullo temporum limite concludatur, utpote apud quem nulla est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. Iac. 1. effectus tamen ipsius temporis ascribimus. Vnde ex creatione initium tēporis habemus. Gene. 1. In principio creauit deus cælum & terram. Sic recreationis. Gala. 4. At ubi venit plenitudo tēporis, misit deus filium suum, factum ex muliere, factum sub lege, vt eos qui sub lege erant redimeret, vt ad optionem filiorum reciperemus. Mat. 26. Tempus meum propè est. Luc. 22. Et filius quidem hominis, secundum quod diffinitum est, vadit. Hinc pharisæis obiecit, quod hoc tempus non cognouerunt. Luc. 12. Hypocritæ, faciem cæli & terræ notis probare. hoc autem tempus quomodo non probatis? Retributionis. Psalmista. 70. Cùm accepero tempus,

ego iustitias iudicabo. 1. Pet. quinto: Humiliamini sub potenti manu dei, vt vos exalter in tempore uisitationis. Ioan. 5. Pater non iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit filio. Tempus autem uestrum, qui humano affectu ducti, gloriam huius mundi quæritis, & in me iuxta mundanum sensum gloriari vultis, semper paratum est, quo mundus sua studia sectatur, amat, & promouet. Dicitur autem tempus paratum vel imparatum, propter ea quæ in ipso fiunt, vel sunt. Sic dies dicantur mali. Ephes. 5: & Matth. sexto: Sufficit diei malitia sua. Eccl. decimo nono: Est iustus qui inclinat faciem suam, & fingit non videre se quod ignoratum est: & si ab imbecillitate virium veretur peccare, si inuenerit tempus malefaciendi, malefaciet. Obserua ergo quod tempus nostrum semper est paratum, siue in malum utamur, quod in bonum concessum est. Hinc dicitur Apocal. vigesimosecundo: Tempus propè est. Qui nocet, noceat adhuc: & qui in fordidus est, sordescat adhuc: & qui iustus, iustificetur adhuc: & sanctus, sanctificetur adhuc. Ecce venio cito, & merces mea mecum est, reddere secundum opera sua unicuique. Ideo non negligamus tempus. Eccl. 8. Omni negotio tēpus est, & oportunitas. Vnde Apostolus. 2. Corinth. 6. Exhortamur ne in vacuum gratiam dei recipiatis, ait enim Esa. 49. Tēpore accepto exaudiui te, & in die salutis adiuui te. Ecce nūc tempus acceptabile, ecce nūc dies salutis: Est ergo tempus nostrum paratum ad conuersionem. Eccl. 12. Memento creatoris tui in diebus iuuentutis tuæ, antequā veniat tempus afflictionis tuæ, & appropinquauerint anni de quibus dicas, non mihi placent. Act. 17. Et tempus quidem ignorantie huius despiciens deus, nunc annunciat hominibus, vt omnes vbique pœnitentiā agant, eoque statuit diem in quo iudicaturus est orbem, in viro in quo statuit, fidem præbens omnibus, suscitans eum à mortuis. Hinc. 1. Pet. 4. Sufficit præteritum tempus ad voluntatem gentium consummandam, his qui ambulauerunt in luxuriis, desideriis, inuolentis, comestationibus, potationibus, &c. Sed Apoc. 2. Dedi, inquit dominus, illi tempus vt pœnitentiam ageret, & non vult pœnitere. Secundò, ad boni operationem. Eccl. 4. Fili, cōserua tempus, & deuita à malo. Col. 4. In sa

piencia ambulate ad eos qui foris sunt, redimentes tempus. Gal. 6. Dum tempus habemus, operemur bonū. Tertio, sequitur quo ad præmij acceptionem. Gal. 6. Bonum autem facientes, nō deficiamus, tempore enim suo metemus nō deficientes. Sed quia istud nobis incertum quando veniat, quamquam semper paratum. Eccl. 9. Nescit homo finem suum: sed sicut pisces capiuntur hamo, & volucres laqueo comprehenduntur: sic homines capiuntur in tempore malo, cum eis extemplo superuenerit. Ideo admonet saluator Marc. 13. Videte, vigilate, & orate: nescitis enim quando tempus sit. Ostendit autem eos mundo inhærentes, d. Tuto potestis ire quod iubet, quando mundus ut sibi consentientes diligit. Sicut enim odium ex dissimilitudine oritur: ita amor ex conformitate. 1. Io. 4. Maior est qui in vobis est, quam qui in mundo est. Ipsi de mundo sunt, & ideo de mundo loquuntur, & mundus eos audit. Sed Iac. 4. Quicumque voluerit amicus esse seculi huius, inimicus dei constituitur. Hinc. 1. Io. 2. Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt: si quis diligit mundum, nō est charitas patris in eo. Quoniam omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ, quæ non ex patre, sed ex mundo est. Et mundus transit & concupiscentia eius. Felix qui dicere potest, Gal. 6. Mihi absit gloria nisi in cruce domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Me autem odit. Liberior enim reprehensio odium parit. Proue. 15. Non amat pestilens eum qui se corripit, nec ad sapientes graditur. Sic Achab ait de Michea propheta. 3. Regū. 22. Ego odi eum, quia non prophetat mihi bonum, sed malum. Unde de domino Iesu dicitur Sapient. 2. Circuueniamus ergo iustum, quoniam inutilis est nobis, & contrarius est operibus nostris, & impropereat nobis peccata legis, & diffamat in nos peccata disciplinæ nostræ.

Vos ascendite ad diem festum hunc, ego enim non ascendam ad diem festum istum, quia meum tempus nondum impletum est. Hæc cum dixisset, ipse mansit in Galilea. Ut autem ascenderunt fratres eius, tunc & ipse ascendit ad diem festum, non manifestè, sed quasi

in occulto. Iudæi ergo querebant eum in die festo, & dicebant: Vbi est ille? Et murmur multus erat in turba de eo, quidam enim dicebant, quia bonus est: alij autem dicebant, non, sed seducit turbas. Nemo tamen palam loquebatur de illo, propter metum Iudæorum.

Vos ascendite, vbi gloria mundi spectatur, vbi deliciis viuunt, vbi nihil æternum, nihil quod mansurum sit cogitatur. Esa. 1. Neomeniam & sabbatum & festiuitates aliàs non feram, iniqui sunt coctus vestri. Calèdas vestras & solènitates vestras odiuit anima mea. facta sunt mihi molesta. Ego non ascendam vobiscum ad istum diem festum, quia tempus meum nondum impletum est. Manet apud eos, qui de vitiis transmigrant ad virtutes. 1. Ioan. 4. Deus charitas est, & qui manet in charitate, in deo manet, & deus in eo. Posteaquã autem abiissent fratres eius ad diem festum, tum profectus est ipse, ut perspicuum satis esset, se non tã metu Iudæorum abstinuisset à conuentu solèni, quã ut fugeret comitatum suorum cognatorum, quos adhuc carnales nolebat euangelico negotio admisceri: & ne tali comitatu Iudæis maioris odij causam daret. Quod autè ad ferias tabernaculorū ascendit, obedientia est paternis mandati, & reuerentia legis à se datæ, qua nostram pernicitatem percutit. Nam grauius exequimur quæ nobis diuinitus demandata sunt. Spernimus maiorum decreta, non Christi, sed illius imitatores qui ait, Gen. 3. Cur præcepit vobis deus, ut non comederetis ex omni ligno paradisi? Iamque in eum velut absentem varij sermones in populo ferebantur, quod non esset eadem omnium de Iesu opinio, nec eadem omnium studia: Quidam nimio odio ipsum non nominabant, quidam timore. Cyrillus. Penè rectam de illo sententiam effecerunt, non posse putantes opera dei quenquam facere, nisi aut deus ipse sit natura, aut dei particeps & gratiæ plenus, & idcirco bonus & innocens. Alij inuidiæ stimulis acti, contrariè dicebāt, seductorem dicentes, per simulatam iustitiam, falsa miracula, & doctrinam peruersam. Vide qualia iudicia subiit iudex viuorum & mortuorum. Sic & nos Christi bonus odor sumus deo in his qui salui

fiunt, & in his qui pereunt. Aliis quidem odor mortis in mortem, aliis autem odor vitæ in vitam. 2. Cor. 6. Ut seductores & veraces. Igitur inter verba laudantium, aut vituperantium semper ad animum recurrendum: Si falsa sunt, te aliena mendacia non commaculant, & ut surdus pertranseas. Plal. 37. Ego autem tanquam surdus non audiebam. Sic Saul dissimulabat se audire vocem dicentium: Num saluare nos poterat iste, quando constitutus fuit in regem. 1. Reg. 10. Si vera, doleas te ansam præbuisse obtrectandi, & patienter sustine. 1. Cor. 4. Mihi enim pro minimo est vt à vobis iudicer, ait Apostolus Corinthiis, aut ab humano die, sed neque me ipsum iudico. Nichil enim mihi conscius sum, sed in hoc iustificatus non sum. Qui autem iudica me, dominus est. Hæc igitur clancularis iusurri spargebantur de Iesu, quum nemo aude- ret palam interim de illo benè prædicare, cum essent non pauci qui de illo benè sentirent. Metuebant enim Iudæorum proceres, quibus intelligebant Iesum vehementer inuisum, quod ipsorum autoritatem suis dictis factisque videretur imminuere. Timendum ne & id vsque hodie in plerisque vsu veniat, qui plus homines quam deum timētes, veritatem aut dicere aut facere verentur. Pro. 29. Qui timet hominem, cito corruet: qui sperat in domino, subleuabitur. Nec mirum id de popularibus, quum Ioā. 12. scriptū sit: Veruntamen & ex principibus multi crediderunt in eum, sed propter phariseos non confitebantur, vt de synagoga non eicerentur. Dilexerunt enim gloriam hominum magis quam gloriam dei. Sed quid ait dominus? Luc. 2. Qui me erubuerit & sermones meos, hunc filius hominis erubescet, cum venerit in maiestate sua, & patris, & sanctorum angelorum.

E Iam die festo mediante, ascendit Iesus in templum, & docebat. Et murmurabant Iudæi, dicentes: Quomodo hic literas scit cum non didicerit? Respondit autem Iesus & dixit: Mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me. Si quis voluerit voluntatem eius facere, cognoscet de doctrina mea utrum ex deo sit, an ego à me ipso loquar. Qui à semetipso loquitur, gloriam propriam

quærit: qui autem quærit gloriam eius qui misit eum, hic verax est, & iniustitia in illo non est.

Ostendit eos qui inuidia & affectione praua obcæcatos habent oculos, nec vera cernere, nec quæ iusta sunt discernere posse. Nam quum in medio solemnitatis, hoc est quarta die: durabat enim solēnitas septē diebus, Deu. 16. dominus publicè doceret in templo, ostendens doctrinam suam inculpatam ex loco publico. Ioan. 18. Ego semper docui in synagoga, & in templo, quod omnes Iudæi conueniunt, & in occulto locutus sum nihil: Iudæi quum doctrinam illius calumniari non possent, tamen auctoritatem apud populum student adimere, admirantes quod cum esset idiota & literarum rudis, nunquam enim institutus fuerat in doctrina pharisaica, cuius professione illi turgebant, unde nactus esset ea, quæ è sacris voluminibus magna sapientia depromebat: vel insimulantes eum quod dæmonium haberet, aut alia quauis arte magica scientiam esset consequutus earum literarum, quas ab hominibus non didicisset. Ioannis decimo. Dæmoniū habet, & insanit. quid eum vultis audire? Quauis ergo admirarentur, attamen nec sibi liberata est meus illorum à malitia, tamen inde illos coniectare potias oportebat non esse hoc humanum. Nam videbant in eo excellentissimæ scientiæ profunditatem, legis & prophetarum oraculis roboratam. Matthæi septimo. Admirabantur turba super doctrinam eius. erat enim docens eos sicut potestatem habens, & non sicut scribæ eorum & pharisei. Sed offendeabantur personæ simplicitate Matth. 13. Veniens in patriam suam, docebat eos in synagogis eorum, ita vt mirarentur & dicerent: Vnde huic sapientia hæc, & virtutes? Nonne hic est fabri filius? Et scandalizabantur in illo. Sed audiant Plal. 93. Intelligite insipientes in populo, & stulti aliquando sapite. Qui plantauit autem, non au- diet? aut qui fixit oculum, non considerat? Qui corripit gentes, non arguet, qui docet hominem scientiam? Elaiæ 11. Et requiescet super eum spiritus domini, spiritus scientiæ & intellectus. Hinc Lu. 4. Spiritus domini super me, eod quod anxit me, euangelizare pauperibus misit me. Nisi inuidia obcæcatos habuissent oculos, hæc considera-

re potuissent. Sed animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus dei. 1. Cor. 2. Nam Coloss. 2. In quo sunt omnes thesauri sapientiæ & sciëntiæ absconditi. Sed quia veritatem fateri noluerunt, imò impugnaverunt, ostendit suam doctrinam non esse profectam ab homine, sed nec à dæmonio, sed à deo, quem ipsi quoque eum colerent, & cuius gloria deberent fauere, si verè pij vellēt videri. Respondit igitur Iesus omnium archanorū conscius, illorū clanculario murmuri: Mea, inquit, doctrina quam admiramini vnde mihi contigerit, quum ab homine literas non didicerim, non est mea, tanquam à meipso habentis (Non enim diuersam à voluntate patris & à mente legis à deo tradita, nec nouam aliquam humanam doctrinam adfero) sed qui misit me in mundum, vt mundus seductus variis doctrinis hominum, & impiis cupiditatibus obsecutus, per me cognoscat illius voluntatem, cognitam sequatur, & sequendo vitam assequatur aternā. Vindicat doctrinā suam ex autoritate patris mittentis, cui totum ascribit. Ioan. 12. Ex meipso non sum locutus, sed qui misit me pater, ipse mihi mandatum dedit quid dicam, & quid loquar. Osten dit itaque vnde virtus tanta euangelij. Rom. 1. Virtus dei est in salutem omni credenti. Ioan. 5. Amen amen dico vobis, quia qui verbum meum audit, & credit ei qui misit me, habet vitā aternam. Cōsequenter modum indicat cognoscendæ doctrinæ suæ. Quod si depulsa malitia, simplici corde quis voluerit facere voluntatem patris, potius quam suis prauis affectibus odij & inuoris seruire, is facile agnoscat doctrinam meam non esse hominis, aut dæmonis nouum inuentum, sed à deo profectam esse, nec me quod loquor, ex humano sensu loqui, sed ex mente patris, cuius legatus sum. Qui ergo voluntatem facit patris, veritatem agnoscit. Facit, dico: Primò credendo. Ioannis. 6. Hæc est autem voluntas patris mei qui misit me, vt omnis qui videt filium, & credit in eum, habeat vitam aternam. Augustinus: intelligere, merces est fidei: ergo noli intelligere vt credas, sed crede vt intelligas. Esa. 7. Nisi credideritis, non intelligetis. Solet enim spiritus sacer imbueret homines qui sese accommodant illustrationi, qui purgatos à terrenis affectibus habent oculos. Psalm. 33. Accedite ad eum, & illuminamini:

& facies vestræ non confundentur. Secundò, operando. 1. Thessalo. 4. Hæc est voluntas dei sanctificatio vestra, vt abstineatis vos à fornicatione, & sciat vnusquisque vestrum vas suum possidere in sanctificatione & honore. Confirmat dictū suum, d. Qui à seipso loquitur, propriam volens statuere doctrinam, ob nihil aliud hoc facit, quàm vt gloriā inde inanè percipiat, arrogans & mendax, eò quod de se plus quàm meretur dicit: & iniuste agit, quia alienam, & sibi non competentem gloriam rapit: quare mendax & iniustus. Hic. 23. Visionem cordis sui loquuntur, non de ore domini. Eccle. 19. Est qui nequiter se humiliat, & interiora eius plena sunt dolo. Ideo ait Apostolus. 1. Thessalon. 2. Neque enim fuimus aliquando in sermone adulationis sicut scitis, neque in occasione auaritiæ, deus testis est, neque querentes ab hominibus gloriā, neque à vobis neque ab aliis. 2. Corin. 4. Non enim nosmetipsos prædicamus, sed dominum nostrum Iesum Christum. At dominus, quia quæ patris sunt quærebat, & nihil arroganter de se dicebat, omninò & verax & iustus erat: Non enim propriam quærebat gloriam. Io. 8. Ego gloriā meam non quæro, sed honorifico patrem meum. Si ergo veraces & iusti esse volumus, quæramus in omnibus & verbis, & factis nostris gloriā dei. 1. Cor. 10. Siue ergo manducatis, siue bibitis, siue aliud quid facitis, omnia in gloriam dei facite.

Nōne Moyses dedit vobis legem, & nemo ex vobis facit legem? Quid me queritis interficere? Respondit turba & dixit: Demonium habes, quis te querit interficere? Respondit Iesus & dixit eis: Vnum opus feci, & omnes miramini. Propterea Moyses dedit vobis circumcisionem, non quia ex Moysse est, sed ex patribus. Et in sabbato circumcidiuitis hominem. Si circumcisionem accipit homo in sabbato, ut non soluat lex Moysi, mihi indignamini, quia totum hominem sanum feci in sabbato? Nolite secundum faciem iudicare, sed iustum iudicium iudicate.

Quum criminarentur eum quòd sabbatum violasset, & legem præuicaretur: ad hoc vrget, ostendens eis quòd ipsi magis præuicatores sint legis, in fontem occidere cupientes. Ego, inquit, non aliud doceo, quàm quod per legem vos docuit deus, si quis legis mentem rectè intelligat: nec aliud facio, quàm quod lex præscripsit. Legis sciētiam & obseruantiam vobis arrogatis, quum nemo vestrum sit qui verè seruet legem secundum voluntatem dei qui legem tradidit. Imò legis prætextu ea molimini, quæ maximè lex punit & detestatur. Nōne lex execratur eum qui sanguinem fundit innoxium? Exo. 23. In fontem & iustum non occides, quia auersor impium. Nec permittit occidendi ius nisi in maleficos, nec in hos nisi legitime conuictos ac damnatos. Nu. 35. Homicida sub testibus punietur. Ad vnius testimonium nullus condemnabitur. O quorū habent imitatores, qui minima, imò nulla in proximo reprehensione digna, accusant, maximā in se negligentes. Ro. 2. Propter quod inexcusabilis es ò homo omnis qui iudicas. In quo enim alterum iudicas, te ipsum condempnas. eadem enim agis, quæ iudicas. Qui in lege gloriaris, per præuicationem legis deum in honoras. Hæc vox Iesu duplici nomine perturbauit animos pharisæorum: primum, quòd animaduertent, clancularias licet machinationes suas non latere conscientiam illius, quem credebant facilius è medio tolli potuisse, si quod moliebantur fefellisset: deinde, quòd illos qui se videri volebant legis obseruatores fidissimos, legis impiè violatæ reos argueret apud populum. Non vertebantur conscientiam dei, insidiantes innoxio sanguini, sed populi conscientiam metuebant. Itaque vt apud multitudinem tam impii facinoris conscientiam confidentia dissimulent, ad manifesta conuicia confugiunt, qui mos est improbis in maleficio deprehensis, quod excusari non possit. Ecce quomodo prauitati blasphemiam addunt. Gregorius: Peccatum quod per pœnitentiam non diluitur, mox suo pondere ad aliud trahit. Esaia. 5. Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, & quasi vinculum plaustrī peccatum. Prou. 18. Impius cū in profundum peccatorum venerit, contemnit. Sic Cain, Genes. 4. homicidio desperationem addidit. Maior est iniquitas mea

mea, quam vt veniam merear. Et Iudas laqueo se peremit, Mat. 27. Dæmonium, inquit, habes, quo instigante tam insensatè & malitiosè de nobis loqueris. Iesus nobis lenitatis præbens exēplū, mansuetè, facti sui quod calumniabantur, reddit rationem. Siquidem quum ipsi legem violarent in omnibus, tamen Iesum violatæ legis in simulabant, quòd paralyticū sanarit in sabbato. Ioan. 5. Miramini, inquit, sed non melioramini. nam circumcisio non ex Moyse, sed Abrahamo sumpsit initium. Gene. 17. Hoc est pactum meum quod obseruabitis inter me & vos, & semen tuum post te: Circumcidetur ex vobis omne masculinum. In fans octo dierum circumcidetur in vobis, Leu. 12. Hinc Rom. 15. Dico enim Christum Iesum ministrum fuisse circumcisionis, propter veritatem dei, ad cōfirmandas promissiones patrum. Ostendit ergo iniustè ipsos indignari, quòd totum hominem solo verbo curarit à morbo tam corporis quàm animi, quum ipsi circumcissionem, quæ dolorem ingerit corpori, & laborem requirit, adhibeant, ne legis videantur transgressores. Beda: Quæcūque Christus ab ægritudine corporis liberauit, liberauit & à morbo, qui omnium grauissimus est, mentis. Deute. 32. Dei perfecta sunt opera. Hinc Io. 5. Ecce sanus factus es, iam amplius noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. Nolite secundum aspectum, id est, vulgari more, nimirum ex his quæ corporalibus cernuntur oculis iudicare, sed secundum veritatem. Qua cognita, nec me, nec Moysen damnabitis contrarietatis. Alioqui si rem expectare vultis, aut vterque vobis damnandus est, aut absolvendus vterque; & personarum acceptionem effugere. Hoc & nobis dictum est, vt nullo modo iustitiā expugnemus, sed totis viribus eam defendere contendamus. Nullus sit respectus, an pauper quis sit an diues. rem ipsam inuestigemus. Iob. 29. Causam quam nesciebam diligentiissimè inuestigabam.

*Sanationes
à Christo
factæ quales*

Dicebant ergo quidam ex Hierosolymitis: Nonne hic est quem quæruunt interficere? Ecce palam loquitur, & nihil ei dicunt. Nunquid verè cognouerunt principes quia hic est Christus? Sed hunc scimus unde sit. Christus autem cū uenerit, nemo scit unde sit. Clamabat ergo

Iesus in templo, docens & dicens: Et me scitis, & unde sim scitis: & à meipso non ueni, sed est uerus qui misit me, quem uos nescitis. Ego scio eum, & si dixero quia nescio eum, ero similis uobis mendax. Sed scio eum, quia ab ipso sum, & ipse me misit.

Domino mansuetè rationem reddente, ut animū quem libet ferocè lenire possent uerba tam pia, tam uera, ut à nemine quanuis imprudenti possint refelli: obticescunt quidem pharisæi, sed nihilo secius persistunt in sua malitia, nihilo mitiora premétes animis suis, quod apud multitudinem ausus esset sic à se crimè violati sabbati refellere, ut in ipsos crimen longè grauius regeret. Quidam autem ex turba, quibus nota fuit machinatio sacerdotū, uidentes tam constantes dominum vindicantem ueritatem, dixerunt: Quid sibi uult illorum silentium? An principes persuasi sunt hunc esse Messiam, & nunc silentio confitenter, quod prius oppugnabant? Atqui non est uerisimile principes hoc sentire, siquidem omnes nouimus unde hic profectus sit. Non igitur hic est Christus. Vide malitiam Herodi respondentes principes ex Mich. quinto. dixerunt, quòd de Bethlehè ueniret Christus, Matt. 2. Hic contrarium dicunt. Ioan. 9. Hunc autè nescimus unde sit. In sanientium sermones, scimus, nescimus unde sit. Originem terrenam ex prophetis scire potuerunt, diuinam uerò propagationem non ita. Esa. 53. Generationem eius quis enarrabit? quanquam ex operibus ut unque ipsam cognoscere potuissent, nisi malitia excæcati fuissent. Ioan. 14. Non creditis quia ego in patre, & pater in me est? alioqui propter opera ipsa credite. Ioan. 15. Si opera non fecissem in eis quæ alius nemo fecit, peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habent de peccato suo. nunc autem & uiderunt, & oderunt & me, & patrem meum. Iesus uidens tantam illorum cæcitatem, ut quum prophetia prædixisset, è Bethlehè uenturū Messia, ubi natus erat Iesus, Luc. 2. reliquæque prophetarum in eum signa competerent, tamen excæcati malitia. Math. 15. Cæci sunt, & duces cæcorum: ob hoc ipsum, se negant eum scire, quod scirent: & ideo mentiuntur Christum ita

uenturum, ut nemo sciat unde ueniat, ne cogantur eum agnoscere. Iesus uerò cuius conscientiam nulla latent secreta, ut hanc multitudinis, primorū affectibus corruptæ, incitiam coargueret; quæ hoc sponte nesciret quod scire poterat, nisi mala mens obstitisset, uoce iam clariore, ut non solū à propinquis, uerū etiam à toto populo posset exaudiri, qui uersabatur in templo, ait: Si ideo non uideor uobis ille Messias, quem ex prophetarum oraculis expectatis, quòd sciatis unde uenerim, hoc ipsum uos docere poterat, me esse illum qui sic uenerim, & ex eo loco sim ortus, unde propheta Messiam uenturū prædixerūt. Magis autè refert illud, scire unde missus sim: quam unde prognatus. Cyrillus: Quòd originè cognoscatis, genus & locū natalem, uultusque effigiè probè intelligitis, rectè dicitis: uerū tamè aliquid in me reliquū est quod in me ignoratis, diuinæ naturæ ueritas, quam à meipso non habeo, sed à patre, à quo omnia mihi tradita sunt, Math. 11. Declarat se legatū ueritatis, quòd ab eo missus sit, qui uentūri non possit, quia uerus, cum per essentiam, tum per promissorum exhibitionè. Sed ipsi ignorabant patrem, propter opera sua mala & pessimū animum, quia Christo credere noluerūt. Matt. 11. Nemo nouit patrem nisi filius, & cui uoluerit filius reuelare. 1. Io. 2. Omnis qui negat filiū, nec patrem habet: qui confitetur filium, & patrem habet. Non autem satis est uerbis deum nosse, si factis illum neges. 1. Io. 2. Qui dicit se nosse deum, & mandata eius non custodit, mendax est. Non enim è mundo profectus erat, quem admodum calumniabantur: sed ab eo qui misit illū in mundum, ut respiceret & seruetur. Io. 3. Non enim misit deus filium suum in mundum, ut iudicet mundum, sed ut saluetur mundus per ipsum.

Quererebant ergo eum apprehendere, & nemo misit in illum manus, quia nondum uenerat hora eius. De turba autem multi crediderunt in eum.

Responsione uera irritati, & iam ira in furorem uersa, non morantur lentum illud consiliū, quo decreuerant eum clanculum è medio tollere: sed quem admodum uolens mortuus est, ita non nisi uolens apprehendi potuit.

Omnia enim tēporibus opportunis & accommodis facit & moderatur, sicut & legem dari conueniebat tempore opportuno, ita similiter prophetas, & euāgelium. Augustinus: non enim Christus sub fato natus est, quod nec de te credendum est, quanto minus de illo per quem factus est? Si ergo tua hora voluntas illius est, quæ est hora eius nisi voluntas eius? Non ego horam dixit, quia cogereretur, sed qua dignaretur pati. Esa. 43. Oblatus est quia ipse voluit. Simpliciores qui que amplectuntur Christi doctrinam, se quantur vitam, quum interim principes & magistratus rideant & subsannent. Esaia. 66. Ad quem respiciam nisi ad paupercaelum & contritum spiritu, & trementē sermones meos? Jac 2. Nonne deus elegit pauperes in hoc mundo, diuites in fide, & hæredes regni, quod repromisit deus diligentibus se?

F Et dicebant: Christus cum uenerit, nunquid plura signa faciet, quam quæ hic facit? Audierunt pharisæi turbam murmurantē de illo hæc, & miserunt principes & pharisæi ministros, ut apprehenderent Iesum.

Ostendit diuini muneris largitatem in eos, qui accommodat sese, diffundendā, nec peruersos quicquam moliri posse contra dispositionem diuinam. Hinc Esa. 46. Confiliū meum stabit, & omnis voluntas mea fiet. Turba enim magnificentiam Iesu timore principum non audens confiteri, colloquebatur: Esto quod non sit Christus, at cū uenerit, num melior erit? Qui crassiori sunt ingenio, non doctrina & oratione, sed signis alliciuntur. Claret autem quod d non exactā habuerunt fidem, sed qualem uerisimile est esse in uulgari multitudine, subindē mutante sententiam. Primores ergo initio consilio subornant satellites publicos, qui Iesu coram populo manus iniicerent, ac uelut nocentem captum addocerent, ob id quod I. Christus diceretur, & esse credebatur. Ecce quanta cecitas, quem tanto affectu patres efflagitarant. Plal. 84. Ostēde nobis domine misericordiam tuam, & salutare tuum da nobis. Esa. 64. Utinam dirumperes cælos & descenderes. Hinc dominus, Matt. 13. Multi prophetæ & iusti cupierunt uidere quæ uidetis, & non uiderunt: & audire quæ auditis, & non audierunt. isti quasi phrenetici extinguerent

volunt. Sed nō est sapientia, non est prudentia, non est cō filium contra dominum. Pro. 21. Non ergo ignorantia, sed destinata malitia excæcati, dominum interfecerunt. Ioan. 15. Si opera non fecissem in eis quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent: nunc autem exultationem non habent de peccato suo.

Dixit ergo eis Iesus: *Adhuc modicum tempus uobiscum sum, & uado ad eū qui misit me. Quæretis me, & non inuenietis: & ubi ego sum, uos non potestis uenire. Dixerunt ergo Iudæi ad semetipsos: Quod hic iturus est, quia non inueniemus eum? Nunquid in dispersionem gentium iturus est, & docturus gentes? Quis est hic sermo quem dixit, quæretis me & non inuenietis: & ubi sum ego, uos non potestis uenire?*

Iesus non ignarus quid illi molirentur clanculum, uerborum anigmatibus quibusdam illis significat fore, ut ipse sponte sese morti, ad quam tū frustra petebatur, offerret. Hæc autē dixit rectius, quemadmodum multa solitus est dicere, ut non prius intelligerentur, quàm essent peracta. Obscuritas autem sermonis excitat, inquirendi diligentiam, & certiozem inuenit fidem sermo, rebus exhibitis. Quid, inquit, anhelatis ad occidendum me? quid persequimini? parumper, uelitis nolitis, perambulabo in populo, ad docendum eum, ad complenda opera quæ dedit mihi pater ut faciam. Ioan. 17. Opus consummaui, quod dedisti mihi ut faciam: uo facto, facietis, me permittente, quæ nunc facere cupitis, sed non potestis me prohibente. Dicens. Vado, mortem suam significat uoluntariam. Quæretis me, post resurrectionem, nec inuenietis corporali præsentia ut modò. Ioan. 8. Cum exaltaueritis filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum, & à me ipso facio nihil. Act. 2. Compuncti corde, dixerunt ad Petrum & ad reliquos apostolos: Quid faciemus uiri fratres? Potest & accipi de Iudæis obstinatis, qui Christum in ho-diernum usque diem quærunt tēporali gloria regnaturum, & ideo quia malè quærunt, non inueniunt. Esa. 55. Quærite dominum dum inueniri potest, inuocate eum dum prope est. Quærunt aliqui propria commo ditatis

Quam vā-
riē Christus
quæratur.

gratia. Ioan. 6. Quæritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus. Quidam causa persecutio- nis, vt Herodes. Matth. 2. Futurum est vt Herodes quærat puerum ad perdendum. Sic & modò multi ipsum qua- runt interficere in mèbris suis. Actu. 9. Saule Saule, quid me persequeris? Alij deuotionis, & hi inueniunt. Sic Za- chæus quærebat videre Iesum quis esset, Lucæ. 19. Modù quærendi ostendit Esaias 55. Derelinquat impius viam suam, & vir iniquus cogitationes suas, & reuertatur ad dominum, & miserebitur eius, & ad deum nostrum, quo- niam multus est ad ignoscendum. Si enim pia mater tri- duo amissum filium dolens quæsiuit, Luc. 2. Pater tuus & ego dolentes quærebatam te quanto nobis dolore & so- licitudine quærendus, quum per peccatum amiserimus? Alioqui audiemus illud Ioannis octauo: Quæretis me, & in peccato vestro moriemini. Timeamus ne & nobis di- catur, quòd ego vado, non potestis venire: cum tamē Chri- stus dicat Ioannis duodecimo: Vbi sum ego, illic & mi- nister meus erit. Hunc sermonem quum multitudo non intelligeret, disceptabat inter sese, verbis ipsius contra- cta, & dolens quòd abiturus esset, & docturus Græcos, ipsis neglectis, quanquam hic sermo dictus esset omni- bus peculiariter, tamen pupugit ministros à pharisæis missos, vt Iesu manus iniicerent, in quæ sentiebant se ni- hil posse, nisi voluisset ipse.

3 In nouissimo autem die magno festiuitatis stabat Iesus, & clamabat, dicens: Si quis sitit, ueniat ad me, & bibat. Qui credit in me, sicut dicit scriptura, flumina de uentre eius fluent aquæ uiuæ. Hoc autem dixit de spiri- tu, quem accepturi erant credentes in eum.

Quum tam adesset vltimus dies eius festi, qui summa frequētia summæque religione celebrari consuevit, Nu- me. 29. quo peracto, suam quisque domum repetere gau- det: stabat Iesus in templo, velut ipse quoque relicurus Iudaicam religionem, & magni festi diem eximium insi- gni sermone consecrat, simulque iter ingressurus viati- quum parat euangelicæ fidei. Clamabat, partim vt ab om-

nibus audiretur, partim quòd libertatem suam in dicen- do manifestaret, & quòd neminem aspernaretur. Si quis sitit spiritualia bona, aquam sapientiæ salutaris, Eccl. 15. Veniat ad me. Comparat se fonti aquæ viuæ propter refrigerationem. Psalm. 35. Domine, apud te est fons vi- tæ. Matthæi. 11. Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Esa. 55. Omnes sitien- tes venite ad aquas. Qui ad dei nostri prædicationem accedunt, & fidei vacant, sitientium eos desiderium præse ferre oportet: ita enim quam audiunt doctrinam, poterunt fideliter retinere. Matthæ. 5. Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Sed do- minus conqueritur, Hierem. 2. Duo mala fecit populus meus: me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & fode- runt sibi cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas. Quisquis igitur crediderit mihi, auidèque imbi- berit sermones meos, quemadmodum iubet scriptura, de me testificans, quòd filius sim dei, quòd creator, quòd saluator, quòd dominus vniuersæ creaturæ, non arefceret incredulitate, sed haustus diuini spiritus pariet in ipsius corde fontem perennem & copiosum, sic vt è medio cor- dis illius emanet non modò riuus, verumetiam copiosa flumina, quibus irrigetur ariditas gentium ad euan- gelici profectus sæcunditatem. Talis enim est spiritus, vt in quamcunque animam introierit, & in qua rese- derit, faciat illam scaturire quòd fonte largiore. 1. Pet. 4. vnusquisque sicut accepit gratiam, in alterum illam administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiæ dei. Si Petri linguam, Pauli impetum, Ste- phani sapientiam consideraueris, quos dicentes nihil ef- fugit, sed omnes sequuntur tanquam à fluminibus qui- busdam impetu ruentibus rapti, flumina de ventre eo- rum fluere non dubitabis. 2. Corinth. 13. An experimen- tum quæritis eius, qui in me loquitur Christus? Matth. 10. Non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus patris vestri qui loquitur in vobis. Ad hunc igitur fontem aquæ viuæ dominus Iesus inuitat omnes, nec quenquam compellit nolentem, neque quenquam excludit, modò sitiens veniat. Apo. 22. Qui sitit, veniat: & qui vult, acci- piat aquam vitæ gratis.

G Nondum enim erat spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus. Ex illa ergo turba cum audissent hos sermones eius, dicebant: Hic est uere propheta. Alij dicebant. Hic est Christus. Quidam autem dicebant: Nunquid à Galilæa uenit Christus? Nōmie scripturæ dicit, quia ex semine Dauid & de Bethlehem castello, ubi erat Dauid, uenit Christus: Dissensio itaque facta est in turba propter ipsum. Quidem autem ex ipsis uolebant apprehendere eum: sed nemo misit super eum manus.

Et si prophetae acceperunt spiritum sanctum, & Ioannes & alij ante resurrectionem Christi: tamen erat alius modus donationis futurus, apertior & plenior. Per crucem enim deiecit tyrannum, peccato abolito, & natura nostra uictrix mundi effecta, deo reconciliata est. Postquam autem spiritus sancto baptizati sunt, & gratia spiritus in ipsos effusa est, Act. 2. tunc liberè loquuntur ad principes Iudæorum. Oportet, inquit, obedire deo magis quam hominibus, Act. 5. mortuos suscitant, Act. 9. inter flagella lætantur, Act. 5. ibant gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati, supplicis coronantur. Hæc flumina necdum eo tempore fluxerunt ex ventre apostolorum. Quom audissent hos sermones dulcissimos, non nihil hauserunt de aqua hac, ita ut quidam prophetam quempiam, alij uero Christum opinarentur. Quidam uero inuidia excæcati, & luminij gratiæ rebelles. Ioan. 24. scripturæ testimonio conantur probare ipsum non esse Christum, dicentes: Non est uersimile hunc esse Messiam, si prophetias expendatis. Num Christus, ubi uenerit, à Galilæa nobis proditurus est, quemadmodum hic prodit Nazarenus? An non prophetica scriptura palam dicit, Messiam proditurum ex semine Dauid, qui nimirum fuit ex tribu Iuda? Pla'. 131. Iurauit dominus Dauid ueritatem, & non frustrabitur eum: de fructu ventris tui ponam super sedem tuam, Esa. 11. Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet. Hic. 23. Ecce dies ueniunt,

dicit dominus, & suscitabo Dauid germen iustum, & regnabit rex & sapiens erit, & faciet iudicium, & iustitiam in terra. Hinc interrogati à domino, Matt. 22. cuius filius esset Christus, pharisæi responderunt, Dauid. Quin & natali oppidi nomen addidit, docens eum nasciturum in Bethlehem, quæ est ciuitas Dauid tribus Iuda. Mich. 5. Et tu Bethlehem ephrata, paruulus es in millibus Iuda: ex te mihi egredietur qui sit dominator in Israel. Hoc oraculum sacerdotum primores responderunt Herodi, Mat. 2. Carterum nihil habebat uirum humana malitia aduersus eum, in cuius potestate sunt omnia. Hest. 13. Domine rex omnipotens, in ditione tua cuncta sunt posita, & non est qui tuae possit resistere uoluntati. Ligabantur inuisibiliter cohibente illos diuina uirtute, & neque hoc miraculo cohibebantur. Ecclesi. 7. Considera opera dei, quod nemo corrigere possit, quem ille despexerit.

Venerunt ergo ministri ad pontifices & pharisæos, & dixerunt eis illi: Quare non adduxistis illum? Responderunt ministri. Nunquam sic locutus est homo, sicut hic loquitur. Responderunt ergo eis pharisæi: Nunquid & uos seducti estis? Nunquid ex principibus aliquis credit in eum, aut ex pharisæis? Sed turba hæc quæ non nouit legem, maledicti sunt.

Satellites itaque, quos suæ uasaniæ ministros miserant pharisæi ut Iesum caperent, mutatis animis, redeunt ad illo efferatis animis expectantes, ut captum adducerent eum, quod tandem odium suum in illum saturarent. Nam neque miraculis, neque doctrina commoti seuebant: ministri uero solis sermonibus compuncti sunt. Nunquam audiimus, inquit, hominem sic loquentem ut ille loquitur. Quis possit huiusmodi uiris manus uolentis iniicere? P sal 44. Diffusa est gratia in labijs tuis. Luc. 4. Omnes testimonium illi dabant, & mirabantur in uerbis gratiæ, quæ procedebant de ore ipsius. Matt. 7. Erat enim docens eos sicut potestatem habens, & non sicut scribæ eorum & pharisæi. Quod testimonium fieri potuit in synagoga, quod magis grauaret & traduceret

pharisæorum obstinatam malitiam? Hoc illi agebant totis viribus, vt subuerterent doctrinam Iesu: sed conatu in diuersum exeunte, dum modis omnibus extinguere moluntur, confirmant & illustrant. Pro. 21. Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra dominum. Iob. 5. Qui apprehendit sapientes in astutia sua, & consilia prauorum dissipat. Oportet autem non solum sapientiam ministrorum admirari, sed & libertatem qua testatur veritati. Hos omnium principum ministros imitari oportebat, & non obedire in his quæ deo sunt aduersa, sicut Sauli non obtemperatum est, quum astantes iussisset contra legem sacerdotes interimere. 1. Reg. 22. Sed heu ipsi nunc animos principum concitant in sanguinem innoxium, quæadmodum Doech Idumæus ibidem. Pergunt obiurgare ministros, quid accidit? dicentes: Num vos quoque qui nostri estis, nec ad promiscuam multitudinem pertinetis, ab illo seducti estis? An non sentitis impostorem esse? Si verax esset, an non existimatis viros eximios doctrina simul & autoritate præstantes, illius sermones approbaturos fuisse? An vos mouet exemplum quorundam de media face plebis hominum in doctorum & ignobilium, qui miserabiliter fallunt? Ista turba rudis ac legis ignara, deo execrabilis est. Turbam maledictam aiunt, eam quod Christo credidit, ipsi innumeris maledictis digni, utpote increduli, & aliis incredulitatis autores. Nam quæ stulta sunt mundi, elegit deus, vt confundat sapientes: & quæ infirma sunt mundi, elegit deus, vt confundat fortia. 1. Corin. 1. Hinc Iac. 2. Nonne pauperes elegit deus in hoc mundo, diuites in fide, & hæredes regni, quod repromisit deus diligentibus se? Vnde dominus exultans in spiritu, ait. Luc. 10. Cõfiteor tibi domine, pater cali & terræ, quod abscondisti hæc à prudentibus & sapientibus, & reuelasti ea paruulis.

Dixit Nicodemus ad eos (ille qui uenit ad illum nocte, qui unus erat ex ipsis:) Numquid lex nostra iudicat hominem, nisi prius audierit ab ipso, & cognouerit quid faciat? Responderunt & dixerunt ei: Numquid & tu Galilæus es? Scrutare scripturas & uide,

quia à Galilæa propheta non surgit. Et reuersi sunt unusquisque in domum suam.

Verum quicquid molitur hic mundus omnibus suis machinis aduersus cælestem veritatem, cedit in gloriam domini nostri Iesu Christi. Iam & illud obserua, nusquam esse maiorem penuriam eorum qui Christianæ veritati ex animo faueant, quam inter religionis ac doctrinæ proceres. Nam tum frequenti concilio pharisæorum, scribarum, seniorum, & sacerdotum, non erat quisquam præter vnum Nicodemum, qui in tam sceleratis molitionibus innocenti domino patrocinaretur. Cauebat autem Nicodemus ne vel absentem damnarent, vel aliquem ab ipso auerterent, sed ipsum præsentia liter audirent, sperans fore vt sermonibus ipsius conuerterentur, quem admodum ipse, quem nouerant efficacem in sermone & opere. Hinc ostendit quod neque legem cognoscebant, neque faciebant quæ legis erant, tamen de lege multum gloriarentur. Nos, inquit, legem præstitemur, quæ nec maleficum quidem condemat, nisi prius auditum, & excussis iis, quæ facit is qui defertur. Saltim hoc tribuatur huic iuris, quod commune est omnium, & ab ipsa lege datur etiam maleficis. Exo. 23. Deu. 16. Hinc Festus ait. Act. 25. Non est Romanis consuetudo dånare aliquem hominem, priusquam iis qui accusatur, præsentibus habeat accusatores, locumque defendendi accipiat ad abluenda crimina, quæ ei obiiciuntur. Dicendo, cognouerit, ostendit quod non perfunctorie, sed perfecte ac diligenter audire oporteat, vt cognoscatur quid faciendum, & non incognitus condēnetur. Deut. 1. Ita paruū audieris vt magnum, nec accipieris cuiusquam personam, quia dei iudicium est. Iob. 29. Causam quam nesciebam, diligentissimè inuestigabam. Vnde dominus Adam non nisi examinatum & conuictum condemnauit. Gen. 3. Et de Sodomitis ait, Gen. 18. Clamor Sodomorum & Gomorraorum multiplicatus est, & peccatum eorum aggrauatum est nimis. Descendā & videbo, vtrum clamorem qui venit ad me, opere cõpleuerint, an non est ita, vt sciam. In sapientia illi obiiciunt, quum rationem non habeant. Tu, inquit, qui legis cognitionem profiteris, excute scripturas: & si vlsquam comperies vel exortum à gali-

lra prophetam, vel exoriturum, crede hunc esse prophetam. si nescis, disc. Hæc pharisæorum responsio non solum erat impia, sed & falsa, quia Helisæus & Galilæus erat. 1. Reg. 19. & stulta. Nec enim Nicodemus affirmarat esse prophetam, sed quisquis esset, non tamen iuxta legem publicam oportere condemnari, nisi prius cognita causa. Sed nullum est iudicium, ubi mentem occupavit liuor & odium. His vltro citroque dictis, dimissum est concilium: dilata, non mutata sacrilega voluntate. Non dum enim venerat tempus Iesu.

DE MULIERE DEPREHensa in adulterio.

Ioan. 8. **I**esus autem perrexit in montem oliueti, & diluculo iterum uenit in templum: & omnis populus uenit ad eum, & sedens docebat eos. Adducunt autem scriba & pharisæi mulierem in adulterio deprehensam, & statuerunt eam in medio, & dixerunt ei: Magister, hæc mulier modo deprehensa est in adulterio. In lege autem Moyses madauit nobis huiusmodi lapidare. Tu ergo quid dicis? Hoc autem dicebant, tentantes eum, ut possent accusare eum.

Ostendit dominus sese non uenisse condemnare peccatores, sed saluare per respicientiam. Vnde ascensu in montem oliueti, significat sublimitate dominicæ pietatis breui orbi terrarum illustrifaculo insinuandam. Ipsa enim olei vntic, fessis & dolentibus membris solet afferre leuam. sed & supereminet hic liquor. Psal. 144. Suis uis dominus, vniuersis, & miserationes eius super omnia opera eius. Vnde Esa. 16. Et præparabitur in misericordia solium eius. Exemplo domini secessum petere debemus, quod dominum deuotius deprecemur. Ostendit zelum ad animarum salutem doctrina sua procurandam. Luc. 13. Hierusalem Hierusalem, quæ occidis prophetas, &

lapidas eos qui ad te missi sunt, quoties uolui congregare filios tuos, quemadmodum auis nidum suum sub penis, & noluisti? Sedens docebat populum in templo, palam præse ferens, sed nihil timere pharisæorum impias conspirationes. Ioan. 8. Ego palam locutus sum mundo: Ego semper docui in synagoga & in templo, quod omnes Iudæi conueniunt, & in occulto locutus sum nihil. Mansuetis & humilibus sermonem domini admirantibus, scribæ & pharisæi interrogant, non ut discant, sed ut ueritati laqueos neant. Quum enim essent uani, nomen scientiæ & sanctitatis affectantes, Christo inuiderunt, quod sapientia & sanctimonia eos præcelleret, & ueritate & populi opinione. Adducunt ipsi scilicet iustitiæ tenaces, ac legis studio seueri in criminosos, quum intus longè grauioribus uitiis maderent. Non enim iustitiâ exigebant, quum scirent ex lege quid agendum foret, sed calumniam struebant, ut anam accusandi haberent, aut seueritatis, quod misericordiæ non cõgruit, aut legalis transgressionis. Est enim adulterium crimen immane, lege damnatum. Leuiti. vigesimo: Si mœchatus quis fuerit cum uxore alterius, & adulterium perpetrauerit cum coniuge proximi sui: morte moriatur & mœchus, & adultera. Committitur autem bifariam. Primò, affectu, Matth. 5. Qui uiderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo. Præscindere enim uoluit dominus à suis non tantum enormem, quàm affectus, ex quibus scaturit quælibet uitia. Iob. 31. Si deceptum est cor meum super muliere, & si ad ostium amici mei insidiatus sum, scortum alterius sit uxor mea, & super illam incuruentur alij, hoc enim nefas est & iniquitas maxima, ignis usque ad perditionem deuorans, & omnia eradicans germina. Prouerbi. 6. Qui adulter est, propter cordis inopiam perdet animam suam. Secundo, actu. Iob. 4. Oculus adulteri obseruat caliginem, dicens, non me uidebit oculus: & operiet uultum suum. Per fodit in tenebris domos, sicut in die condixerant sibi. Deuter. 22. Si dormierit uir cum uxore alterius, uterque morietur, id est, adulter & adultera, & auferes malum de Israel. Punit lex publica crimina, & quæ probari testibus possunt, aut eiusmodi sunt, quod tergiversari arctores nulla ratione possunt, ut auferat malum de medio populi,

*Adulterium
quadrupliciter
committitur.*

hoc est, ne impunito facinore, populus alioqui ad faciō
ra procliuius, exemplum mali sequatur, ac temporis diu-
turnitate peccata iudicentur non esse peccata. Prou. 19.
Pestilente flagellato, stultus sapientior erit. Ro. 13. Princi-
pes non sunt timori boni operis, sed mali. Vis non time-
re potestatem? bonum fac, & habebis laudem ex ea. Dei
enim minister est tibi in bonum. Si autē malum feceris,
time: Non enim sine causa gladium portat. Dei enim mi-
nister est, vindex in iram ei qui malū agit. Heb. 13. For-
nicatores & adulteros iudicabit dominus. 1. Corinth. 5. An
nescitis quia iniqui regnum dei non possidebunt? Nolite
errare, neque fornicari, neque idolis seruiētes, neq; adul-
teri regnum dei possidebunt. Apud iudicē Iesum pecca-
tricem accusant, ipsi sceleratius peccatores, blandē & re-
uerēter, sed corde doloso, Magister, inquit. Tales sunt
multi, vulpini obseruatores, deo odibiles, à quibus tunc
magis cauendum, dum amplius se humiliant, & arrident.
Ecc. 12. Ne credas inimico tuo in aeternū, sicut enim ara-
mentū aruginat nequitia illius. Et si humiliatus vadat
curuus, abiice animū tuū, & custodi te ab illo. Imò Hier.
9. Vnusquisque se à proximo suo custodiat, & in omni fra-
tri suo non habeat fiduciam: quia omnis frater supplan-
tans supplantabit, & omnis amicus fraudulenter ince-
det, & vir fratrem suum deridebit, & veritatē non loque-
tur. Docuerunt enim linguā suam loqui mendacium. Sed
Prou. 1. Frustra iacitur rete ante oculos pennatorū. Cor-
rupta quæstione dominum pullant, existimantes elabi ip-
sum non posse. Paulò autē dixerat se mitem, & ad hoc à
patre missum, vt peccata remitteret, nō vt peccatores dā-
naret. Io. 3. Non enim misit deus filium suum in mundū,
vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum. Si
ergo pronūciasset agendum secundum legem, habuissent
occasionem eius auctoritatem apud populum eleuandi,
quasi secus ageret, quā doceret. Sin verò absoluendam,
quod futurū sperabant, haberent quod intētarent crimē,
legis violationem.

*Iesus autem inclinans se deorsum, digito scribebat
in terram. Cum ergo perseverarent interrogantes, e-
rexit se, & dixit eis: Qui sine peccato est ustrum, pri-*

*mus in illam lapidem mittat. Et iterū se inclinans, scribe-
bat in terram. Audientes autem hæc, unus post unum exi-
bant, incipientes à senioribus: & remansit solus Iesus, &
mulier in medio stans.*

Iesus igitur non recusauit iudicium delatum, quum sit
iudex omnium. Act. 10. Præcepit nobis prædicare popu-
lo & testificari, quia ipse est, qui constitutus est à deo iu-
dex viuorum & mortuorum, nec ream addixit lapidato-
ribus iam accinctis, nec à causa liberauit, quæ pœnam cō-
meruerat, sed silentio patrocinauit ei, quæ rapiebatur
ad pœnam, vt seruaretur ad pœnitentiam, ac respiceret
ad salutem. Scribebat in terram, docens non statim ad
cuiusuis accusationem procedendum ad condemnatio-
nem, sed digito discretionis & inquisitionis diligentius
singula discutienda. Prou. 31. Decerne quod iustum est. *Iesus cur in*
dica inopem & pauperem Iob. 29. Causam quā ignorabā, *terrā scripse*
diligentissimē inuestigabam. conterebam molas iniqui,
& de dentibus illis auferebam prædam. Secundò, ipso fra-
tō ostendit eos non in libro vitæ, sed in terra scriptos.
Hieremiæ decimo septimo: Domine omnes qui te dere-
linquunt, confundentur: recedentes à te, in terra scri-
bentur, quoniam dereliquerunt venam aquarum viuen-
tium, dominum. Non ergo abrogat Mosaicam legem, sed
ostendit euangelicæ legis, cuius ipse conditor esset, cle-
mentiam. Hinc admonebat illos qui ream ad pœnam
crudellem pertraherent, vt in se descenderent, & iuxta
diuinam legem suam excuterent conscientiam, ac talem
se quisque exhiberet erga proximum lapsum, qualē ex-
periri vellet deum iudicem erga se. Punitur, inquit, pec-
catricis, sed non à peccatoribus: impleatur lex quam alle-
gatis, sed non à transgressoribus legis. Deuterono. deci-
mo sexto: Iustē quod iustum est exequeris. Gregor. Qui
prius semetipsum non iudicat, quid in alio rectum iudi-
cet ignorat. Matth. 7. Hypocrita, eice primū trahem
de oculo tuo: & tunc videbis eicere festucam de oculo
fratris tui. Ambrosius: Iudicet ille de alterius errore, qui
non habet quod in semetipso condemnet: iudicet ille
qui non agit eadem, quæ in alio putauerit punienda, ne
cum de aliis iudicat, in semetipsum sententiam ferat.

Rom. 2. In quo alterum iudicas, te ipsum condemnas, eadem enim agis quæ iudicas. Non ergo hoc dicto absolvit ream, sed omnium percussit conscientiam. Sic & respondit iis qui nunciauerunt de necè Galilæorum, Luc. 13. Putatis quòd hi Galilæi præ omnibus Galilæis peccatores fuerint, quia talia passi sunt? Non dico vobis, sed nisi poenitentiam habueritis, omnes similiter peribitis. Iterum scripsit in terra, tractum aliquem figurans, quo illi veluti in speculo sua cernebant peccata. Beda: Christus rursus inclinās se, scripsit, vt vultū suū ab illis sua respōsiōe cōfusis diuertendo, daret exeundi libertatem. Metuebat autē sibi quisque mali conscius, ne Iesus cui videbant etiam occulta non esse incognita, proderet in publicum ipsorū facinora: Nam qui inter eos videbatur religionis ac iustitiæ columina, hi maximis vitiis intus mædebant. Cū ergo audissent, & à conscientia redarguerentur, exierunt singulatim à senioribus vsque ad postremos; & relictus est Iesus solus sine accusatoribus, & mulier in medio, nescia quid dominus de ea iudicaret. Prou. 28. Fugit impius nemine persequente: iustus autem quasi leo confidens, absq; terrore erit. Sap. 17. Cū enim sit timida nequitia, data est in omnium condemnationem: semper enim præsumit læua, perturbata conscientia.

Erigens autem se Iesus, dixit ei: Mulier, ubi sunt qui te accusabant? Nemo te condemnauit? Quæ dixit: Nemo domine. Dixit autem Iesus: Nec ego te condemnabo. uade, et iam amplius noli peccare.

Remanserant simul iudex & rea, misericordia & miseria. stat mulier trepidans quidē ex conscientia, sed læta ex fiducia quam hætenus conceperat erga patrociniatē Iesum. Tādē erectus Iesus, vbi videt solitudinem & mulierem solam ac trepidam, blandē compellat illam. Nec ego, inquit, futurus sum illis inclemētor, vt qui seruandis omnibus venerim, cōdemnem quam illi reliquerunt indemnatam. 1. Tim. 1. Fidelis sermo & omni acceptione dignus, quia Christus Iesus venit in hunc mundū peccatores saluos facere. Ezech. 18. Nunquid voluntatis meæ est mors impij, dicit dominus deus, & non vt conuertatur

uertatur à viis suis, & viuat? Quia nolo mortem morientis, dicit dominus, reuertimini & viuite. Absolvit ream, condonauit noxam, sed non hic finiuit sententiam, quin potius addidit: Caue ne recidas in idipsum, sed magis cura vt viuas iustitiæ, radices peccati eradices, occasiones fugias. Ro. 6. Liberati à peccato, serui facti estis iustitiæ. Humanum dico propter infirmitatem carnis vestræ: sicut enim exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem. Cū enim serui essetis peccati, liberi fuistis iustitiæ. Quem ergo fructū habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis? Nam finis illorū mors est. Nūc verò liberati à peccato, serui autem facti deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem verò vitam æternam. Hoc exemplo dominus Iesus docuit eos, qui se pastores populi; & euangelicos doctores proficentur, quantā lenitate, quantāque mansuetudine debeant vt aduersus eos, qui per infirmitatē prolabantur in peccatum, quum ipsi nonnunquam magis egeant dei clemētia, quàm illi in quorū errata sauiūt: aut si non tenentur paribus vitiis, certè non sunt omninò puri ab omni vitæ macula. Prou. 20. Quis potest dicere, mundum est cor meum? purus sum à peccato? certè per humanā imbecillitatem in omne vitium prolabi possunt. Gal. 6. Fratres, & si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spiritales estis, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis, cōsiderās te ipsum ne, & tu teneris. 1. Cor. Iudex quæ 10. Itaque qui se existimat stare, videat ne cadat. Iudex do & bene tamen qualisqualis sit, si secundum legem iudicat, bene iudicando iudicat. Non enim iudex sententiam profert, sed lex: sed peccet. videat ne legem torqueat corruptus amore, odio, munere, vel timore. Peccat tamen, seipsum non examinando & corrigendo in his, quæ in aliis damnat. Vbi autem & accusatores & testes suam causam destituunt, magis de calumnia sunt condemnandi, quàm de intentato crimine reus. Sic Daniel duos senes lapidibus fecit obrui, Susannam falso de adulterio accusantes, & in probatione desicientes; Dan. 13.

PARS SECVNDA.
DE SERMONE IN GA-
zophilacio.

ARTICVLVS XV.

Ioan. 3.

Iterum ergo locutus est eis Iesus, dicens: Ego sum lux mundi, qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ.

Ostendit machinantium dolos sese non latere, & vitæ lumen sequentibus ministrare, ne in tenebris errorum remanentes, ad perpetuas pergant tenebras. Psal. 81. Nesciunt neque intellexerunt, in tenebris ambulant. 1. Io. 2. In tenebris ambulat, & nescit quò vadat, quia tenebræ obsecauerunt oculos eius. Sic ambulauerunt de quibus. Sap. 5. Errauimus à via veritatis, & iustitiæ lumen non luxit nobis, & sol intelligentiæ non est ortus nobis. Lassati sumus in via iniquitatis & perditionis, ambulauimus vias difficiles, viam autem domini ignorauimus. Ob id oportuit lucem quædam nobis præmonstrare & diffundere, quæ illuminaret, purgaret intus, atque perficeret. Obserua lucem duplicem. Vna corporæ. Gen. 1. Fiat lux, & facta est lux. Altera spiritualis, nullis obfusca tenebris, 1. Ioã 1. Deus lux est, & tenebræ in eo non sunt vllæ, semper splendescens & ardēs, seque ipsam pro suo arbitratu diffundens, accõmodensque mentibus hominum, modo seipsas non grauentur vicissim, oblatæ gratiæ accõmodare. Io. 1. Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Triplicem ob causam se dicit lucem non particularem, sed omnium hominum. Nam quod sol est tori orbis, id ipse omnibus hominibus. Primo illuminat, tenebras depellendo. Quamquam lex immaculata, quamquam domini præceptum lucidam illuminans oculos, Psalmist. 118. euangelicæ tamen gratiæ comparata, vmbra sunt. Hebræorum decimo. Vmbra habens lex futurorum bonorum. Hinc Esaiæ quadragesimo. Surge illuminare Hierusalem, quia venit lumen tuum, & gloria domini super te orta est. Gentes verò infidelitatis tenebris ob-

Lux duplex.

Tripliciter
Christi lucem
esse.

ARTICVLVS XV. 93

excatae erant. Ephe. 5. Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in domino. Esa. 49. Dedi te in lucem gentium. 1. Ioann. 2. Tenebræ iam transferunt, & verum lumen iam lucet. Secundò viuificat, calorem præbendo. Sicut enim sol vitam ac vigorem præbet omnibus corporibus, multò præsentius Christus præstat animabus. Ioã. 1. Et vita erat lux hominum, Philip. 4. Omnia possim in eo qui me confortat. Deus noster ignis consumēs est, Deutero. 4. Vnde scoriæ peccati nostri & concupiscentiam, qua intolufi sumus, exurit & purgat. Nostrum est, accedere ad solem & radiantem, & excalescentem. Psal. 33. Accedite ad eum, & illuminamini: & faciēs vestrae non confundentur. Tertio dirigit, viam demonstrando. Psal. 42. Emitte lucem tuam & veritatem tuam: ipsa me deduxerunt & adduxerunt in montem sanctum tuum. Filij Israel columnam ignis sequentes per noctem, & nubis per diem, per desertum in terram promissionis peruenerunt, Exod. 13. Sic qui sequuntur Christum, non hærent amplius tenebris errorum, & criminum, sed purgati à vitis, & illustrati euangelicæ doctrina, habebunt lucem veram, quæ vitam præstat animæ. Psal. 35. In lumine tuo videbimus lumen. Sed Ioannis tertio: Lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem. Prouer. 4. Via impiorum tenebrosa, nesciunt vbi corruant. Psalm. 34. Fiant viæ illorum tenebræ & lubricum, & angelus domini persequens eos. Non enim sequuntur Christum, & ideo pertingent ad tenebras gehennæ, vbi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat, Iob. 10. Hinc. 1. Ioannis. 2. Qui dicit se in Christo manere, debet sicut ille ambulauit, & ipse ambulare; Taxat etiam dominus pharisæos, quod in errore & tenebris essent, & clam dolos struerent, ministros & Nicomedum commendans, quod liberè veritatem dixissent, & in luce essent.

Dixerunt ergo pharisæi: Tu de teipso testimonium perhibes: testimonium tuum non est verum. Respondit Iesus, & dixit eis: Et si ego testimonium perhibeo de meipso, verum est testimonium meum: quia scio unde ueni, & quò uado: Vos autem nescitis unde

uenio, aut quò uado. Vos secundum carnem iudicatis, ego non iudico quenquam. Et si iudico ego, iudiciũ meum uerum est, quia solus non sum, sed ego qui misit me pater. Et in lege uestra scriptum est, quia duorum hominum testimonium uerum est. Ego sum qui testimonium perhibeo de me ipso: & testimonium perhibet de me, qui misit me pater.

Deut. 17. Arguunt Christũ mendacij & ostentationis, perinde atque seipsum commendaret. Tu, inquiunt, ipse tibi estis es, ac magnificè de te prædicas, sed nemini de se testificãti credi debet. Arrogantis est, non veracis, suam iactare gloriam Prou. 27. Laudet te alienus, non os tuũ: extraneus, non labia tua. Non enim qui seipsum commendat, ille probatus est, sed quem deus commendat. 2. Corin. 10. Intelligitur de laude ad seipsum relata, nõ ad dei gloriã, vel proximorum utilitatẽ. Sic enim & Paulus sese commendat. 2. Corin. 12. Ostendit autem dominus testimonium suum uerũ ex duobus. Primum, quia deus, qui nec mentiri nec fallere potest. Nu. 23. Non est deus quasi homo ut mentiatur, neque ut filius hominis ut mutetur. Testimonium uerò firmitatem habet ex certitudine cognitionis, & rectitudine affectionis: & ideo hominis testimonium de seipso non est firmum, quia etsi sese cognoscat, frequenter tamen inordinate afficitur ad seipsum: quare & quandoque sibi placet, ubi aliis displicet, quod in Christo locũ non habuit. Vnde ait, Ioan. 3. Quod scimus loquimur, & quod uidimus testamur. Ad hoc ergo tam atrox conuiciũ, sed quod magis officere poterat saluti multitudinis, quã ipse nocere gloriæ: testis seuerè respondit: illorum testimonium oportet in dubium vocare, qui quã nihil aliud sint quã homines, & ex humano sensu de se prædicant, falsi possunt, & uolente etiam mentiri possunt: in me non eadem ista cadunt. Nihil enim ex me ipso loquor, sed ex eo unde sum missus: nec aliò tendo, quã ad illius illustrandã gloriã. Ille mentiri non potest, & illius unius testimonium sanctius est omnibus humanis testimoniis. Vos non dignamini aperire oculos, ut cognoscatis uerum lumen, Psalm. 35. Noluĩ in tel-

*Seipsum
quatinus
dare quis
possit.*

ligere ut bene ageret. Idcirco nõ potestis de me bene iudicare, cùm non agnoscat me: quem purũ hominẽ existimatis. Iudicium uestrum, quoniã nõ proficiscitur à deo, sed ex humanis cupiditatibus, corruptum est & falsum: quia non à deo, sed homine uenisse me creditis. Chryso: Secundum carnem uiuere, est malè uiuere. Roman. 8. Si secundum carnem uixeritis, moriemini, ita secundũ carnem iudicare, est malè iudicare. Ioan. 7. Nolite secundũ faciem iudicare, sed iustum iudicium iudicate, id est, Nolite me solum hominẽ æstimare ex carnis imbecillitate, sed intus perpendite diuinitatis energiam, quam carõ abdit. Ego interim non iudico quenquam, nondum enim iudicij tempus est, sed conferendæ salutis: etenim condemnati essetis, siquidem uoluisset iudicare, quia non sum sine teste & coniudicante, Ioan. 8. Qui misit me, necum est & non reliquit me solum. Non enim exercuit iudicium condemnationis in primo aduẽtu. Ioan. 3. Non enim misit deus filium suum in mundum ut iudicet mundũ, sed ut saluetur mundus per ipsum, sed iudicium discretionis & correctionis, ad emendationem, & non ad penam: Ioan. 9. In iudicium ego in hunc mundum ueni, ut qui nõ uident, uideant: & qui uident, cæci fiant. In secundo aduentu apparebit iudex uiuorum & mortuorũ. Ioan. 5. Pater omne iudicium dedit filio. Secundum, quia non solus ipse, sed & pater testimonium perhibuit. Ego, inquit, testimonium perhibeo de me ipso, sed ex autoritate patris, qui & ipse testimonium perhibet de me: nec aliud de me pronuncio, quã ille testificatus est qui me misit in mundum, ut testis sim ueritatis, quã ille solus nouit. Ioan. 18. Ego in hoc natus sum, & ad hoc ueni in mundum, ut testimonium perhibeam ueritati. Quòd si queritis quando pater testificatus sit de me, testificatus est in lege uestra, cuius uocem agnosceretis, si quod scriptum est, in corruptis animis intelligeretis. Ioan. 5. Scrutamini scripturas, illa sunt quæ testimonium perhibet de me, Roma. 3. Nũc autem sine lege iustitia dei manifestata est, testificata à lege & prophetis. Iustitia autem dei per fidem Iesu Christi, in omnes & super omnes qui credunt in eum. Item apud Iordanem, Mar. 3. Et ecce uox de cælis, dicens: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui. Ceterũ

ipsis factis, quæ videtis ab illo geri per me. Ioan. 5. Opera quæ dedit mihi pater vt perficiam, eà ipsa opera quæ ego facio, testimonium perhibet de me, quia pater misit me. Ioan. 14. Pater in me manens, ipse facit opera. Denique quum tempus erit, euidentioribus testimoniis me glorificabit. Constringit hac ratione eos vel esse legis præuaricatores vel ad credendum, velint nolint, cogi ex lege. 1. Ioan. 5. Si testimonium hominum accipimus, testimonium dei maius est. Obserua, duorum hominum testimonium esse idoneum, non tamen semper verum: sicut claret in lapidatione Naboth. 2. Regum, 21. in cõdemnatione Susanna, Dan. 13. in passione Christi, Matthæi. 26.

Duorum
testimoniũ
quale.

3 Dicebant ergo ei: Vbi est pater tuus? Respondit Iesus: Neque me scitis, neque patrem meum. Si me sciretis, forsitan & patrem meum sciretis. Hæc uerba loquitur est Iesus in gazaphylacio, docens in templo, & nemo apprehendit eum, quia necdum uenerat hora eius.

Quoniam audierant Iudæi nomen patris vnde missus esset, & cuius autoritate se communiret, demirantur si de Ioseph fabro, cuius filius tum vulgo credebatur, tam magnificè prædicaret. Si de illo non sentiebat, cupiit expiscari, quinquam esset alter ille pater, vnde uenisset, & ad quem iret. Patrem, inquiunt, tuum nouimus obscurum & ignobilem, qui & mentiri potest, quum homo sit, Ioseph: quis est ille de quo talia iactitas? Christus eorum animos, quia calumniandi gratia quærebant, suspensos reliquit, quia talibus non est semper ad uerum respondendum. Pro. 26. Ne respondeas stulto iuxta stultitiam suam, ne efficiaris similis ei. Neque me nostis, inquit, neque patrem meum: & dum me nosse non uultis, patrem nosse nõ potestis, nec honorare, etiam si putetis. Ioannis. 14. Philippe, qui uidet me, uidet & patrem meum. Nam Christus expressa imago est patris. Hebræo. 1. Qui quum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ eius. Coloss. 1. Qui est imago dei inuisibilis, primogenitus omnis creaturæ. Iam quum ita sit comparatum, vt ea quæ recipere & relativiè referuntur, ita se habeant, vt alterius

cognitio ex altero pendeat, & ignorantia vnus, alterius inducat ignorantiam: consecutaneum est, pharisæos ne Christum quidem cognouisse, si diuinam spectemus naturam, quanquam ex operibus hanc dignoscere potuerint, quemadmodum eis non semel impropertit dominus, quare nec patrem. Nullam ergo diuinam personam nouerunt secundum esse relatiuum, sed secundum esse absolutum, quoniam nouerant deum per fidem, qui est substantialiter diuina persona, ac trinitas tota. Psal. 75. Notus in Iudæa deus, in Israel magnum nomen eius. Hæc uerba locutus est in loco oblationum pro templo publico, indicans sanam doctrinam non in angulis, sed publicitus esse tradendam. Pnlehrè autem conclusit: Si me sciretis, & patrem meum utique sciretis: quia cognitio vnus dependet ex cognitione alterius. Erat autem diuinæ virtutis opus, stipatum hostibus, illæsum in medio illorum manere & intactum, maximè quum essent illi & ante pascha insidiati: non enim illis deerat impia uoluntas, sed dei nutu non erat data facultas. Non enim hæc illorum erat hora, qua permittendi erant scire in Christum, sed altera supererat adhuc, quam præoccupare nemo potuit. Quo & nos consolatur, vt certi simus, ne capillum quidem de capite nostro posse moueri, nisi bona dei uoluntate permittente, Matthæi. 10. Sic nec in Iob, nisi potestate à deo accepta, satan per malos homines in substantiam, nec per se in corpus desæuire potuit, Iob. 1.

DE SERMONE OB
quem ipsum lapidare uoluerunt.

Dixit ergo iterum eis Iesus: Ego uado, & queretis me, & in peccato uestro moriemini. Quò ego uado, uos non potestis uenire. Dicebant ergo Iudæi: Numquid interficiet semetipsum, quia dicit, quò ego uado, uos non potestis uenire?

K

Ostendit in quam perniciosum exitum mentis obliuio hominē perducit, nempe ex morte culpæ in mortem gehennæ. Pro. 18. Impius quum in profundum peccatorum venerit, contemnit, sed sequitur eum ignominia & opprobrium. Hic. 5. Domine, oculi tui respiciunt fidem. Percussisti eos, & non doluerunt: attriuisi eos, & reuenerunt accipere disciplinam. Indurauerūt facies suas supra petram, & noluerunt reuerti. Ego autem dixi: Forsitan pauperes sunt & stulti, ignorantēs viam domini & iudicium dei sui. Ibo ergo ad optimates, & loquar eis: ipsi enim cognouerūt viā domini, & iudicium dei sui. Et ecce magis hi simul confregerunt iugum, rupe runt vincula. Obtricescentibus igitur Iudæis, sed impiis ac parricidales cogitationes in animo volentibus, perrexit Iesus loqui, tacite percuciens illorum conscientias, quod vel se recipiscerent, quum vel ita agnoscerent illi nihil occultum esse, quod homini puro nunquam datum fuit. Hic. 17. Præuū est cor hominis & inscrutabile. quis cognoscet illud? Ego dominus scrutans cor, & probans renes, qui do. vnicuique iuxta viam suam, & iuxta fructum adinventionum suarum. Nullius, inquit, impietas impedire potest quod ago iussu patris mei: quo peracto, vado ad eum qui misit me. Luc. 22. Et filius quidem hominis secundū quod definitum est, vadit: veruntamen vā homini illi per quē tradetur. Ecce modus eundi ad patrem. Sæpe autē id eis prædixit, mōstrans quod præsciat suam mortē: & quod nō illorū sit virtutis opus crux, sed eiūsdem voluntatis suæ. At cū frustra quæretis me, & absentem desiderabitis, quem præsentē incessitis, & ei invidetis. In hodiernum enim vsque diem Iudæi Messiam quærunť, sed non inueniunt illum, & ideo in peccato suo moriuntur. Non enim quærunť, sicut debent, ob salutem animarum, sed temporale bonum, sicuti ipsum quæserunt vt facerent regem, Ioan. 6. qua spe fraudati, ipsum recipere noluerunt per fidem, sed magis persecuti sunt, quare in peccato infidelitatis mortui fuerunt morte culpæ. Sap. 16. Homo per malitiam occidit animam suam. Roma. 6. Stipendia peccati, mors. Hinc morte gehennæ. Pro. 11. Mortuo homine impio, nulla erit vltiā spes. Psal. 33. Mors peccatorum pessima. Psal. 48. Sicut oues, in inferno positi sunt, mors depascet eos. Necnon complures cum hoc, morte naturæ violenta per gladium, famem, & pestem tempore obsidionis. Qui autem dominum nunc quærunť in veritate, inueniunt illum. Psal. 68. Quærite dominum, & viuet anima vestra. Alioqui postea cum fatuis virginibus quærent, & non inuenient, Matt. 25. Ego ergo, inquit, vado, non quod vestra compellit impietas, sed volens vado, quod vos non potestis insequi. Ostendit quod resurrecturus sit in gloria, & confessus ad dexteram patris: ipsos verō quādiu tales essent, sequi non posse. Hic. 5. Peccata vestra prohibuerunt bonum a vobis. Qui enim Christum non sequuntur per crucis ignominiam, postea non sequentur per resurrectionis gloriam. Mat. 16. Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Luc. 14. Qui non baiulat crucem suam & venit post me, non potest meus esse discipulus. Passionati verō & iniudi, omnia in peius interpretabantur. Augustinus: Stulta verba, nunquid interficiet semetipsum? Quid enim? Non poterant illi venire quod ipse perrexisset, si interfecisset semetipsum? Nunquid non ipsi erant morituri? Dicebat ergo non de morte, sed gloria ad quam ibat per mortē. Luc. 24. Oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam.

Quomodo
Iudæi Christi
sum quæ-
rant, nec in-
ueniant.

ferno positi sunt, mors depascet eos. Necnon complures cum hoc, morte naturæ violenta per gladium, famem, & pestem tempore obsidionis. Qui autem dominum nunc quærunť in veritate, inueniunt illum. Psal. 68. Quærite dominum, & viuet anima vestra. Alioqui postea cum fatuis virginibus quærent, & non inuenient, Matt. 25. Ego ergo, inquit, vado, non quod vestra compellit impietas, sed volens vado, quod vos non potestis insequi. Ostendit quod resurrecturus sit in gloria, & confessus ad dexteram patris: ipsos verō quādiu tales essent, sequi non posse. Hic. 5. Peccata vestra prohibuerunt bonum a vobis. Qui enim Christum non sequuntur per crucis ignominiam, postea non sequentur per resurrectionis gloriam. Mat. 16. Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Luc. 14. Qui non baiulat crucem suam & venit post me, non potest meus esse discipulus. Passionati verō & iniudi, omnia in peius interpretabantur. Augustinus: Stulta verba, nunquid interficiet semetipsum? Quid enim? Non poterant illi venire quod ipse perrexisset, si interfecisset semetipsum? Nunquid non ipsi erant morituri? Dicebat ergo non de morte, sed gloria ad quam ibat per mortē. Luc. 24. Oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam.

Et dicebat eis: Vos de deorsum estis, ego de superis sum: vos de mundo hoc estis, ego non sum de hoc mundo. Dixi ergo vobis, quia moriemini in peccatis vestris. Si enim non credideritis quia ego sum, moriemini in peccato vestro. Dicebant ergo ei: Tu quis es? Dixit eis Iesus: Principium qui et loquor vobis.

Ad tam crassum & insipium murmur, Iesus omnium cogitationum conscius, ita responsum attemperat, vt quod diceret, non intelligeretur, nisi peracta morte ac resurrectione, & in caelum ascensu. Vos, inquit, ex hoc mundo profecti, mūdum sapitis, & iuxta carnalem sensum mūdi loquimini: quia infimis inhaerentes, cor ad superna leuare non valetis. Ioā. 3. Qui de terra est, de terra est, & de terra loquitur. Ioan. 4. Ipsi de mundo sunt, &

de mundo loquuntur, & mundus eos audit. Ratio, quæ (Ioan. 14.) spiritum veritatis mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum. 1. Ioan. 5. Totus mundus in maligno positus est. Ego non sum ex hoc mundo profectus, quare nihil terrenum & mundanum sapio. Augustinus: Quomodo esset de mundo, per quem factus est mundus? Hebr. 1. Per quem fecit & secula. Ego è supernis sum, Ioan. 16. Exiui à patre, & veni in mundum, ac sublimiora loquor quàm vt. vos possitis assequi, nec assequemini vnquam, nisi reliqua incredulitate, dociles vos præbueritis. Quòd si pertinaciter recusetis credere, me esse illum, per quem pater velit omnes vitam. ac salutem consequi, vestra culpa moriemini in peccatis vestris. Nam suo vitio perit, qui salutem gratis oblatam obstinatè reicit: & sibi mortem a seiscit, qui vitam fontè aspernatur. Obserua, aliud esse mortuum pro peccato. hoc soli Christo cõpetit. 1. Pet. 3. Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, iustus pro iniustis. Aliud peccato, sic omnes esse debemus. Romanorum. 6. Existimate vos mortuos esse peccato, viuentes autè deo in Christo Iesu. Qui enim mortui sumus peccato, quomodo adhuc viuemus in illo? Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, vt obediatis concupiscentiis eius. Vnde ait, Galat. 2. Viuo ego, iam non ego, viuunt verò in me Christus. Aliud in peccato, sicut obstinati, sicut & hic. Ioannis. 3. Qui non credit, iam iudicatus est. non propter hoc tantum quòd non credit, sed & quia priora peccata habet, moriatur. Quia dixerat ipsos morituros in peccato nisi crederent, quærunt quis sit, quanquam animo maleuolo. Sed non omni spiritui credendum. sed probandum an ex deo sit. 1. Ioan. 4. Et qui citò credit, leuis est cordis, Ecclesia. 10. Hoc tamen in seruatore locum non habuit, quum ex doctrina & operibus satis compertum haberent ipsum, ex deo esse. Hinc infert quis sit. Principium, inquit, qui & loquor vobis, quo se ostendit deum. Genesis primo: In principio fecit deus cælum & terrã. Apocalypsis primo: Ego sum alpha & o, principium & finis. Sed quia, principium, hic aduerbium est, id est, primò vel principio, nec est qui, sed quia vel quòd, potest esse sensus: Hoc primo loco dicam, is sum qui lo-

Mori peccato, in peccato & pro peccato qui differant.

Principiũ qui hic sumatur.

quor vobiscum. nam cætera indigni estis qui audiatis. Aut sic, Primum id sum quod etiam dico vobis. Nò explico, quid sum, indignis. hoc primum dico, me missum esse à patre, & præconem vitæ, id quod iam dudum dico vobis. Tertius sensus potest accipi, vt hæc cohæreant cum his quæ proximè sequuntur.

Multa habeo de vobis loqui & iudicare, sed qui misit me, verax est: & ego quæ audiui ab eo, hæc loquor in mundo. Et non cognouerunt quia patrem eius dicebat deum. Dixit ergo eis Iesus: Cum exaltaueritis filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum, & à me ipso facio nihil, sed sicut docuit me pater, hæc loquor. Et qui misit me, mecum est, & non reliquit me solum, quia quæ placita sunt ei, facio semper.

Primum ob hoc ipsum quod loquor vobis, quo beneficio vos præbetis indignos, multa habeo quæ de vobis dicam, hoc est, multa sunt de quibus vos accusẽm & condẽnem, plura habiturus, si dicam quis sim. Hoc autem accessisset ad cumulũ dånationis, cum hæc ipsa quæ audierant, inflamment illos ad consilium occidendi. In hunc ferme sensum edisserit Chrysofost. & eum secutus vulgaris Augustinus: Supra dixerat, non iudico quenquam: sed aliud, non iudico: aliud, habeo iudicare. Non iudico, dixit, ad præsens: non enim exitum hominũ sitio, sed salutẽ. Luc. 9. Filius hominis non venit animas perdere, sed saluare. Alioqui multa possum loqui de vobis, multisque nominibus vos condemnare, sed nõ ita visum est patri, qui me misit in mundũ, non vt ex malis fiant peiores, sed vt qui mali sunt, respiciant ad salutem. Et quia verax est, verum est & iudicium meum, & vera sunt quæ loquor, quæ conducunt seruandis hominibus, non perdendis. Quòd si quis perit, suo vitio peribit, qui salutem oblatã sibi inuiderit. Habet dominus multa de nobis loqui & iudicare, quæ nisi nos iudicauerimus, in futuro ipse cum acceperit tẽpus, iudicabit. 1. Corin. 11. Quòd si nosmet ipsos iudicauerimus, non vtiq; iudicabimur. Nam Rom. 14. Vnusquisque pro se rationem reddet. Tam autem erat crassa Iudæorum cæcitas, vt quòtories memo-

raffet patrē suum, vnde missus esset, & ad quem iret, & vnde testimonium haberet, & vnde audisset quæ loqueretur: nondum tamē intelligerent, quia patrē eius dicebat deū, loquens de patre caelesti, quod nihil adhuc in eo credere potest supra hominem. 1. Corin. 2. Animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus dei. Postquā multa signa fecit eis, & non crediderunt, nec attraxit illos, nunc de cruce cum eis loquitur, reducens eos ad modum cognitionis & conuersionis, ænigmate subindicans futurum, vt per illos volens in crucem suffigeretur. Quum exaltaueritis, inquit, filium hominis, tunc demum intelligetis qui sim, posteaquā extinctum putabitis, & vos extra omnem sollicitudinem & metum fore, & à me liberatos, tunc denique cognoscetis virtutem meam. q. d. Prius implenda passio per manus vestras, post ex vobis credent, ne quis desperet de quāto cunque crimine, & increduli inexcusabiles sint. Hinc cetero cū suis ait, Mat. 27. Verē filius dei erat iste, & Luc. 23. Et omnis turba eorum qui simul aderant ad spectaculum istud, & videbant quæ fiebāt, percutientes pectora sua, reuertebātur. Hinc in die pentecostes prædicante Petro, conuersæ sunt circiter. 3000. animæ. Act. 2. Multa etiam turba sacerdotū obediebat fidei, Act. 6. Quemadmodum autem pater genuendo dedit illi vt esset, sic & vt noscet: quoniam in ipso sunt omnes thesauri sapientiæ absconditi, quia in ipso inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, Colos. 2. Chrysof. Ne autem æstimetur hoc quod dicit, qui misit me, minorationis esse, dicit, mecum est. Nā hoc quidem dispensationis, scilicet missio: hoc verō deitatis est, scilicet mecum est. Non enim quo misit filium, ibi non erat pater qui dicit Hier. 23. Nunquid non cælū & terram ego impleo, dicit dominus? Ioan. 14. Non credis quia ego in patre, & pater in me est? Quia autem ipsū dicebant violatorem sabbati (Ioan. 5.) & ob id nō à deo, ostendit contrarium. Optima fide, inquit, fungens legatione meā, quæ ille mandauit, perpetuò facio, nunquam dissentiens à placito patris mei. David ac Moyses quos suspicatis, multa loquuti, multa fecerunt ex voluntate dei, sed iidem offenderunt nonnunquā illum factis suis. Ego quæ illi placita sunt, facio semper. Glosa, Huic obe-

discens fuit vsque ad mortem crucis, Phil. 2. Psal. 39. In capite libri primum est de me, vt faciam deus voluntatem tuā, deus meus volui. Io. 14. Sicut mandatum dedit mihi pater, sic facio. Concordia autē in opere, vnionis & amoris extat iudicium. Io. 5. Pater meus vsque modo operatur, & ego operor. O quā felix qui hoc dicere posset: sed non est nisi vsque ad vnum Christum. Iac. 3. In multitudine offendimus omnes.

Hæc illo loquente, multi crediderunt in eum.

Hæc salubria docente domino, multi crediderunt in eum. Fides bonorum etiam illa credit, quæ non intelligit. pharisæorum malitia semper erat in peius profectura.

Dicebat ergo Iesus ad eos, qui crediderunt ei, Iud. eos: Ioan. 8. Si uos māsseritis in sermone meo, uerē discipuli mei eritis, & cognoscetis ueritatem, & ueritas liberabit uos. Responderunt ei: Semen Abraham sumus, & nemini seruimus unquam. Quomodo tu dicis, liberi eritis? Respondit eis Iesus: Amen amen dico uobis, quia omnis qui facit peccatū, seruus est peccati. Seruus autē non manet in domo in æternum, filius manet in æternum. Si ergo uos filius liberauerit, uerē liberi eritis.

Ostendit quā miserum reddat hominem peccatum, & peruersum: contrā, quā felicem, benignum, & obsequentem iussis diuinis, gratia. Quia recesserant prius, qui credebantur discipuli esse, ideo nunc ad eos qui crediderunt, dicit: Si manseritis perseueranter perficiendo quæ iubeo, non fidei, discipuli mei estis. Ioan. 13. In hoc cognoscēt omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicē. Ioan. 15. In hoc clarificatus est pater meus, vt fructum plurimum afferatis, & efficiamini mei discipuli, Alioqui Luc. 6. Quid autem uocatis me, domine domine, & non facitis quæ dico? Duplicem ostendit fructū. Primus est ueritatis cognitio nunc per fidem, & post per fructus. Duplex quī speciem. 1. Corint. 13. Videmus nunc per speculum in æ-

in gmate, tunc autem facie ad faciem. Ioann. 14. Qui diligit me, diligetur à patre meo: & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum. Quanto conatu in cassum laborarunt philosophi vt veritatem agnoscerent? euauerunt enim in cogitationibus suis, dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt. Roma. 1. Ideo admonet Eccl. 1. Fili, concupiscens sapientiam, conserua iustitiam, & deus præbebit illam tibi. Secundus, libertatis consecutio, ad quam omnis creatura aspirat. Iudæi non intelligentes quòd Iesus sentiret de libertate doctrinæ euangelicæ, quæ non mutat statum fortunæ, corpus eximens à iure heri, sed animum liberat à vitiiis, à tyrannide diaboli, à iugo legis iuxta carnem obseruandæ, responderunt: Nos posteritas Abrahamæ sumus, ingenui & ex ingenuis prognati, nec vlli vnquam seruitutem seruiuimus. Quam igitur libertatem tu nobis promittis, quasi serui simus manumittèdi? Nusquam memores sunt operum suorum, quia reprehensibilia, sed patrū, perinde quasi magnū esset de sanctis prognatum esse, quum apud deum nobiles sint, qui vndecunquè prognati, sanctorum mores referunt. Proinde quum Iesus illos duobus nominibus taxasset, & quòd veritatis essent ignari, & quòd seruitutem seruirent, prius dissimulant, & ad id quod leuius ac minoris momenti, stomachantur. Si quidem ignorantia veri, mentis est vitium: seruum esse, fortunæ malum est, non animi. Nec pudet eos publici mendacij, serui erunt enim, quoties in seruitutem ducti Aegyptiis. Exodi tertio & sexto: Ego dominus qui educā vos de ergastulo Aegyptiorum, & eruam de seruitute. Sic Babyloniiis. 4. Re. vigesimoquint. Imò in propria terra diuersis seruiuerunt gentibus, vt patet in libro Iudicum, & 4. Reg. & pro tunc Romanis. vnde Ioannis 19. Non habemus regem nisi Cæsarem. Sed impudentissimi domini mendacij arguere conantur, nec pot sunt, mendaciis implicantur. Pius autem dominus cupiens ipsos verè reddere liberati, benignè instruit. Is, inquit, verè liber est & ingenuus, qui nulli turpitudini est obnoxius. Cæterum quisquis addictus est peccatis, seruus est peccati. Duplex hic insinuat seruitus. Corporalis, quæ est præter naturam. Est enim constitutio iuris gentium, qua quis domino alieno contra naturam

subiicitur. Serui inde dicti, quòd captiuos imperator vendi iuberet. Vnde serui quidem fiunt, qui ex captiuitate seruantur secundum leges, vel seipfos vendunt secundum legem Mosi Leuit. vigesimoquinto, aut qui ex ancillis generantur. Hæc seruitus, quo ad deum, in conscientia nihil adfert impedimenti. Ambrosius: In Christo bona seruitus, & bona libertas, æqua lance appenduntur. Colofsen. 3. Expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, & induentes nouum, eum qui renouatur in agnitionem dei, secundum imaginem eius qui creauit eum, vbi non est gentilis & Iudæus, circumcisio & præputium, barbarus & Schyta, seruus & liber, sed omnia & in omnibus Christus. 1. Corin. 7. Vnusquisque in vocatione qua vocatus est, in ea permaneat. Seruus vocatus es? non sit tibi curæ, sed & si potes fieri liber, magis vt. Qui enim in domino vocatus est seruus, liberus est domini. Similiter qui liber vocatus est, seruus est Christi. Quo ad homines tamen, semper ignobilis fuit & culpabilis. Vnde Noë filium suum seruitute subiecit, eò quòd verenda patris non obtexit. Genesis nono. Maledictus Chanaan, seruus seruorum erit fratribus suis. Hinc maluerunt plurimi morti succumbere, quàm in seruitutem redigi. 1. Reg. 4. Confortamini & estote viri Philistini, ne seruiatis Hebræis. Vnde in opprobrium sempiternum, seruus nollès vti libertate per legem concessa, sed manere in seruitute cum domino, aurem subula perforabatur, & erat seruus perpetuus, Exo. 21. De hac Iudæi hic loquebatur. Altera, Spiritualis, peccati. f. quam dominus hic notat, qua quis peccato subiicitur, à vitio vincitur, & secundum impetū prauæ inclinationis mouetur. Sic carnales, serui dicuntur corruptionis. 2. Petri. 2. A quo quis enim superatus est, eius & seruus est. Hæc est seruitus damnabilis, quia gratia hominem priuat. Roma. 6. An nescitis quoniam cui exhibetis vos seruos ad obediendum, seruis estis eius cui obedistis, siue peccati ad mortem, siue obediens ad iustitiam? August. Seruus peccati quocunquè fugit, secū trahit se, quocunquè fugerit. Nō fugit seipsam mala conscientia, non est quòd erat, sequitur sese, imo nō recedit à se, nec lumine gratiæ illustratur. Sapientiæ primo. In maleuolam animam non introibit sapiētia, nec habitabit in corpo-

*Seruitutis
spiritualis
mala que.*

re subdito peccatis. Spiritus enim sanctus disciplina effugiet fictū, & auferet se à cogitationibus quæ sunt sine intellectu, & corripietur à superueniente iniquitate. Ad malum inclinatur: Quisquis enim addictus est peccatis, is diaboli habet dominiū, & huius arbitrato ducitur, agiturq; Hic. 16. Seruieris diis qui nō dabunt vobis requiem die ac nocte. Prou. 5. Iniquitates suæ capiūt impiū, & funibus peccatorum suorum constringitur. Vnde Apost. 2. Tim. 2. Seruum domini non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes, docibilem, patientē, cum modestia corripientem eos qui resistunt veritati, nequando deus det illis penitentiam ad cognoscendam veritatem, & respirescant à diaboli laqueis, à quo captiui tenentur ad ipsius voluntatem. Tertiō, ab aeterna hereditate segregat. Seruus enim tametsi pro tempore quædam agit in domo, tamen quoniam seruus est, non hæres, non habet ius perpetuum, sed exigitur domo quā visum est domino. Domus dei, ecclesia est. 1. Timo. 3. In fine autē boni à malis separabuntur. Mat. 13. Exhibunt angeli & separabunt malos de medio iustorum, & mittent eos in caminum ignis. O misera & dura seruitus. Sed heu plus hæc seruitus placet quibusdam, quam iugum domini suauē, & onus leuē. Matth. 11. Tollite iugum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris. Iugum enim meum suauē est, & onus meū leuē. Vnde dominus cōqueritur Hic. 2. Scito & vide, quia malum & amarum est, reliquisse te dominum, & non esse timorem eius apud te, dicit dominus deus exercituum. A seculo cōstregisti iugum meū, rupisti vincula mea, & dixisti: Non seruiam. Ob hanc seruitutem lex data est. Gal. 3. Quid igitur lex? propter transgressionem posita est. Quæ in seruitutem generauit, Gala. 4. Hinc Hebre. 3. Et Moyses quidem fidelis erat in tota domo eius tanquam famulus, in testimonium eorum quæ dicenda erant. Christus verò tanquam filius in domo sua. Vnde spem nobis tribuit & fiduciam, qui peccatores sumus. Nam ipse filius dei naturalis, hæres est & dominus domus, perpetuum habens ius in domo: & ipse solūm verè liber est ab omni seruitute. 1. Pet. 2. Qui peccatum non fecit, nec inuetus est dolus in ore eius, verū etiam alios potest libertate donare.

Solutus

Solus inter mortuos liber, Psalm. 87. dicere potuit. Ioan. 14. Venit princeps mundi huius: & in me nō habet quicquam. Quos ergo filius liberat ab erroribus & peccatis, plenè liberi redduntur. Gal. 4. Itaque iam non est seruus, sed filius. Quod si filius, & hæres per deum. Sed quomodo? Apoc. 5. Redemisti nos deo nostro in sanguine tuo. 1. Pet. 1. Non enim corruptibilibus auro vel argento redempti estis de vana vestra conuersatione paternæ traditionis, sed precioso sanguine quasi agni immaculati Christi & incontaminati. Consistit igitur libertas euangelica in eo, ut quis per Christum à peccato sit alienus. Huius initium sit in baptismo, ubi inserimur Christo per fidem: perfectio verò, per charitatem, & opera bona. Ephes. 2. Ipsius enim sumus factura, creati in operibus bonis, quæ preparauit deus, ut in illis ambulemus. August. Nō dicat Christianus, liber sum, in libertatē vocatus sum, faciam quod volo, nemo me prohibeat à voluntate mea, si liber sum. 2. Cor. 3. Vbi spiritus domini, ibi libertas. Si ista voluntate peccatū facis, seruus es peccati. Noli ergo libertate abuti ad liberè peccandum, sed vttere ad non peccandum. Erit enim voluntas tua libera, si fuerit pia. 1. Petr. 2. Quasi liberi, & nō quasi velamen habentes malitiæ, libertatem, sed sicut serui dei. Gala. 5. Vos enim in libertatem vocati estis fratres. tantum, ne libertatem in occasionem detis carnis, sed per charitatem spiritus seruite inuicem. Ideo Rom. 6. Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis eius. Peccatum enim vobis non dominabitur. non enim estis sub lege, sed sub gratia. Roma. 7. Itaque fratres mortificati estis legi per Christi corpus, ut sitis alterius qui ex mortuis resurrexit, ut fructificeris deo. Cessauit enim lex quo ad crassas caremonias, & iudicialia. Gala. 3. Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum, quia scriptum est Deute. 21. Maledictus omnis qui pendet in ligno, ut in gentibus benedictio Abraham fieret in Christo Iesu, ut pollicitationem spiritus accipiamus per fidem. Plenam verò atque perfectam libertatem non prius adipiscemur, quàm in regnum illud æthereum, in quo satiabimur à gloria vultus domini, translati fuerimus. Vanitati enim subiecta est creatura non volens, sed

N

propter eum qui subiecit eam in spe, quia & ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis, in libertatem gloria filiorum dei, Rom. 8. Quicumque à seruitute peccati liber & alienus, qui spiritum adoptionis accepit, in quo clamat, abba pater, Rom. 8. manet in domo ecclesie in æternum: quia per fidem & charitatē, quibus nunc manet in ecclesia militanti, perueniet ad visionem & fruitionem, per quas manebit sine fine in ecclesia triumphanti. Psalm. 26. Vnam peti à domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo domini omnibus diebus vitæ meæ. Roma. 8. Quicumque spiritu dei aguntur, hi sunt filij dei. Non enim accepistis spiritum seruitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum dei, in quo clamamus, abba pater. Ipse enim spiritus reddit testimonium spiritui nostro, quod filij dei sumus. Si autem filij, & hæredes: hæredes quidē dei, coheredes autē Christi. Sed obseruandum, quod est seruus nō timore seruii, sed charitate seruientis, qui manet in domo, cui dicitur Matt. 25. Euge serue bone & fidelis, quia in modico fuisti fidelis, supra multa te constituam: intra in gaudium domini tui. Sunt & filij vocatione & nomine, non re. Matthæi octauo, Filij regni eiciuntur foras. Esaiæ primo, Filios enutriui & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me, Manifestum est dominum hic nō de humana loqui seruitute, quæ stare potest cum libertate euangelica. Nam verus euangelicus liberè præstat quod debet & non coactè, quemadmodum & apostolus admonet dominis seruendum, non vt hominibus ad oculos, sed vt deo, Col. 3. Vnde & dominus dicit, Mat. 22. Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari. Sic & Paulus Christianis, quos in libertatem per Christum ascitos dicit, vt dominis obediant, præcipit, Roma. decimo tertio. Ephes. 6. Serui, obedite dominis carnalibus cum timore & tremore, in simplicitate cordis vestri. Claret secundò, quod

**Ordinationes ecclesie, quæ licet carni molestant videantur, spiritum tamen iuuant, vt sunt orationes, vigiliae, ieiunia, & abstinentiæ. non sunt contra ecclesiasticam siue euangelicam libertatem, sed eam promouent. Vnde in primitiua ecclesia erant perseverantes in orationibus & ieiuniis, Actu. 2. & 13. At nostris temporibus vbi refringit charitas multorum, dedignamur colla submittere iu-*

stissimis legibus, quæ spiritum non priuant libertate sua, sed carnem magis domant ad obediendum spiritui. Non enim est hominis Christiani, perquirere quæ impetur, sed iustissimis ac salubribus iussis simpliciter obedire. Phil. 4. Quæcunque vera, quæcunque iusta, quæcunque sancta, quæcunque amabilia, quæcunque bonæ famæ, si qua virtus, si qua laus disciplinæ, hæc cogitate, hæc agite, & deus pacis erit vobiscum.

Scio quia filij Abraham estis, sed queritis me interficere, quia sermo meus non capit in vobis. Ego quod uidi apud patrem, loquor: & uos quæ uidistis apud patrem uestrum, facitis. Responderunt & dixerunt ei: Pater noster Abraham est. Dixit eis Iesus: Si filij Abraham estis, opera Abraham facite. Nunc autem queritis me interficere hominem, qui ueritatem uobis loquutus sum, quam audiui à deo. Hoc Abraham non fecit. Vos facitis opera patris uestri.

Scio qua semen Abraham estis secundum carnem, sed nō imitatione. Ille iustus, misericors, & hospitalis fuit: uos homicidæ immisericordes queritis innocentem interficere. Causam assignat, d. Quia sermo meus non operatur in uobis, corda uestra apprehendendo & conuertendo. Sicut hamus dum à pisce capitur, capit Abraham uerò ad præceptum terram suam exiit, Gen. 12. filium offerre uoluit, Gen. 22. Autoritatem sermonis sui vindicat ex patre, quem naturali cognitione uidit. Vos mala quæ diabolo suggerente concepistis, facitis: quasi dicat, Hæc minime faceretis, si meum sermonem serualetis, & filij Abraham essetis imitatione. Impudici nō habentes quid dignè respondeat, solū se de maiorum autoritate iactant. Quod dominus concludens, ait: Si uultis uideri uerè posteritas Abraham, ac sanctissimi patris nō degeneres filij, facis uos declarate filios illius. Ille contra spem in seipsum credidit, Rom. 4. Ge. 15. Credidit Abraham deo, & reputatū est illi ad iustitiam. Vos non solū non creditis, sed & uerba dei calumniimini. Ille nuncios dei hospitio recepit, uos uultis filium interficere. Genesis. 18. Nolite

igitur vobis arrogare patrem Abrahamā. Eius quisque filius est apud deum, cuius mores & facta refert. Abit enim ex plurimum parentum domi cōspectum, in mores filiorum. Vos opera vitiosa apud patrem visa facitis, mentiri, calumniari, occidere. Ecce quanta mala incurrunt contemnes verbum Christi, quia instinctum sequuntur diaboli, ad omne malum impellentis.

Dixerunt itaque ei: Nos ex fornicatione non sumus nati, unum patrem habemus deum. Dixit ergo eis Iesus: Si deus pater uester esset, diligeretis utique me: ego enim ex deo processi & ueni. Neque enim à meipso ueni, sed ille me misit. Quare loquelam meam non cognoscitis? Quia non potestis audire sermonem meum. Vos ex patre diabolo estis, & desideria patris uestri uultis facere. Ille homicida erat ab initio, & in ueritate non stetit, quia non est ueritas in eo. Cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur: quia mēdax est, & pater eius. Ego autem si ueritatem dico, quare non creditis mihi?

Quem, inquiunt, tu aliū patrem nobis assignas, qui patrem habemus Abrahamā? Nos ex idololatria nō sumus (qua anima à deo separatur. Ose. 4. Fornicati sunt, & nō cessauerunt, quoniam dominum dereliquerunt) prognati, licet nobis de hoc gloriari quod est omnium Iudaeorum commune, qui non solum sumus posterī Abrahamæ, uerum etiam filij sumus dei. Dominus à cognatione Abrahamæ eiecit eos: at ipsi sic arrogantes sunt, ut seipso etiam dei filios faciant. Audierant Ezech. 36. Filios primogenitus meus Israel. Deut. 23. Nūquid non ipse est pater tuus, qui fecit, possedit, & creauit te? Esa. 64. Et nunc domine pater noster es. Sed Esa. 1. Filios enutriui & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me. Malach. 1. Filii honorat patrem suum, & seruus dominum suum. si ergo pater ego sum, ubi est honor meus? & si dominus ego sum, ubi est timor meus? Hoc ergo responsum quoniam habebat impudentiam, (quid enim impudentius, quā se iactare filios dei, qui sibi talium scelerum erant conscij, qui que filium dei

captarent ad necē?) seuerius retrudit. Si deus, inquit, pater uobis esset, hoc est, si germani uerique essetis Israelitarum, me nimirum diligeretis uelut fratrem, & communi parente prognatum, ac patris mores exprimentem, ita ut germano filio dignum. Non enim sum aduersarius deo, à quo ueni, & ita uos illius estis inimici, me impugnantes. Si diligeretis deum, loquelam meam cognosceretis, quia uerba patris loquor. Ioannis decimoquarto: Verba quae ego loquor uobis, à meipso non loquor. Ioannis. 7. Nunquam sic loquutus est homo. Ideo non potestis audire intelligendo, quia mens uestra sanguinaria odio plena est. Mich. 3. Nunquid non uestrum est scire iudicium, qui odio habetis bonum, & diligitis malum? Ioannis 7. Me odit mundus, quia ego testimonium perhibeo de illo, quia opera eius mala sunt. Ecce causa odij, pro qua diligere debebant. Psalm. 108. Pro eo ut me diligerent, detrahebant mihi. Quod si cupitis audire nomen patris uestri, cuius ingenium & facta refertis, uos nec ex Abrahamā, nec ex deo prognati estis, sed ex diabolo: non per creationem uel generationem, sed imitationem malitiae. Ipse enim est rex super omnes filios superbi, Job. 41. Non dixit opera, sed desideria, ostendens mirè affectos homicidij mendacisque libidine, quae maximè propria mala sunt diaboli. q. d. Vos quidem ascribitis uobis patrem deum per arrogantiam, sed opera uestra testantur diabolum magis patrem uestrum germanum. Nam & ueritatem odistis, & innocentis mortem molimini. Ille princeps mendacij & homicidij fuit author, qui suo mendacio primos humani generis parentes pellexit in mortem. (Genesis. 3. Nequaquam moriemini: scit enim deus, quod in quocumque die comederitis ex eo, aperientur oculi uestri, & eritis sicut dii scientes bonum & malum. Romanorum. 5. Per unum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors: & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccauerunt.) non alia re prouocatus, quam inuidia felicitatis alienae. Sapien. 2. Inuidia diaboli mors introiuit in orbem terrarum, imitatur autem illum omnes qui sunt ex parte illius. Non enim in ueritate iustitiae & obedientiae stetit. Esaia. 14. Ascendam super altitudinem nubium, similis ero altissimo.

Quomodo cecidisti lucifer qui mane oriebaris? corruisti in terram, Iudæ. 1. Angelos verò qui non seruaerunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in iudicium magni dei vinculis æternis sub caligne reseruauit. Quicquid ille loquitur, mendacium loquitur, & ex se se loquitur: quia non solum mendax est, sed mendacij pater & princeps. A deo sortitus est esse, & intelligere, sed peccatum propria voluntate incepit, non aliunde inductus ad malum, sicut primi parentes, Gene. 3. Vnde. Esa. 14. Qui dicebas in corde tuo, in cælum conscendam, supra astra dei exaltabo solium meum. Diabolus ergo quãdo mendacio vitur, re propria vitur: nam ipsius est proles. 3. Reg. 22. Egressus spiritus stetit coram domino, & ait: Ego decipiam Achab. Cui loquutus est dominus: In quo? Et ille ait: Egrediar & ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum eius. Cui dominus: Decipies & præualebis. Quia enim Iudæi iniquè contra Christum cogitabant, & occidere disponebant, ac mendaciter infamabant, sibi cõsij erant quales essent, & cuius filij, nempe diaboli, qui ab initio peccat, iustitiæ ordinem pervertendo: & in veritate non stetit, nunquam cum sanctis angelis creatori subiectus sine peccato. Quia autem veritatem dico, vera docendo, & vitia arguendo, nihil aliud potestis in me arguere quàm solam veritatem: & hinc est vestra illa contra me rabies, quia filij patris mendacij estis, cui consentitis, pro pudor: Diaboli mentienti creditur, Christo vera dicenti non creditur.

Ioan. 8.
M

Quis ex vobis arguet me de peccato? Si veritatem dico, quare non creditis mihi? Qui ex deo est verba dei audit, propterea vos non auditis, quia ex deo non estis. Respondit ergo Iudæi, & dixerunt ei: Nõne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu: & dæmonium habes? Respondit Iesus: Ego dæmonium non habeo, sed honorifico patrem meum, & vos inhonorastis me: Ego autem non quero gloriam meam: est qui quarat & iudicet.

Ostendit in quantam malorum sentinam impugnatione agnita veritatis inducat, quod nec blandis, nec verissimis verbis refrenari possit, quin semper ad peiora, diabolo instigante, pergat peragenda. Quantumcunque dominus conaretur ad meliora reducere Iudæos, ipsi tamen semper peiores reddebatur: quare dominus hoc peruersa ipsorum ostendit, non sua culpa, contingere voluntate. Excludit à se tria, quæ doctrinam reddunt contemptibilem. Primum, vitæ peruersitas. Romano. 2. Qui alium doces, te ipsum non doces: qui prædicas non furandum, furaris. Mat. 5. Qui soluerit vnum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cælorum: Vnde ait, Quis ex vobis arguet me de peccato, rationabiliter conuincendo? Nam multa falso ipsi imponebant. Ioan. 7. Quidam dixerunt quia bonus est, alij, non, sed seducit turbam. Ioannis. 9. Nos scimus quia hic homo peccator est. Sed nemo hoc præter ipsum dicere potest. 1. Pet. secundo, Qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. Sed Esa. 53. Deus posuit in eo iniquitatem omniam nostrum. 2. Corint. 5. Eum qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur iustitia dei in ipso. Nam in multis offendimus omnes, Iac. 3. & Romanorũ. 3. Omnes peccauerunt & egent gloria dei. 1. Ioan. 1. Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est. Quare multi nos accusantes, nisi per penitentiam deleta & propria accusatione. Sic David dicens. Peccaui domino, audiuit, Dominus transtulit peccatum tuum à te. 1. Reg. duodecimo. Proverbio, 18. Iustus prior est accusator sui. Psalm. 31. Beati quorum remissa sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Alioqui arguet nos deus. Psalm. 49. Existimasti inique quòd ero tui similis? arguam te, & statuam contra faciem tuam. Malitia propria. Hier. secundo, Arguet te malitia tua, & auersio tua increpabit te. Quod ergo Iudæi agnoscere noluerunt, centurio professus est. Luc. vigesimotertio, Verè hic homo iustus erat, Gregorius: Pensate fratres mansuetudinem dei. relaxare peccata venerat, & dicebat, quis ex v. ar. Non dedignatur ex ratione ostendere se peccatorem non esse, qui ex virtute diuinitatis

Tria doctrinam obsequiã, quæ.

poterat peccatores iustificare. Secundum, doctrinę impuritas, si mixta mendaciis. Hinc Ioan. 18. In hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, vt testimonium perhibeam veritati. Quauis enim doctrina ipsius insolita fuerit & incomprehensibilis: tanta tamen & tam euidētissima argumenta veritatis patuerunt, quod nullo modo contemni debuit. vnde ait: Si in dictis meis vllum deprehenditis mendacium, si in factis vllum crimē, diffidite sermonibus meis. Ostēdit consequenter doctrinę suę authoritatem, & ipsorum peruersitatem. Quisquis, inquit, ex deo prognatus est, vt germanus filius, audit verba dei, patris mei: & illud arguit vos ex deo patre non esse prognatos, quia veritatem ab illo profectam audire non sustinetis. Augustinus: Noli attendere naturam, sed vitium. Sunt enim ex deo, & non sunt ex deo: natura ex deo, vitia non ex deo. Eis autem hoc dictum est, qui non solum peccato vitiosi (nam hoc commune omnibus erat sed qui præcogniti erant quod non fuerant credituri ea fide, qua à peccatis soluerentur. Omnes ergo ex deo, tanquam causa efficiētis, exemplari, & finali. Rom. 11. Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia. Omnia enim per ipsum facta sunt, Ioan. 1. Sed boni solum secundum esse gratiæ. Ioan. 1. Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex deo nati sunt. Iac. 1. Voluntariē enim nos genuit verbo veritatis, vt simus initium aliquod creaturę eius. Qui ergo diuina gratia illustratus, verba dei audit, ex deo se ostendit, verba dei, ait. Ioā. 7. Mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me. Hinc suis ait, Lucæ. 10. Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit: qui autem me spernit, spernit eum qui me misit. 1. Thessa. 3. Itaque qui hæc spernit, nō hominem spernit, sed deum, qui etiam dedit spiritum suum sanctum in nobis. Magnam ergo dominus timoratis conscientis in his verbis dedit consolationem, magnam omnibus malis instructionem. Nescit enim homo vtrum amore an odio dignus sit, Ecclesiast. 9. sed dominus consolatur, dicens: Qui ex deo est, verba dei audit, Sed sunt qui audientes, non audiunt neque intelligunt, Mat. 13. quod quibusdam obtingit ex animi malevolentia. Mar. 4. Vo-

bis datum est nosse mysterium regni dei: illis autem qui foris sunt, in parabolis omnia fiunt, vt videntes videant, & non videant: & audientes audiant, & non intelligant. Quibusdam ex simplicitatis innocentia. 1. Corint. tercio: Tanquam paruulis in Christo lac potum vobis dedi, non escam: non dum enim poteratis, sed nec nunc quidem potestis. Alij audiunt, intelligunt, sed non retinent, qui comparantur viro consideranti vultum natiuitatis suę in speculo, Iacob. 1. Psal. 30. Obluioni datus sum tanquam mortuus à corde. Eccl. 2. Qui timent dominum, non erūt incredibiles verbo illius: & qui diligunt illum, conseruabunt verbum illius. Alij audiunt, intelligunt, retinent, sed non faciunt. Sed dominus ait, Luc. 12. Seruus qui cognouit voluntatem domini sui, & non se præparauit, nec fecit secundum voluntatem eius, vapulabit multis. Rom. 2. Non enim auditores legis iusti sunt apud deum: sed factores legis iustificabuntur. Hinc Luc. 11. Beati qui audiunt verbum dei, & custodiunt illud. Rati nem assignat Psal. 118. In corde meo abscondi eloquia tua, vt non peccem tibi. Deute. 6. Erunt verba hæc quę præcipio tibi hodie, in corde tuo, & narrabis ea filiis tuis, & meditaberis sedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens atque confurgens, & ligabis ea quasi signum in manu tua, erūtque & mouebuntur ante oculos tuos. Non ergo sufficit aures corporis audire. (sic enim & ipsi Iudæi audierunt) sed intus fide & amore in deum affici debemus. Psal. 84. Audiam quid loquatur in me dominus deus, quoniam loquetur pacem in plebem suam. Libenter enim audimus ipsum quem diligimus, & de ipso. Quō contrā. 2. Timot. 4. A veritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur. Sic Iudæi domino mansuetē cum eis loquente, conuersi sunt ad conuicia: vt solet hominum malitia rationibus cōclusa, ad insana maledicta confugere. Nōne, inquit, benedicimus rectē de te pronunciantes, id quod tu nunc re declarans, comprobas nostram de te sententiam, quod Samaritanus sis. deo & hominibus bonus exsolus, quō Iudæus videri velis. ac deum patrem iactites, & dēmonium habes, cuius auxilio dicis & facis mira? q. d. Cur audes nobis & vitę sanctimoniam, & doctrinę veritatē obtru?

dere, quando in vtroque sis reprehensibilis? Addunt blasphemiam blasphemiae, maledictum maledicto, sicut ij qui castigantis verba non suscipiunt. Prouerb. nono: Argue sapientem, & diliget te. Qui erudit derisorem, iniuriam sibi facit: & qui arguit impium, sibi maculam generat. Sic semper solent inuertere omnia, quamlibet sancta, quam libet pia & vera, impij. Erant Samaritani, gentiles in Samaria positi per Salmanasar, captis iudaeis & translatis, cum legis Moisaica obseruatione idola colentes. 4. Reg. decimo septimo, duplici nomine iudaeis odiosum, tum quia terram ipsorum occupabant, tum, quia idola colebant. Vnde opprobriosum erat illud nomen, quemadmodum si modo quempiam male Christianum, iudaeum quis nominaret: & sic dominum notarunt de legis transgressione, quanquam falso contra veritatem virae. Dæmonium dicebant habere, ob doctrinae sublimitatem. Ioannis decimo. Dæmonium habet, & insanit. quid eum auditis? & dæmonum expulsionem: Marci tertio, & sic concludere volunt doctrinam ipsius non authenticam & sanam, quia diabolus mendax est, & pater eius. Ad tam insanam contumeliam quid respondit elementissimus Iesus? Ad Samaritani conuicium, quanquam vulgo magni probri loco haberetur, tamen quoniam nihil aliud erat quam impotentis animi ira pleni maledictum nihil respondit, docens nos, non magnopere desudandum, quod insaniam falsam aut caluniam multis purgemus testibus, ne videamur magis inanis gloriae cupidi, quam sacrae doctrinae defensores. Ad dæmoniaci vocabulum intectatum respondit, sed ita, vt regerat maledictum quod in illos merito possit retorqueri. Referebat autem hoc ad fructum euangelicum, vt intelligeret populus, Christum quicquid ageret, non autore dæmone, sed deo patre autore agere. Greg. Samaritanus custos dicitur, ipse autem veraciter custodit te, Psal. 126. Nisi dominus custodierit ciuitatem, frustra vigilat qui custodit eam. Vnde & ipse se Samaritanum, vulnera sauciati generis humani allegantem, ostendit, Luce decimo. Duo ergo ei obiecta erant, vnū tacitus consentit: alterum, quia opprobrium erat gloriae dei, diluit, sic tamen, vt non referat maledictum, cum verius in ipsos competeret. Nisi enim dæmonio impleti essent, tã-

peruersa de deo loqui non possent. Monemur ergo mansuetudinis, & modestiae, vt summa lenitate vtamur erga irritatos: si quo pacto furentes animos sedare possimus. Prouer. 15. Responso mollis frangit iram, sermo durus suscitatur rixas. Ego, inquit, dæmonium non habeo, cooperatorum & familiarum, sed honorifico patrem meum, cuius gloriam ille oppugnat. Non enim me iactō de patre deo, vt mihi ex mendacio gloriam conciliet: sed vt per me pater glorificetur apud omnes, & vos me iniuria & contumelia afficitis. Ego quidem non sum affectator meae gloriae, quemadmodum vos calumniimini. Ioannis quinto, Ego claritatem ab hominibus non accipio. Vnde quaesitus in regem, fugit, Ioannis sexto. Hieronymus: Qui non quaerit gloriam, non sentit contumeliam. Magnum ergo est de nullo gaudere, nisi per quod promouetur apud deum: & de nullo dolere, nisi per quod a deo abducitur. Hinc Ioannis 5. Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab inuicem accipitis: & gloriam, quae a solo deo est, non quaeritis? Ideo dominus ait Hier. 9. Non gloriatur sapiens in sapientia sua, nec fortis in fortitudine sua, nec diues in diuitiis suis: sed in hoc gloriatur qui gloriatur, scire & nosse me, quia ego dominus qui facio misericordiam & iudicium & iustitiam in terra, Nec sum vltor meae contumeliae, sed ob id non existimetis vobis impune fore, quod me probris afficitis. Est enim qui quaerit gloriam meam, & vlciscatur contumeliam, nisi respueritis. Sepe quis quaerit vlcisci, & nequit ipse iudicare, sed pater & potest & quaerit, quod non faceret, si quicquam commercij mihi esset cum dæmone. Deo relinquenda vindicta. Ro. 12. Mihi vindictam, & ego retribuam. Deut. 32. Mea est vltio, & ego retribuam eis in tempore.

Amen amen dico vobis, si quis sermonem meum seruauerit, mortem non videbit in aeternum. Dixerunt ergo iudaei, Nunc cognouimus, quia dæmonium habes. Abraham mortuus est, & propheta. & tu dicis, si quis sermonem meum seruauerit, mortem non gustabit in aeternum. Nunquid tu maiores patre nostro Abraham, qui mortuus est, & propheta mortui sunt, quem te ipsum facis?

Gregorius. Cùm malorum peruerſitas creſcit, dilectio non ſolùm frangi non debet, ſed aũgeri. vnde dominus quum dæmonium habere dictus eſt. prædicationis ſuę beneficia largius impendit. doctrinæ ſuę oſtendens veilitatē. Sola, inquit, credulitas via eſt ad immortalitatem: quare ſi quis corde ſermones meos ſeruauit, & opere, mortē non videbit. Adā quia non ſeruauit, periit, Gene. 3. Augu. Quū moriturus moriturus loqueretur, quid ſibi vult quod ait, qui ſer. & c. niſi quia videbat aliam mortem, de qua nos liberare venerat, mortem æternam, mortē damnationis cum diabolo & angelis eius, quæ eſt mors ſecūda? Apo. 1. 0. Cùm enim ſemen ſit verbū dei, Lu. 8. in corde ſeminatum & conſeruatum, præſeruatur à morte culpæ, & fructificat fructum permanentem in vitam æternam. Ecce. 8. Qui cuſtodit præceptū, non experietur quicquā mali. Apoc. 2. Qui vicerit, non lædetur à morte ſecunda. Tunc autem verē quis ſeruat ſermonem domini, quando puram habet vitam, ſobriē, iuſtē, & piē viuens in hoc ſeculo. Tit. 2. Quanquam moriatur naturaliter, attamen in deo viuit, quæ vera eſt vita: alioqui viuens mortuus eſt. Hoc tā manifeſto reſponſo quum placari debuerint, hoc tanto præmio quum inuitari debuerint ad credulitatem, tamen pro ſua craſſitudine, quod iuxta ſpiritum dictum erat de vita animæ, de vita corporum interpretantur: & quod dictum erat ad illos erudiendos, ſeditioſē deprauāt ad cōtumeliā patriarcharum, vndique ſtudentes aliquid inuidiæ conſtare domino Ieſu apud multitudinē. Sic mali beneficiis ſemper redduntur peiores. Nunc, inquit, certis argumentis & copioſis cognouimus, quum tam inſenſatē & manifeſtē falſum loquaris, quod dæmonio act. hæc dicas, qui hoc promittas ſeruauitibus tuum ſermonē, quod nec laudatiſſimis contigit patriarchis, quib. loquutus eſt ipſe deus, & prophetis, obtemperarunt illi verbis dei, & nihilo ſecius mortui ſunt omnes, & tu promittis immortalitatem iis qui ſeruauerint ea quæ doces? Chriſtus ſatis ſupérque hanc de dæmonis cōmercio ſubmouerat calumniam: eam tamē replicat, ne ſuccumbere videantur cui ſultam & mendacem addūt rationem, carnales nil præter carnē ſapientes. Nūquid Abraham o maior es, qui dei amicus appellatus eſt, Iac. 2. qui & mortuus

eſt, quum eſſet annorum centum ſeptuagintaquinque, Gene. 25. Et prophetæ mortui ſunt, nihil tale auſi promittere cuiquam. Quid tibi arrogas? Intolerabilis eſt præſumptio tua, qui fabri es filius, & Galilæa, nullius momēti, quaſi verba tua maioris ſint efficacia verbis dei. Anteponiſ te prophetis & Abrahamo, & quod dei polliceris, deum teipſum facis. Mira Iudæorū cæcitas, aut verius peruerſitas experimentaliter cognouerant, Ieſum in gratia prophetiæ, in altitudine ſcientiæ & ſapientiæ, in efficacia miraculorū & operum, omnes excedere & prophetas, & patriarchas. Vnde dixerunt, Mat. 9. Nunquam apparuit ſic in Iſrael. Hinc quærentibus, Ioan. 10. Si tu es Chriſtus, dic nobis palām, reſpondit: Opera quæ ego facio in nomine patris mei, hæc teſtimonium perhibent de me. Sed inuidia excæcati hæc conſiderare noluerunt, Matth. 15. Sinite eos, cæci ſunt, & duces cæcorum.

Reſpondit Ieſus: Si glorifico meipſum, gloria mea nihil eſt. Eſt pater meus qui glorificat me, quem uos dicitis quia deus ueſter eſt, & non cognouiſtis eum. Ego autem noui eum, & ſi dixero quia nō ſcio eum, ero ſimilis uobis, mendax. Sed ſcio eum, & ſermonem eius ſeruo. Abraham pater ueſter, exultauit ut uideret diem meū, uidiſt, & gauiſus eſt. Dixerunt ergo Iudæi ad eum: Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham uidiſti? Dixit eis Ieſus, Amen amen dico uobis, antequam Abraham fieret, ego ſum. Tulerunt ergo lapides ut iacerent in eum. Ieſus autem abſcondit ſe, & exiuit de templo.

Non reſpondit ad hoc, quòd dicebant ipſum dæmonium habere, eò quòd uidit eos ad contumeliā paratos, & ſatis id iam exploſerat: nec ad id quòd ſermo ſuus liberaret à morte, quum ratio ipſorum nō eſſet ad propoſitum, quia ipſe de morte animæ dixerat, non carnis: ſed duplci quæſtioni, ſcilicet: *Quem teipſum facis?* & an maior eſſet Abrahamo? Ego, inquit, nihil mihi arrogo falſo, quemadmodū mihi imponitis mēdaciter. Etenim ſi morte hominum captarē gloriā meam apud homines, mem-

dax & inanis esset gloria mea. Hi autē glorificāt seipfos; qui suam querūt gloriam, & omnia opera sua faciunt vt honorificentur, Matt. 23. Et si gloriam affectarem, nō esset opus illam apud hominēs venari. est enim pater vnde proficiscitur omnis gloria, qui me glorificat. Et si vultis scire quis sit ille pater meus, is ipse est, quem vos iactatis vobis quoque deum esse. & patrem. Glorificānt enim ipsum semper, atque id per prophetias, & per testimonia de cœlis, Mat. 3. & 17. Hic est filius meus dilectus, in quo mihi cōplacui, & per innumera miracula & immēsa. Ioan. 12. Et clarificauit, & iterū clarificabo. Ioan. 1. Vidimus gloriam eius, gloriā quasi vnigeniti à patre. Sed neque vt patrem meum, ipsum agnoscitis, neque vt deū vestrum. Nā si vt patrem illum agnosceretis, honore vtique filiam eius prosequeremini, si vt Deum vestrum, timeretis sermonē eius vt dei, nec meditaremini mortē meam, idque quum non possitis me arguere de peccato. Non ergo cognouerunt secundum propriam patris rationē. Matt. 11. Nemo nouit patrē nisi filius, & cui voluerit filius reuelare. Io. 17. Pater, manifestasti nomen tuum hominibus; quos dedisti mihi de mundo. Nec cognouerunt cognitione formata, sed informi. E. sa. 1. Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe domini sui: Israel autem me nō cognouit. O quot sunt qui cōfiteantur se nosse deū, factis autē negāt. Tit. 1. Hinc. 1. Ioan. 2. Qui dicit se nosse deum, & mādāta eius non custodit, mendax est, & in hoc veritas non est. & 1. Ioan. 6. In hoc cognoscimus quoniam diligimus natos deī, cūm deum diligamus, & mandata eius faciamus. Vnde Ro. 1. de mūdi sapientibus ait Apostolus: Qui cūm cognouissent deum, non sicut deum glorificauerunt, aut gratias egerunt, sed euauerunt in cogitationibus suis; & obscuratum est inspiens cor eorū: dicētes enim se esse sapientes, stulti facti sunt. videat sibi quisque, an verē deum cognoscat: alioqui ignorans ignorabitur. 1. Co. 14. Ego verō scio eum, qui verē filius illius sum, naturaliter omnē notitiam eius habēs: quod non falsō mihi arrogo, sed quod verum est loquor. Chrysostrōmus: Sicut vos dicētes eum scire, mentimini: ita ego si dixerō me eū nescire, ero mēdax. quod est impossibile. Qualis enim sum ego, talis & pater: & mandata eius seruo. Neque enim ad-

uersarius sum illi, arroganter loquēdo, & mandata eius soluendo, quasi dicat. Sicut operibus ostendo me cognoscere patrem, ita vos peruersis calumniis ostenditis ignorare. vbi que ostendit se gloriam patris querere, & illi obedire, quorum neutrum ipsi fecerūt. Consequenter docet se maiorem Abrahamo. Abrahā, inquit, pater vester carne, non fide, quem vos miramini potius quā imitari nī, quantū quantum sit, exultauit, sibi que felix futurus est visus, si contigisset videre diem meum. At vidit quo operatur: & magno opere gauisus est vir tantus sibi contigisse diem meum, quem vos aspernamini, Diem desiderabilem & lætitiæ plenum, diem generationis aeternæ. Psal. 2. Ego hodie genui te. Hæc dies nec initium nec finem habet. Hunc vidit secundum Greg. cū in figura summæ trinitatis tres angelos hospitio recepit, quibus profectō hospitio receptis, sic tribus quasi vni loquutus est, quia et si in personis numerus trinitatis est, tamen in natura vnitas est diuinitatis. Vel natiuitatis temporalis. Luca. 2. Natus est vobis hodie saluator. Hunc vidit quum repromitteret ei de semine suo nasciturum, vt dicit August. Gen. 22. Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ. Hoc fide arripiens, gauisus est. eo se cōsecuturum salutem. Vel secundum Chrysostrō. diem passionis, quam præfigurabat in oblatione Isāac & arietis sacrificio, Gen. 22. Hunc videns gauisus est. quod esset in salutem humani generis. Adde nuncium Simeonis in limbum, natum saluatorem denunciantis, & gaudium quod ex ipso conceperat, adhuc spirātis, Lu. 2. Ostēdit itaque illos alienos ad Abrahā: quia de quo ille gaudebat, isti in saniebant. Hoc mysteriū nondum intelligentes Iudæi, rursus iuxta carnalem sensum calumniantur, nihil aliud suspicantes Iesum esse quā hominem, nec ante fuisse quā ē Maria nasceret. Semel lapsi in errorem, lumen veritatis aspicere non poterunt. vnde & verba ipsius inuertunt. Non enim dixerat dominus se Abraham vidisse, sed Abrahā diem suū: & hoc in mysterio, non corpore & carnaliter, quemadmodum ipsi calūniabantur. Tandem dominus veluti prouocatum eorum conuictis, subaperit diuinæ naturæ scintillam: iuxta quam non nouit tempus neque secula, sed semper idē fuit ante omnia secula, quemadmodū deus pater nesciēs

*Abraham
quando Vi
derit Chri-
sti diem.*

tempus, semper est quod est. Eo itaque modo se eis manifestat, sicut quondam Moyſi, Exodi. 3. Ego sum qui sum. vt intelligerent ex hoc deum & dei filium, suum liberatorem & saluatorem, qui & tunc per Moyſen saluarat, & quomodo ante Abraham fuisset. Augustin. Loquens de Abraham existens, ipsam per fieri significat, quia soli creaturæ competit fieri: deo verò non competit fieri, sed esse tantum, vnde suam existentiam per verbum præsens signat. Omnis enim res certis temporum spatiis circumscribitur, quandoquidem vicissitudini subiacet, & obnoxia est vanitati, Roman. 8. Ecclesiastes. 3. Omnia tempus habent, & suis spatiis tranſeunt vniverſa sub cælo. Deus sub æternitatis nomine vivit, apud quæ nulla transmutatio, Iaco. 1. Hebræo. 13. Christus Iesus heri & hodie, ipse & in secula. Ad hanc vocem veluti palam blasphemam, quod homo mortalis sibi videretur æternitatem soli deo competentem arrogare, non amplius tēperarunt manibus, sed suam produnt insaniam, quod non amore iustitiæ, sed luore invidiæ agebantur. Requirebatur enim in lapidatione blasphemi debitus processus, per accusationem coram iudice, per depositionem testium, & iudicium sententiam, & tunc sequebatur executio, Leuiti. vigesimo quarto. Ipsi verò omnibus posthabitis, & loco sacro, quod non licuit, vt patet in Ioia da, qui fecit Athaliam extra templi septa occidi. 4. Reg. 11. Dominus autem se deum professus, vt hominem quoq; demonstraret, cessit illorum furori, non quod illorum violentiam metueret, quæ illi in manu erat cohibere, sed nos interim docens, vbi tempus postulat, grauitè agendum & fortiter euangelij negocium, rursus quum nostro sumus sancti officio, non esse sine fructu prouocandam malorum insaniam. Gregorius, Quid ex hoc Christus nobis loquitur, nisi etiã cum resistere possumus, iram superbientium declinemus? Nam si diuinitatis suæ potentiam exercere voluisset, tacito nutu mentis eos in suis iactibus ligaret, aut in pœnas subitæ mortis intruderet. Sed qui pati venerat, exercere iudicium nolebat. Nemo ergo contra acceptas iniurias se erigat, nemo conuiciis conuicium retribuatur, quia imitatione dei gloriosius est iniuriã tacendo declinare, quàm respondendo superare. Romano, duodecimo: Nulli malũ

pro

pro malo reddentes. Noli vinci à malo, sed vince in bono malum. Quum enim blandiloquentia & modestiori responsione efferuescentes in nos animos mitigare nõ possumus, multo consultius est ab iratis discedere, vt vel hac ratione æstuantis vel ebullientis animi paulatim indignatio resideat. Prouerbio, decimosexto, Melior est patiens viro forti, & qui dominatur animo suo; expugnatore virbiũ. Prou. decimonono, Doctrina viri per patientiam noscitur, & gloria eius est iniqua prætergredi. Tantò ergo minus quisque est doctus, quantò minus inuenitur patiens. Nouerat enim dominus Iesus, non dicam crassam multitudini, sed nec discipuli persuaderi potuisse, si se palam prædicasset deum & hominem, atque eundem simul & mortalem esse iuxta corpus humanum, & immortalem iuxta naturam diuinam: iuxta carnem, in tempore natum hominem de homine: iuxta diuinam virtutẽ, ante omnia tempora fuisse deum ex deo. Hoc enim tam arcanum mysterium magis erat miraculis, morte, resurrectione, in cælum ascensione, sancti spiritus afflatu, suo tempore persuadendum mundo, quàm ante tempus a pertis verbis non credituris, ingerendum. Abscondit ergo se, sua potestate inuisibilem se reddens insidiatoribus, sed non discipulis qui eum sequebatur, quanuis per medium illorum ibat. Sic Lucæ quarto, quum de monte præcipitare vellent, transiens per medium illorum ibat. Gregor. Quid autem abscondendo se signat, nisi quod eis ipsa veritas absconditur, qui eius sequi verba contemnunt? Eam quippe quàm non inuenit humilem, veritas fugit mentem. Et quàm multi hodie sunt qui Iudæorum duritiam detestantur, quia prædicationem domini audire noluerunt: & tamen quales illos arguunt fuisse ad fidem, tales ipsi sunt ad operationem. Præcepta dei audiunt, miracula cognoscunt, sed conuerti à suis prauitatibus contemnunt. Ecce vocat, & contemnimus: sustinet, & eius patientiam dissimulamus. Dum ergo tempus est, vnusquisque prauitatem suam deserat, dei patientiam perimescat, ne quem nunc tranquillum despicit, iratum postmodum nequaquam euadere possit.

Q

PARS SECUNDA.
DE CAECO NATO,
ARTICVLVS XVII.

Ioan. 9.
N

ET prateriens Iesus, uidit hominem caecum à natiuitate, & interrogauerunt discipuli eius: Rabbi, quis peccauit, hic aut parentes eius, ut caecus nasceretur? Respondit Iesus: Neque hic peccauit, neque parentes eius, sed ut manifestentur opera dei in illo. Me oportet operari opera eius qui misit me, donec dies est, uenit nox quando nemo potest operari. Quamdiu sum in mundo, lux sum mundi. Hoc quum dixisset, exspuit in terram, & fecit lutum ex sputo, & liniuit lutum super oculos eius, & dixit ei: Vade, laua in natatoria Siloë, quod interpretatur missus. Abiit ergo, & lauit, & uenit uidens.

Ostendit factio quantum malum sit mentis caecitas, quæ nõ nisi diuina gratia opitulante tolli potest, unde ut hæc tolleretur, in mundum ipse uenit. Esa. 49. Dedi te in luccm gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ. Sed heu, Ioannis tertio, Lux uenit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quam lucem. Hinc Ephe. 4. Hoc igitur dico & testificor in domino, ut iam non ambuletis, sicut & gentes ambulant, in uanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati à uia dei per ignorantiam quæ est in illis, propter cæcitatem cordis ipsorum: qui desperantes, semetipsos tradiderunt impudicitia, in operationem impudicitia omnis, in auaritia. Vbi tria uicia notat singularia, quæ hominem excæcant, & quibus cæcatus inuoluitur, de quibus. 1. Ioan. 2. Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia uita: quæ non ex patre, sed ex mundo est. 1. Ioan. 5. Totus mundus in maligno positus est. Qui autem in his perseverant tenebris, tadem ad æternas peruenient. 1. Ioan. secundo, Qui odit fratrem suum, in tenebris est, & in tenebris ambulat, & nescit quò eat, quia tenebræ obcæcauerunt oculos eius.

Quæ tria
uicia homi-
nem ex cæ-
cent.

ARTICVLVS XVII. 106

Si illuminari uolumus, attendere debemus quemadmodum iste cæcus ad lumen gradatim rediit naturæ, & gratiæ. Primum dominus ipsum respexit. Cessit siquidem dominus illorum furori ad tempus, quod adhuc uidebat insanabiles: & miraculo declarat se maiorem Abraham & omnibus prophetis, ac diuinam potentiam suam, quam oratione non potuit persuadere. Dedita autem opera uidit cæcum à natiuitate, medicis quidem insanabile malum, non etiam Christo, oculo pietatis & clementiæ. Sunt qui ad uana & turpia oculos desectunt, pauperes deditantur & horrent ac refugiunt: non sic piissimus Iesus. Psalmi decii. Oculi eius in pauperem respiciunt. Felix quæ oculis benignitatis suæ respicit. Psalm. centesimo decimo octo. Aspice in me, & miserere mei. Discipuli ergo uidentes eum tam intentè spectantem cæcum, suspicantes omne corporis uitium ex animi uitio nasci, quemadmodum & amici Iob, maximè quia meminérant dominum paralytico dixisse, Ioan. quinto: Vade, noli posthæc peccare, ne quid accidat tibi grauioris mali, causam cæcitatæ interrogant. Quibus dominus respondit, nec hic suo peccato commeruit ut cæcus nasceretur, qui peccare non potuit, cum nondum esset, nec parentes eius. Non enim punit deus liberos ob delicta parentum, quemadmodum docet lex Deuter. vigesimo quarto, nisi filij parentum æmulentur uitia. Obserua duplex peccatum. Naturalis propagationis. Roman. tertio: Omnes peccauerunt & egent gloria dei. Causam indicat, Roma. quinto: Per unum hominem in hunc mundum intrauit peccatum, & per peccatum mors: & ita mors in omnes homines pertrahit, in quo omnes peccauerunt. Ephe. 2. Erasmus natura filij iræ, sicut & ceteri. Nemo ergo liber ab hoc, nisi Christus natura, qui & matrem gratia præseruauit. Aliud actualis transgressionis, ex infecta radice pullulans. Iac. 1. Unusquisque tæatur, à cõcupiscentia sua abstractus, & illectus: deinde concupiscentia cum conceperit, parit peccatum: peccatum uero cum cõsummatum fuerit, generat mortem. Sic est & duplex poena. Tëporalis, ut calamitates quælibet quæ finem habent, quibus boni cum malis sæpe affliguntur, Iob. 14. Homo natus de muliere, breui uiuens tempore, repletur multis miseriis. Omne flagellum ordinatur uel uilitatem fla-

Peccatum
quod duplex.

Pœna du-
plex.

*Ad quæ
flagellum
omne or-
dinetur.*

gellati, vel ad promotionem in bono. Sic Tob. 12. Quia acceptus eras deo, necesse fuit vt tentatio probaret te. Tob. 1. Hanc tentationem (cæcitat) ideo permisit dominus peruenire illi, vt posteris daretur exemplum patientiæ, sicut & sancti Tob. Iudith. 8. Omnes qui placuerunt deo, per multas tribulationes transferunt fideles. vel ad conseruationem in bono. 1. Corint. 11. Ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ angelus satana, qui me colaphizet vel reductionem ad bonum. Sic Maria percussa lepra; Num. 12. Sic & Ozias rex, 2. Par. 26. Patienter ergo toleranda. Tob primo: Dominus dedit, dominus abstulit, sicut domino placuit, ita factum est, sit nomen domini benedictum. Tob. secundo: Nā quum ab infantia sua semper deum timuerit, & mandata eius custodierit, non est cōtristatus contra deum, q̄ plaga cæcitat) euenerit ei: sed immobilis in dei timore per mansit, agēs gratias deo omnibus diebus vitæ suæ. Heb. duodecimo. Quem enim diligit dominus, castigat. Flagellat autem omnem filium quem recipit. In disciplina perseuerate, tanquam filiis vobis offert se deus. Quis enim filius quem non corripit pater? Quod si extra disciplinam estis, cuius participes facti sunt omnes, ergo adulteri & non filij estis. Secundo ordinatur ad gloriam flagellātis, & hoc vel vt manifestetur clementia in miserendo, vt hic & in Lazaro. Ioan. 11. Infirmas hæc non est ad mortem, sed pro gloria dei, vt glorificetur filius dei per eā. Signat autem hic, vt, euentū, non causam, quemadmodum Psal. 50. Vt vincas cū iudicaris: & Romano. 1. Vt sint inexcusabiles. Non enim dedit Deus gētibus scientiam vt peccarent, neque Dauid ob hoc peccauit, vt deus iustus appareret, sic & hic. In hoc enim quod cæcus illuminatus est, deus est glorificatus. Non ergo fuit prohibita cæcitas eius: vt per eā declararetur hominibus potentia, bonitasque dei, cui cæci Iudæi tam pertinaciter reclamabant, vel potentia in puniendo, quo ad obstinatos. Sic superbus Antiochus vermibus consumptus expirauit. 2. Mach. 9. Similiter Herodes, Act. 12. Altera pœna est eternalis, quam quisque pro suo merito portabit. Ezech. 28. Anima quæ peccauerit, ipsa morietur. Filius non portabit iniquitatem patris, & pater non portabit iniquita-

tem filij. Iustitia iusti super eum erit, & impietas impij erit super eum: Temporal) pœne tamen non nunquam filij ob peccatum parentum puniuntur. Vnde lepra de domo Giezi non defecit propter Simoniacam avaritiam Giezi. 4. Reg. 5. Sic tulit pœnam patris Chanaam. Gene. 9. Sic populus Israel percussus fuit pestilentia: ob superbiam Dauid in numerando populo. 2. Reg. 24. Sic filij Israel stare non poterant coram hostibus ob peccatū Achā, donec esset extinctus. Iosue. 7. Huiusmodi tamē pœnæ bonis cedunt in coronam: iis verō qui imitatores sunt paternorum scelerum, in contumeliam, nisi resipiscant, & tunc sunt in purgationem. Semper enim mali bonis mixti sunt: vnde. 4. Regū. vigesimoquarto dicitur: Et addidit furor domini irasci contra Israel, quod claret peccatum Dauid nō singularem causam fuisse illius plagæ, sed & populi. Miraculum facturum, doctrinam imparrit quæ mentis oculi illuminātur, cuius illud typus fuit. Ne oportet operari opera illa ipsa, quæ is qui misit me, facit, quādiu præsens vita agitur. Chrysost. Dum licet hominibus credere in me, dum hæc vita durat, laborandū est. Venit nox, futurum tempus, quando non est amplius fides, neque labores, neque pœnitentia. Tunc enim velint, nolint, omnes acquiescent veritati. In inferno verō quis constitebitur tibi? Nam vbi lumen deest, cessat & confessio. Matthæi vigesimoquinto, Ligatis manibus & pedibus eius, proiicite eum in tenebras exteriores. Interim igitur dum præsens dies operandi præbet facultatē quæ ad salutem pertinent, non est cessandum: ventura est enim nox, quum iam frustra velint operari, nec possint. Galat. sexto: Ergo dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes. Romano. 13. Nox præcessit, dies autē ap propinquauit: abiiciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis, sicut in die honestē ambulemus. Quādiu sum in mundo, lux sum mundi. Si homines properāt vt opus quod ob huius vitæ vsum aliquem obeunt, absoluant ante solis occasum, quantō magis adniten dum est omnibus, vt dum lucem præsentem habent, peragant æternæ salutis negocium, cuius gratia fit à me quicquid interim operor in hoc mundo? Ad hæc olim venturum horribile iudicium, quum iam impij frustra cupient ope-

rari salutis suae negocium, nec licebit. Non enim illa non patitur, quum diem in quo licebit, neglexerint. Carerunt semel extincto corpore, iam ille dies suus occidit, nec amplius potest operari. sed superiorum operum merces est expectanda. Prouerb. vndecimo, Mortuo homine impio, nulla erit vitra spes. Apocalyp. decimoquarto, Beati qui in domino moriuntur, amodo enim iam dicit spiritus ut requiescant a laboribus suis; opera enim illorum sequuntur illos. Meminisse debemus diuitis epulonis, qui audiuit, Luca. 16. Fili, recordare quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala: nunc autem hic consolatur, tu verò cruciaris. Hinc admonet Ecclesiasti. 14. Ante obitum tuum operare iustitiam; quoniam non est apud inferos inuenire cibum. Hæc tam obscure locutus dominus Iesus, rardos ad credendum homines metu futuri extimulauit. Secundo, discipulis iam miraculum expectantibus, expuit in terram. Chrysostomus: Voluit se ostendere creatorem, qui in principio vsus est luto in hominis formatione, Gene. 1. Sed interim huius malagmatis nouitas, omnium animos attetos ac suspensos reddidit ad miraculi futuri considerationem, Tertio, quò obedientia & fides cæci probaretur, iubet ire ad Siloam & lauare. Ille certa iam fiducia concepta, nihil obmurmurat illinienti, sed simpliciter obtèperat facienti quod uellet, nihil addubitans de beneficio, quocumque modo daretur, Siloa fons est ad radices montis Sion, qui nõ iugibus aquis, sed incertis horis ebullit per concaua terrarum, signans baptismum, in quem iussu Christi descendimus, quum oculos nostros luto linir, factò ex sputo & terra. Salua diuinitatem signat. Eccle. 24. Ego ex ore altissimi prodij, primogenita ante omnem creaturam. Terra humanitatem signat. Gene. 3. Donec reuertaris in terram de qua sumptus es, quia puluis es, & in puluerem reuerteris. Roma. 6. An ignoratis fratres, quia quicumque baptizati sumus, in morte ipsius baptizati sumus? Deus eiusmodi elementis ceu organis diuinæ gratiæ vitur in nostrum commodum, quæquam nulla necessitate reru coactus id agat, sed pro mera sua liberalitate. Voluntariè enim nos genuit verbo veritatis, ut simus initium aliquod creaturæ eius Iac. pri. Sic Helisæus iussit Naaman

Silos quid sit & signet. Salua.

Terra.

Syrum septies in Iordane lauare. 4. Reg. 5. Potuit Christus sine vllis externis caeremoniis visum reddere, sed noluit: ut discas, etsi aqua exterior & caeremonia non efficiant caeremoniarum pietatem, nõ vult tamen hæc à nobis intermitteri. Sic Moy ses lignum quod dominus ostenderat, in aquam misit amarissimam, & in dulcedinem versa est, Exo. 15. Helisæus sal misit in aquam, d. Hæc dicit dominus: Sanaui aquas has, & non erit in eis mors neque sterilitas, 4. Reg. 2. Sic in ecclesia sacerdotes benedicunt & aquam. 1. Timot. 4. Omnis creatura dei bona est, sanctificatur enim per verbum dei & orationem. Nume. sexto: Inuocabunt nomen meum super filios Israel, & ego benedicam eis. Obediendo ergo Christo illuminatus est. Ephe. 5. Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus.

Itaque vicini, & qui uiderant eum prius, quia mendicus erat, dicebant: Nonne hic est, qui sedebat & mendicabat? Alij dicebant, quia hic est: alij autem, nequamquam, sed similis est eius. Ille uerò dicebat, quia ego sum. Dicebant ergo ei: Quomodo aperti sunt tibi oculi? Respondit: Ille homo qui dicitur Iesus, lutum fecit, & unxit oculos meos, & dixit mihi: uade ad natatoriam Siloæ, & laua. Et abiit, & lauit, & uideo. Et dixerunt ei: Vbi est ille? Ait: Nescio. Adducunt eum ad phariseos qui cæcus fuerat. Erat autem sabbatum quando lutum fecit Iesus, & aperuit oculos eius. Iterum ergo interrogabant eum pharisei quomodo uiddisset. Ille autem dixit eis: Lutum mihi posuit super oculos, & laui, & uideo. Dicebant ergo ex phariseis quidam: Non est hic homo à deo qui sabbatum non custodit. Alij autem dicebant: Quomodo potest homo peccator hæc signa fare? Et schisma erat inter eos.

Paulatim increbescere cœpit miraculum. Non enim abscondi potest ciuitas super montem posita. Matthæi. 5. Dissidentibus vicinis, quia ex illuminatione facies ip-

sius notabiliter fuit immutata, cæcus neque priorē erubescens cæcitatem, neque populum timens ingenuè confitetur. Imò, inquit, sum idē mendicus, & cæcus à natiuitate, quē in hoc loco sæpe vidistis, vt vox quoque agnita, fidē faceret miraculo. Mira domini misericordia, quę nullum quantumcunq; solatio destitutum humano, dereliquit, sed piē subuenit. Certificatos de facto, certiores reddidit, & de modo: sed illi quærentes occasionem calumniæ di dominum Iesum, quod temperato lato & oculis munitis, non nihil operis fecisset in sabbato, rogant vbinam esset ille qui hoc fecisset. Quoniam dominus sanans & miraculum faciens conlucuerat, eò quod esset alienus ab ostentatione, secedere. interrogatus cæcus dixit: Nescio. Nō enī nouerat Iesum nisi de nomine, de facie non nouerat. Ducunt ad pharisæos, quod diligentius & exactius examinetur, vt apud hos re simpliciter narrata, proderet Iesum quod violasset sabbatum, Vnde non interrogant illum quo modo viderit, sed quomodo aperuerit oculos eius, per omnia calumniates dominum quod in sabbato operatus fuerit: ille verò nihil metuens, simpliciter vt res erat, narravit. Chrysostomus, Tu cæci constantiam intueri, quod enim primum interrogatus dixerit veritatem, minimè mirum est: nunc verò admirandum, quod neque negat, neque prioribus verbis contradicit. Adduci fecerunt eum pharisæi tanquam negaturum, sed contrarium euenit. Huiusmodi enim est natura veritatis, vt vnde magis oppugnatur, inde magis elucescat & confirmetur. Sic solet dei voluntas astutus hominum conatibus, & peruersis consiliis suum negotium promouere. Hinc Ioseph fratribus qui se vendiderant, ait Gen. 50. Num dei possumus resistere voluntati? Vos cogitastis de me malum, sed deus illud vertit in bonū. Decretum patris erat, per crucē perque miracula glorificare Christum, quod non potuerunt pharisæi odio, inuidia, non homicidio, impedire. Nō est, inquit, hic Iesus à deo, tamen patrem deū habeat in ore. Nam si deum haberet authorem, nō violaret huiusmodi factis sabbatum, quod deus iussit obseruari. Ecce vnde offenditur peruerse increduli: quoniam factum tam manifestum inficiari non poterant, neque tam beneficium damnare, ex dici religione mutuuntur calumniam.

Inuidia enim & incredulitas leuissimis rebus offenduntur, scandalum sibi fingunt vbi nullum est, omnemque lapidem tales mouent, quod facta præclara præborum obfuscant, vel certè aliò detorqueant. Rursus alij sanabiliores: si, inquit, hic non esset deo gratus, & ob violatum sabbatum nefarius esset, quomodo posset hæc edere miracula? Res ipsa loquitur præsidio dei hæc fieri, quum in gloriam sint dei. Vides multos à signis mulceri. Nam & hi pharisæi & principes erant, attamen à signo placantur, & defensionem suscipiunt. vide autem malitiam: non dicunt, qui in sabbato sanant, sed qui sabbatum non seruat, sursum deorsumque non dei beneficium, sed diei violationem procurantes. Solet schisma irrepere inter pseudoctores, quod certissimum erroris indicium, vt dicit Tertullianus. Hæc saluberrima est, qua nostra fides roboratur. Philip. 3. Videte canes, videte concisionem. *Canes.* Canes sunt, qui non tam ecclesiæ vnitatem, quam seiplos consecundunt & lacerant. Optimum est ab huiusmodi dissentire. Mar. 10. Non veni pacem mittere, sed gladium.

Dicunt ergo cæco iterum: Tu quid dicis de illo, ³ qui aperuit oculos tuos? Ille autem dixit: quia propheta est. Non crediderunt ergo de illo Iudæi, quod cæcus fuisset & vidisset, donec uocauerunt parentes eius qui uiderat: & interrogauerunt eos, dicentes: Hic est filius uester quem uos dicitis quia cæcus natus est? Quomodo ergo nunc uidet? Responderunt eis parentes eius, & dixerunt: Scimus quia hic est filius noster, & quia cæcus natus est. Quomodo autem nunc uideat, nescimus: aut quis aperuerit oculos eius, nos nescimus. Ipsum interrogate: etatem habet, ipse de se loquatur: Hæc dixerunt parentes eius, quoniam timebant Iudæos. Iam enim cōspirauerant Iudæi, ut si quis cōfiteretur ipsum esse Christum, extra synagogam fieret. Propterea parentes eius dixerunt, quia etatē habet, ipsum interrogate. Vocauerunt ergo rursus hominem qui fuerat cæcus,

et dixerunt ei. Da gloriam deo. Nos scimus quia hic homo peccator est. Dixit ergo eis ille. Si peccator est, nescio. unum scio, quia cæcus cum essem, modo uideo. Dixerunt ergo illi: Quid fecit tibi? quomodo aperuit tibi oculos? Respondit eis: Dixi uobis iam et audistis, quid iterum uultis audire? Nunquid et uos multis discipuli eius fieri? Maledixerunt ergo ei, et dixerunt: Tu discipulus illius sis, nos autem Moysi discipuli sumus. Nos enim scimus quia Moysi loquutus est deus, hunc autem nescimus unde sit. Respondit ille et dixit eis: In hoc mirabile est, quia uos nescitis unde sit, et aperuit mihi oculos. Scimus quia peccatores deus non audit: sed si quis dei cultor est, et uoluntatem eius facit, hunc audit. A seculo non est auditum, quia quis aperuit oculos cæci nati. Nisi esset hic à deo, non poterat facere quicquam. Responderunt et dixerunt ei: In peccatis natus es totus, et tu doces nos? Et eiecerunt eum foras. Audiuit Iesus quia eiecerunt eum foras, et cum inuenisset eum, dixit ei: Tu credis in filium dei? Respondit ille et dixit: Quis est dominus, ut credam in eum? Et dixit ei Iesus: Et uidisti eum, et qui loquitur tecum, ipse est. At ille ait: Credo domine. et proci dens, adorauit eum.

Augustinus: Ut eum calūniarentur, & sic extra synagogam facerent, interrogant: sed ipse nihil pertæsus eorum malitiam, liberè respondit: Mihi uidetur propheta esse, magnum quempiam & insignem virum hoc titulo significas, cuius & famam acceperat, & uirtutem in se fuerat expertus. Sed duri & imparsuasibiles, uocant parentes eius, uolentes illos perplexos reddere, & ita negare cæcitatè filij, quibus tria proposuerunt: Num filius illorū esset, num cæcus natus, & quomodo nunc uideret, parentes uerò, ut sunt timidi quibus domi res est angusta, sentientes phariseos ansam uariari calumnia, a duo prima

respondent, quibus non inerat periculum, cautè tertium declinantes. Maluerunt enim illum solum periclitari, quàm communi periculo inuolui cum filio. Nam & apud euangelij professores seuerissimum pœnæ genus, ut si quis à sua professione degenerans, in crimen aliquod prolapsus sit in signe, à reliquorum consortio submoueat, ut à cæteris deuitatus, pudore respiscat, qui salubribus monitis corrigi non potuit, r. Corin. 5. Rursus non cōquiescit inuidia, sed indefesso animo molitur malum: & qui ueritatem nituntur obruere, diuersis, exquisitis, falsissimisque truntur cautelis. Da gloriam, inquit, deo, quod ex cæco factus es uides: noli ascribere Iesu, cui nihil debes, sed gloriam istius beneficij tribue deo, Nos enim certum habemus, quòd hic homo Iesus scelerosus sit, cui cū deo nihil est cōmercij. Quàm studiosè nituntur decipere. Nos, inquit, docti & religiosi scimus eum peccatorem. Ad hæc cæcus fortiter, sed circumspicè, ne calumniæ pateret, respondit: An homo sceleratus sit, alij uiderint, de hoc pronunciare non est meum. Vnū illud uerè testari possum, quod ipsa re comperi, me prius fuisse cæcum, & nunc uidere. Res ipsa nunc per se ipsam consideretur, & sententiam de se ferat. Iterant quæstionem de illuminationis modo, inuidia stimulante, ut inueniant quid calūnietur. Aduersus tam impudentem malitiã phariseorū, iam mendicus factus cōfidentior, ait: Modo dilucidè, sicut res habet narraui, semel audistis. an ideo tam diligenter percontamini facti modū, ut ex re exactè cognita, uos quoque uelit is illius fieri discipuli, per quem deus tanta operatur, quemadmodum ego uirtutem illius expertus, multique alij, discipuli illius sumus? Hoc maxime illorum animos cruciabat. Tu, inquit, scelereste, scelèsti illius discipulus sis, nos talem magistrū abominamur, qui Moysi sumus discipuli, eum quo Iesus iste non est conferendus, Psalm. 108. Maledicent illi, & tu benedicis: qui insurgunt in me, confundentur, seruus autem tuus iactabitur. Augustinus: Maledicentum est si cor inspicias, non si uerba perpendas. Iactant semper maiores, quum interim nec facta, neque doctrinā imitètur, quare mentiuntur. Ioan. 5. Si crederetis Moysi, crederetis utique & mihi. Moysi loquutus est deus, Exo. 33. Loquebatur dominus ad Moysen facie ad faciem, sicut

solet loqui homo ad amicū suum. Impudenter mentiuntur tu se nescire vnde Christus sit, Ioan. 7. Hunc scimus vnde de sit. Chrysofomus: Ea quæ visu cognoscitis, minoribus quæ per auditū habetis, assimatis. Illa enim quæ nosse vos dicitis, à vestris progenitoribus audistis. sed nonne fide dignior est, qui certificauit quòd à deo venit per miracula quæ non solum audistis, sed & vidistis? Ioan. 15. Nunc autem & viderunt & oderunt, & me, & patrem meum. Creuit inter disputandum mendici fiducia, vnde non solum dominum liberum facit à peccatis, sed & ostendit eum valde placere deo, & facientem omnia quæ ad illū pertinent. Admiror, inquit, quorū dicatis vos nescire vnde sit Iesus, quum illud negari non possit, per eū mihi apertos oculos, quos natus etiam habebam clausos: Actum videtis supernaturalem soli deo possibilem, & nescitis vnde sit? Certè istud extra controuersiam, nec vos dissentitis, deum non audire vota peccatorū. Verum si quis illum piè colit, & eius quem collit religione, voluntati obtemperat, hunc audit. Quòd nisi Iesus iste profectus esset à deo, nisi dei virtus illi adesset, ex se nihil omnino posset. Augustinus: Hæc enim quæ facta sunt, à quo fierent nisi à deo: nec enim à discipulis fierent, nisi deus habitaret in eis. Mar. 16. In nomine meo dæmonia eiicient, linguis loquentur nouis, serpentes tollent. Ioannis decimo quarto: Qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet. Pater in me manens, ipse facit opera. Obserua quòd sunt peccatores in malo obstinati, quales erant pharisæi, & sunt hæretici obstinantes veritati agnitæ. hos non exaudit. Psalm. 65. Iniquitatem si aspexi in corde meo, non exaudit dominus. Tren. 3. Nos iniquè egimus, & ad iracundiam prouocauimus, idcirco inexorabilis es. Sunt qui respuerant per Christi gratiam, sicut publicanus. Lucæ. 18. Est autem voluntas dei, vt peccator conuertatur & viuat, Ezechie. 18. conuersus proficiat. 1. Thess. 4. Hæc est enim voluntas dei sanctificatio vestra. Psalm. 33. Oculi domini super iustos, & aures eius in preces eorum. Oportet autem vtraque adesse, delectum, & voluntatis dei adimpletionem, hoc est, fidem & opera. Tūc enim reuera viuunt fides, quando opera habet deo placencia, è quibus bona nascitur conscientia, si-

Quos peccatores audiatur vel non audiatur deus

cut à malis mala. Et rursus opera tunc viuunt, quando fidem habuerint, alioqui mortua sunt. Heb. 11. Sine fide impossibile est placere deo. Iac. 2. Fides sine operibus mortua est in semetipsa. Vndique rationibus conclusi, quemadmodum exandescere solet hypocrisis & exasperari, si vel leuiter coarguatur, vituperationem pro veritate reddunt. Tu, inquit, plenus iniquitatibus, nos doces, qui religionis arcem, & legis professionem tenemus? Augustinus: Ipsi illum magistrum fecerant, ipsi, vt discerent, toties interrogauerunt: & ingrati docentem eiecerunt. Sed quos pharisaicum supercilium è synagoga eiicit, Christus recipit in suam ecclesiam. Ab impiorum enim communione secludi, iungi Christo est. Chrysof. Qui propter veritatem & Christi confessionem opprimuntur, hi maximè à deo honorantur. non enim continuo apud deum execratus est, quem homines execrantur. Vt igitur nactus est illum obuiam, quòd fidem illius faceret omnibus magis conspicuam, ait: Heus tu, credis in filium dei? Iam enim apud pharisæos professus fuerat illum à deo profectum esse, qui rem tantam perfecisset. Nec id latebat dominum Iesum, sed propter alios elicit hominis professionem, exemplum procurans cæteris. Fides enim est ianua introducens nos in ecclesiam fidelium & viuientium. Rom. 5. Per quem accessum habemus per fidem in gratiam istam, in qua stamus. Crediderat in eum etiam non conspectum, quare desideranti animo querit videre tanti beneficii authorem. Cui dominus: Quem videre cupis, iam vidisti: & qui nunc loquitur tecum, ipse est in quem oportet credere. Is itaque fidem suam ore & opere confirmans, vt deum glorificat Christum. Rom. 10. Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Vult deus tum in ternè tum externè coli ab homine. Psalm. 83. Cor meum & caro mea exultauerunt in deum viuum.

Et dixit eis Iesus: In iudicium ego in hunc mundum ueni, ut qui non uident, uideant: & qui uident, cæci fiant. Et audierunt quidam ex pharisæis qui cum ipso erant, & dicunt ei: Nunquid & nos cæci sumus? Dixit eis Iesus: Si cæci essetis, non haberetis peccatum: Nunc

uerò dicitis, quia uidemus peccatū ergo uestrū manet.

Sub primum aduentum iudicium exercuit discretio- nis, quo eos qui humiles apud se erant, gratiā suā lumine collustrauit, superbos inanes relinquens. Lucae. 2. Positus est hic in ruinā & resurrectionem multorum in Israel. Ex euentu nanque id euenit, quo quis non uult solē confi- derare lucentem, sed sua sponte se detradit in foveā. Ioā. 12. Cū autem tanta signa fecisset coram eis, non cre- diderunt in eum. Ioā. 15. Si non fecissem opera in eis quæ alius nemo fecit, peccatum non haberent: nūc autem & uiderunt & oderunt me, & patrem meum. Sed ut sermo adimpleatur qui in lege eorum scriptus est, quia odio habuerunt me gratis, Psal. 34. Suspicientes pharisæi arrogantes, se notari, aiunt: Num & nos cor excacatum habemus? Iesus ad hanc tam arrogantem pariter & insi- diosam interrogationem, sic respondet, ut ostendat eos qui sibi uidentur oculati, plus quā cæcos esse, & hoc in- sanabilius esse cæcos, quod sibi uiderentur oculati. Esa. 7. Væ qui sapientes estis in oculis uestris, & coram uobis- metipsis prudentes. Nam erant oculis animæ excacati: cæcus autem à natiuitate, & anima & corpore illumina- tus. Si uerè, inquit, essetis cæci, uenia daretur uobis de incredulitate: nunc autem spectatores facti miraculi, & adhuc incredulitate laborantes, non estis uenia digni. Si enim imperiti essetis scripturarum, non haberetis tale peccatum, quia per ignorantiam peccaretis: nunc autem eum reuera cæci sitis, nec inscitiam recognoscatis, nec do- ctrinam suscipiatis, & tamen apud populum uobis ar- rogetis eruditionis laudem, insanabiliter estis cæci, quia scienter peccatis. Luc. 11. Ille seruus qui cognouit volun- tatem domini sui, & non se præparauit, & non fecit se- cundum uoluntatem eius, uapulabit multis: qui autem non cognouit, & fecit digna plagis, uapulabit paucis. Iac. 4. Scienti igitur bonum facere, & non facienti, pec- catum est illi.

DE OSTIO ET PA-
store.

Amen dico uobis, qui non intrat per ostium in ouile ouium, sed ascendit aliunde. ille fur est & la- tro. Qui autem intrat per ostium, pastor est ouium. Huic ostiarius aperit, & oues uocem eius audiunt: & pro- prias oues uocat nominatim, & educit eas: Et cum pro- prias oues emisit, ante eas uadit, & oues illum sequuntur, quia sciunt uocem eius: Alienum autem non sequuntur, sed fugiunt ab eo, quia non nouerunt uocem alienorum.

Ioan. 10.

Ostendit quibus & quomodo pateat ingressus in re- gni dei ouile. Erat quodā synagoga ouile dei, sed nō so- la, quanquā de hoc se iactarent Iudæi, Psal. 75. Notus in Iudæa deus, in Israel magnum nomē eius. Habuit enim & alias oues Christus, quæ non erant ex hoc ouili, quas adducit ut sit unum ouile. Unum ergo nunc ouile Eccle- sia, extra quam non est salus. Ephe. 4. Unus deus, una fi- des, unū baptisma. 1. Pet. 3. In qua (arca scilicet Noe) pau- ci, id est, octo animæ saluæ factæ sunt per aquam. Quod & nos nunc similis formæ saluos facit baptisma, nō car- nis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interroga- tio in deū. Quò magis & altius insideat animis omnium, quod est totus salutis humanæ caput, parabola ostendit neminē esse posse ducē & pastorem populi, nisi prius sit ouis Christi veri pastoris omnium ouiu, quæ collocandæ sunt à dextris in die supremo. August. Ad hoc debet uni- cuique prodesse bene uiuere, ut detur illi semper uiue- re. Nam cū non datur semper uiuere, quid prodest bene uiuere? quia nec bene uiuere dicendi sunt, qui sine bene uiuendi vel cæcitate nesciunt, vel in statione contemnūt. Non est autē cuiquam spes certa vel uera semper uiuen- di, nisi agnoscat uitam, quæ Christus est, & per ianuā in- tret in ouile quod est Ecclesia catholica. Pharisæi nō per ostium intrare uoluerunt. Romano. 10. Ignorantes dei iustitiam, & suam uolentes constituere, iustitiæ dei non sunt subiecti. Romanorū. 3. Arbitramur enim hominem iustificari per fidem sine operibus legis. Nunc autem sine

Extra ca-
tholicam ec-
clesiam sa-
lutem non
esse.

*Intrantes
non per o-
stium quid.*

Latro.

lege iustitia dei manifestata est, testificata à lege & prophētis. Iustitia autem dei per fidem Iesu Christi, in omnes & super omnes, qui credunt in eum. Roma. 10. Finis enim legis Christus ad iustitiam omni credenti. Ponit itaque indicia veri pastoris, lupi & perniciosi, & sic se ostendit à patre bonorum esse, testimonium ab operibus sumens. Qui ergo per Christum non intrat, secundum ipsius voluntatē licitē & honestē (Heb. 5. Nemo sibi assumat honorem, sed qui vocatur à deo tanquam Aaron) sed ambitione ascendit, & hoc aliud de, simoniaca auaritia, aut factiosa intrusione, non canonica electione, sur est fraude surripiciens, & latro vi perdens & se, & alios. Nam populum subtrahit deo pestifero documento, prauo exēplo, aliisque modis non ouium salutem, sed suum procurans lucrum. Philip. 2. Omnes quæ sua sunt quarunt, non quæ Iesu Christi. Latro, vitam gratiæ suffocando in eis, inducens ad vitia, quibus anima occiditur, & dæmoni dentibus deuoranda traditur. Sapientiæ. 16. Homo per malitiā occidit animam suam. Ezech. 22. Coniuratio prophetarum in medio eius, sicut leo rugiens rapiensque prædam, animas deuorauerunt, opes & precium acceperunt, viduas eius multiplicauerunt in medio illius. Sacerdotes eius contempserunt legem meam, polluerunt sanctuaria mea. Inter sanctum & prophanum non habuerunt distantiam, inter pollutum & mundum non intellexerunt, & à sabbatis meis auerterunt oculos suos, & coinquinabar in medio eorum. Principes in medio eius quasi lupi rapientes prædam ad effundendum sanguinem, & ad perdendas animas. & auarè sectanda lucra. Prophetæ autem lineabant eos absque temperamento, videntes vana, & diuinantes ei mendacium, dicentes: hæc dicit dominus, quum dominus non dixerit. Populi terræ calumniabantur calumniā, & rapiebant violentè, egenum & pauperem affligebant, & aduenā opprimebant calumnia, absque iudicio. Et quæsiui de eis virum qui interponeret sepem, & staret oppositus contra me pro terra, ne dissiparem eam, & non inueni. Eccle. 10. Qualis rector ciuitatis, tales & inhabitantes eam. Esa. 1. principes tui infideles, socij furum. omnes diligunt mura, sequuntur retributiones. Notat etiam phariseos & scribas

scribas mandata legis paruipendentes, mandata verò hominum & traditiones docentes diligenter. Caterum qui intrat per ostium ordinatè & humiliter, non querens quod sibi vtile, sed quod multis, vt salui fiant, 1. Cor. 10. non querens præesse, sed prodesse, huic ostium ingredi volenti aperit is, qui solus ius habet aperiendi ostium. Apo. 2. Qui habet clauem Dauid, claudit, & nemo aperit: aperit, & nemo claudit. Nam per spiritum suum, qui spiritus est veritatis, omnem docens veritatem, Ioan. 14. intellectum dat nobis scripturæ. Vnde & dicitur spiritus sapientiæ & intellectus; Esa. 11. Ipse ergo admittit, imò introducit, timoratum & diligentem pastorem in sanctuarium aternæ sapientiæ, vt sciat quomodo oporteat eum in domo dei ambulare, quæ est ecclesia dei viui. 1. Tim. 3. Huius vocem veri pastoris agnoscunt & audiunt oues. Lucæ. 10. Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit. 1. Thef. 4. Itaque qui hæc spernit, non hominem spernit, sed deum, qui etiam dedit spiritum suum sanctum in nobis. Ecce vna conditio ouis, audire scilicet vocem veri pastoris. Sequitur conditio altera boni pastoris, nouit enim oues ex nomine. Prou. 27. Diligenter agnosce vultum pecoris tui, tuosque greges considera. Tertia, quia educit ad pascua. 1. Petr. 5. Pascite qui in vobis est gregem dei, prouidentes non coactè, sed spontaneè, secundum deum: neque turpis lucri gratia, sed voluntariè; neque vt dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo. & quum apparuerit princeps pastorum, percipietis immarcescibilem gloriam. Eccle. 15. Cibauit eos pane vitæ & intellectus, & aqua sapientiæ salutaris porabit illos. Quarta, quia ante eos vadit, viam demonstrans & tutam reddens, sicut columna nubis, Exo. 14. 1. Tim. 4. Exēplum esto fidelium in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, & castitate. Tit. 2. In omnibus teipsum præbe exēplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in grauitate. Sequitur nota altera ouium, Sequuntur eum: 1. Cor. 4. Imitatores dei estote, sicut & ego Christi. Phil. 3. Imitatores mei estote fratres, & obseruate eos qui ita ambulat sicut habetis formam nostram. Quia vita probata, ideo imitantur: & doctrina vera, idcirco audiunt. Tertia, quia alienum fugiunt. 3. Ioanis. 1. Charissime, no-

*Conditiones
ouis & p-
stors.*

si imitari malum, sed quod bonum est. Quamquam enim ovis simplex est animal, & ab alieno pendens presidio, tamen agnoscat vocem pastoris, vnde sentiunt vtilitatem: & horrent vocem luporum, vnde metuum mortem. 2. Thessa. 3. Denunciamus vobis fratres in nomine domini nostri Iesu Christi, vt subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinate, & non secundum traditionem quam accepistis à me. Ecclesiast. 13. Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea: & qui communicat superbo, induet superbiam. 1. Cor. 15. Corruptunt bonos mores colloquia mala. Matthæi vigesimo quarto, Si quis vobis dixerit, ecce hic est Christus, aut illic, nolite credere: ecce in deserto est, nolite exire: ecce in penetralibus, nolite credere. Manifestum itaque gratiæ indicium est, non audire vocem alienorum, Verum pastorem Christum non imitantium. Augustinus: Quis alius oves suas vocat nominatim, & educit eas hinc ad vitæ pascua, nisi qui novit qui sunt eius? 1. ad Timotheum secundo. Quis alius emittit, nisi qui peccata dimittit, vt eum sequi duris liberati vinculis possint? Et quis eas præcessit quod eum sequantur, nisi qui surgens à mortuis, iam non moritur? Romanorum. 6.

2. Hoc prouerbum dixit eis Iesus. Illi autem non cognouerunt quid loqueretur eis. Dixit ergo eis iterum Iesus: Amen amen dico vobis, ego sum ostium ouium. Omnes quotquot uenerunt, fures sunt & latrones, sed nō auferunt eos oues. Ego sum ostium, per me si quis introierit, saluabitur: & ingreditur, & pascua inueniet.

Taxauerat dominus Iesus hoc ænigmate phariseos, scribas, sacerdotes, & primores populi, qui indignabantur quod essent multi qui mallent adhærere Iesu, quàm ipsi, qui se duces credebant populi. Porro qui lues erant aut hirci, audiebant illorum vocem. Cæterum qui verè oues, doli expertes, simplices, & innoxij, agnoscebant vocem domini Iesu, qui verus erat pastor, cui pater ostiarius aperuerat ostium, vt oues sibi parètes, adduceret in æternæ vitæ pascua. Quî autem pharisei non intelligerent quid sibi vellet hæc parabola, dignatus est aperire:

quæ te cilius ideo dixerat, vt magis redderet attentos, & alius insereret animis auditorum, quod per similitudinem esset infixum. Non enim satis est intra septa ecclesiæ quacunque via irrepisse, non satis est ad pastoris titulum ac dignitatem quomocunque penetrasse. Nam Christus semetipsum non clarificauit vt pontifex fieret, sed qui loquutus est ad eum: Filius meus es tu, ego hodie genui te, Psalm. 1. Heb. 5. Hinc Chöre cum suis complicitibus terra absorptus est, Nu. 16. Ozias rex officium sacerdotis vsurpare præsumens, lepra percussus fuit. 2. Paralipo. 26. Quum curam suam vult demonstrare circa nos, pastorem se nominat: quando autem ostendere vult quod ipse sit ille qui ducit ad patrem, tunc ostium se dicit. Ioan. 14. Nemo venit ad patrem nisi per me. Quicumque uenerunt, dicit, non qui missi sunt. Nam prophetae quidem missi aduerunt, non autem pseudoprophetae. Hic. 23. Non mittebam prophetas, & ipsi currebant: non loquebar ad eos, & ipsi prophetabant. Hier. 17. Quia non misi eos, ait dominus, & ipsi prophetabant in nomine meo mendacium. Chrysostomus: Hoc laudabile est de ouibus, quia non audiunt furem: sed si qui audiunt, hirci sunt & canes. 1. Ioã. 4. Ipsi de mundo sunt, & ideo de mundo loquuntur, & mundus eos audit. Nos ex deo sumus: qui nouit deum, audit nos: qui non est ex deo, non audit nos. Nō est salutaris aditus in ecclesiam ac regnum cælorum nisi per me, siue pastor esse velis, siue ouis. Per me si quis introierit, salutem æternam assequetur, nec erit periculum à furibus & latronibus, sed hoc pastore tutus ingreditur in caulas, fruiturus ocio felici contemplationis: egredietur in pascua, proditurus ad officia charitatis, nec deerunt vnquam pascua, sed vbique dabitur materia benefaciendi, quod simul & aliis prodest, & ipse benefactis in caulas redeat saginatio. Duplicem enim Apostolus. 2. Cor. 4. distinguit hominem, interiorem & exteriorem. Ingredimur & in ouile per baptismum, Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non potest introire in regnum dei, & saluamur. Act. 13. Per gratiam domini nostri Iesu Christi credimur saluari. Augustinus, Ingredietur per internam meditationem, egredietur per externam operationem. Gal. 6. Alter alterius onera portate, & sic

Christus quando pastor, quando ostium.

Duplex homo.

adimplebitis legem Christi. Psal. 22. Dominus regit me, & nihil mihi deerit, in loco paicua: ibi me collocauit. Egredietur tandem per mortem ad pascua aeternae consolationis. Esa. 64. A seculo non audierunt, oculus non vidit deus absque te, quae preparasti expectantibus te, qui modo ingreditur per poenitentiam. Esa. 46. Redite praevariatores ad cor. Ibi vero ingreditur in diuinitatis abyssum, & egredientur in humanitatis Christi aspectum. Magna certe laus & merces veri pastoris legitime intrantis in ouile Christi: salus aeterna, nec minor ovis humiliter obsequentis. Augustinus: Agnouimus, intremus, vt nos intrasse gaudeamus.

Fur non uenit, nisi ut furetur, & mactet, & perdat. ego ueni ut uitam habeant, & abundantius habeant.

Habes notam qua pastorem a lupo dignoscas. Qui non credit mihi, ab hoc fugiendum: qui autem credit, vox proderit qualis sit: si quae loquitur, non sapiunt dei gloriam, non populi salutem, sed propriam gloriam, sed quaestum, sed astutiam humanam, sed tyrannidem, ab hoc sibi caueat oves: fur enim est & latro, & hoc perniciosior, quod personam pastoris mantitur. Quod si vox non satis evidens erit indicium, obserua quid agat. fur non uenit in aliud, nisi vt furetur, vsurpando quod non est suum, vt e gregis alieni malis, sibi turpe lucrum comparet. Porro nullum maius furtum, quam quod deo surripitur. 1. Cor. 6. Non estis vestri, empti enim estis precio magno. Apoc. 7. Redemisti nos deo nostro in sanguine tuo. Et mactet, in peccatum inducendo. Iac. 1. Peccatum cum consummatum fuerit, generat mortem. Abac. 2. Iustus in fide sua uiuet. Christus autem per fidem in cordibus fidelium habitat. Ephe. 3. Et perdat, in aeternam damnationem, per uenenata dogmata, perinde sicut diabolus, qui homicida est ab initio, Ioan. 8. Hier. 5. Stupor & mirabilia facta, sunt in terra. prophetae prophetabant mendacium, & sacerdotes applaudebant manibus suis, & populus meus dilexit illud. Quid igitur fiet in nouissimo eius? Hier. 50. Grex perditus factus est populus meus, pastores eorum seduxerunt eos, feceruntque eos vagari in montibus. Ezech. 34. Vae pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos, Nonne

greges a pastoribus pascentur? lac comedebatis, & lanis operiebamini: quod crassum erat, occidebatis: gregem autem meum non pascebatis, Quod infirmum fuit, non consolidastis, & quod aegrotum, non sanastis: quod confractum est, non alligastis, & quod abiectum est, non reuoxistis: & quod perierat, non requisistis: sed cum austeritate imperabatis eis, & cum potetia. Et dispersae sunt oves meae, eod quod non esset pastor, & factae sunt in deuotione omnium bestiarum agri, & dispersae sunt, & errauerunt in cunctis montibus, & non erat qui requireret. Act. 20. Attendite uobis & uniuerso gregi, in quo uos spiritus sanctus posuit episcopos, regere ecclesiam dei, quam acquisiuit sanguine suo. Ego enim scio, quoniam post discessionem meam intrabunt lupi rapaces in uos, non parcetes gregi. Et ex uobis ipsi exurgent uiri loquentes peruersa, vt abducant discipulos post se. Tales ergo, quoniam per ostium non intrant, quamquam sese iactant pastores, non saluabuntur: nec pascua inuenient, sed aeternam egestatem, & conscientiae ingredientur stimulos, & in aeternos egredientur cruciatus. Esa. 66. Vermis eorum non morietur, & ignis non extinguetur. Sic & diabolus illorum caput, uenit tentando. Iob. 1. Circuii terram & perambulauit eam. Ad quid? 1. Pet. 5. Aduersarius uester diabolus tanquam leo rugiens circuit, quaerens quem deuoret. Vt furetur per malas cogitationes, mactet per consensum, & perdat per operis consummationem. Iac. 1. Peccatum cum consummatum fuerit, generat mortem. Contra dominus uenit, Baruc. 3. Post haec in terris uisus est, & cum hominibus conuersatus est, non in aliud, nisi vt oves morbidae sanentur, mortuae uiuant, ac uiae saginentur omni uirtutum genere. Gal. 2. uiuo ego, iam non ego, uiuit uero in me Christus. Aug. Ego ueni ut uitam habeant. i. fidem per dilectione operantem. Gala. 5. In Christo Iesu neque circumcisio aliquid ualet, neque praeputium, sed fides quae per charitatem operatur. Fides enim sine operibus mortua est in semetipsa, Iac. 2. Et abundantius habeant, qui perseuerando usque in finem, per illud ostium, id est, per fidem egrediuntur: quoniam & fideles moriuntur, & abundantius habebunt uitam, ueniendo quo pastor ille praecessit, ubi nua-

quam deinde moriuntur. Habent omnes fidem in Christo, omnes resurgent & vivent: sed iusti qui oves sunt, Mat. 25, quid amplius habent: regnum scilicet caelorum. Psal. 35, Domine, apud te est fons vitae. Hinc Petrus ait, Ioan. 6, Domine, ad quem ibimus? verba vitae aeternae habes. Quanquam autem & hic in ipso ovili non desint pascua, tamen tunc verè pascua inuenient, vbi saturantur qui esuriunt & sitiunt iustitiam, Matth. 5.

Ioan. 10.
P

Ego sum pastor bonus. Bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis. Mercenarius autem, & qui non est pastor, cuius non sunt oues propriae, videt lupum venientem, & dimittit oues & fugit, & lupus rapit & dispergit oues. Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, & non pertinet ad eum de ouibus.

Ostendit quanta dilectione nostram procuret salutem, quae si desit pastoribus, populus in direptionem & perditionem venit. Si quaeritis speciem boni pastoris & exemplum, ego sum ille pastor bonus. Esa. 40. Ecce dominus deus in fortitudine veniet, & brachium eius dominabitur: ecce merces eius cum eo, & opus illius coram illo. Sicut pastor gregem suum pascet, in brachio suo congregabit agnos, & in sinu suo leuabit, foetas ipse portabit. Ezech. 34. Et scient quia ego dominus deus eorum cum eis, & ipsi populus meus domus Israel, ait dominus deus. Vos autem greges mei, greges pascuae meae homines estis, & ego dominus deus vester. Psal. 91. Nos autem populus eius, & oues pascuae eius. Verè bonus pastor. Ipse enim nos pascit corporeo nutrimento. Mat. 6. Respiciite volatilia caeli, quae non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea, & pater vester caelestis pascit illa. Nonne vos magis pluris estis illis? Psal. 144. Oculi omnium in te sperant domine, & tu das escam illorum in tempore opportuno. Psal. 135. Qui dat escam omni carni. Verbo diuino. Mat. 4. Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore dei. Corporis sui sacramentum. Ioan. 6. Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Ipse nos dirigit Psal. 22. Dominus regit me, & nihil mihi deerit, in solo pascuae ibi me collocauit,

Ezechie. 34. Ego pascam oues meas, & ego eas accubare faciem, dicit dominus deus. Quod perierat, requiram: & quod abiectum erat, reducam: & quod contractum fuerat, alligabo: & quod infirmum fuerat, consolidabo: & quod forte & pingue, custodiam: & pascam illas in iudicio. Quia ergo in caelum conscendit, pastores & vicarios instituit. Ephes. 4. Qui descendit, ipse est & qui ascendit super omnes caelos, vt adimpleret omnia. Et ipse dedit quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero euangelistas, alios autem pastores & doctores ad consummationem sanctorum in opus ministerij, in aedificationem corporis Christi. Hinc princeps dicitur pastorum. 1. Pet. 5. Non ergo est bonus pastor, qui non per ipsum & propter ipsum, ouium suspicit curam. Hinc Petro ter ait: Pisce oues meas, Ioan. 21. Distinguit ergo inter bonum pastorem & malum. Bonus, qui ex charitate praestit, fouens sibi commissos, vt eorum cooperetur saluti, & simul cum ipsis saluetur, si quando periculum ingruerit, vitae periculo gregi consulit. 1. Cor. 12. Ego autem libentissime impendam, & super impendam ego ipse pro animabus vestris. Multa enim sunt quae salutem gregis instant. Gregorius: Bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis. Primum nobis est, exteriora nostra misericorditer pro ouibus impendere: postremum, si necesse est, etiam mortem pro eis obire. Sed qui non dat substantiam, quando daturus est vitam? Non ergo potest esse verus pastor, nisi purus ab omni cupiditate commodi priuati, nisi vitae quoque suae contemtor, quum necessitas cogit. Vae eis qui non sincere irrumpunt, non considerantes quam distictam domino reddituri sint rationem. Sapient. 6. Iudicium darissimum in his qui praesunt, fiet. Qui autem plus terrenam substantiam quam oues diligunt, hi merito nomen pastoris perdant: qui non pro amore intimo, sed ad temporales mercedes pascunt: locum quidem pastoris tenent, sed lucra animarum non quaerunt, terrenis commodis inhiant, honore praelationis gaudent, temporalibus lucris pascuntur, impensa sibi reuerentia ab hominibus letantur. Id proprie merces dicitur: nam gloria aeterna non dicitur proprie merces, sed tantummodo largè, in quantum omne quod redditur in praemium laboris, merces vocatur.

Bonus pastor.

Merces.

catur. Vnde dominus ad Abraham, Ge. 14. Noli timere, ego protector tuus, & merces tua magna nimis. Nam hæreditas distinguitur à mercede propriè dicta, sicut filius à seruo conductitio, cui debetur merces pro suo labore. Gloria autem vitæ cælestis redditur fidelibus, sicut hæreditas filiis. Rom. 8. Ipse enim spiritus testimoniū reddit spiritui nostro, quòd filij dei sumus. Si autem filij, & hæredes: hæredes quidem dei, cohæredes autem Christi. Verus itaque pastor gloriam dei, & salutem animarum attendit: mercenarius solum lucrum temporale, non ouium vtilitatē. Qui ergo mercenarius est, & sui compendij gratia gregis curam suscipit, etiam si bona fide rebus tranquillis gregem procurat: tamen si vitæ ingratum periculum, hoc est, si lupum viderit venientem, proditis ouibus, suæ vitæ fugam consulit, gregem lupo dissipandum & dilaniandum relinquit. Neque enim gregis interiūs discrutat animū mercenarij. Ita fit, vt simul & domino pereat quod vnicè diligebat, & grex veniat in exitium qui seruari poterat. Greg. Lupus rapit & dispergit, quia diabolus mentes fidelium in tentatione dilaniat & necat. Aug. Ecce lupus guttur apprehendit, quum diabolus fidei adulterium persuasit. Sic & per falsos doctores, Mat. 7. Attendite à falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces, Sic & tyranni. Eze. 22. Princes eius in medio illius quasi lupi rapientes prædā, ad effundendum sanguinem, & ad perdendas animas, & auarè sectanda lucra. Lupus rapit, ab ecclesiastica vnitare & charitate diuidens. Mat. 9: videns turbas, misertus est eis, quia erant verari & iacentes sicut oues nō habentes pastorem. Prou. 11. Vbi non est gubernator, populus corruet. Pertinet quidem ad eum de ouibus secundum iustitiā, sed non quo ad debitā curam. Omnes enim quæ sua sunt querūt, non quæ Iesu Christi Phi. 2. Aestimantes quæstum, pietatem. 1. Ti. 6. Esa. 56. Speculatores eius cæci omnes, nescierunt vniuersi, canes muti non valentes latrare. Zacha. 11. O pastor & idolum derelinquens gregem, gladius super brachium eius, & super oculum dexterum eius, brachium eius ariditate sicabitur, & oculus eius dexter tenebrefcens obscurabitur. Obserua hic, quod in qualibet obligatione attendi debet præcipuè obligationis finis, Obligant

autem se prælati ad exequendum pastorale officium propter subditorum salutem: & ideo vbi subditorum salus exigit personæ pastoris præsentiam, non potest pastor personaliter suum gregem deserere. Si autem saluti subditorum sufficienter per alium potest prouideri, tunc licitum est propter aliquod commodam, ecclesiam, vel personam periculum. Vnde ille dicitur fugere tanquam mercenarius, qui temporale commodum, vel corporalem salutem, proximorum saluti spiritali ante ponit. Aug. Inde laedit mercenarius. Vnde facit, non valde bona dicit: botrum carpe, & spinas caue. Multi quippe in ecclesia terrena sectantes commoda, Christum prædicant, & per eos vox Christi auditur, & sequuntur oues non mercenarij, sed pastoris vocem per mercenarium. Plerumque ad gregis custodiam sicut verus pastor, sic & mercenarius stat: sed lupus veniens indicat, quo quisque animo super gregis custodiam stabat. Fugit, qui curam sollicitudinis non habet, & animæ pereunt: ipse verò de terrenis lucris lætatur, nullo contra hæc zelo accenditur, nullo dilectionis fertore excitatur, quia dum sola commoda exteriora requirit, interiora damna gregis negligenter patitur. Quòd contra apostolus. 1. Corin. 12. Non quero vestra, sed vos. 1. Corin. 10. Non querens quod mihi vtile est, sed quod multis, vt salui fiant.

Ego sum pastor bonus, & cognosco oues meas, & cognoscunt me meæ. Sicut nouit me pater, & ego agnosco patrem, & animam meam pono pro ouibus meis.

Ponit tria bonitatem pastoris commendat. Primum, Tria pasto-
ouium cognitio. Nam mercenarius quidem nescit oues, *rem comen-*
qui non sape illas inuisit, pastor autem curam illarum a-
git, & ideo etiam cognoscitur ab eis. Nouit enim qui sunt *dantia.*
eius. 2. Tim. 2. quia nomina scripta habet in lib. vitæ, Apoc. 20. Exod. 33 ait Moysi: Noui te ex nomine. Hinc ait diicipulis Lu. decimo, Gaudete quoniam nomina vestra scripta sunt in cælis: Sed qui sunt oues eius quos cognoscit? 1. Cor. 8. Si quis diligit deum, hic cognitus est ab eo. Gregor. Cognoscunt me meæ, id est diligentes obsequantur: qui enim veritatem non diligit, adhuc minime cognos-

uit. Cognoscunt autem non solum ex credulitate, sed operatione. 1. Ioan. 2. qui dicit se nosse deum, & mandata eius non custodit, mendax est. Vide autem quod primum nos ille cognoscit, deinde nos illum. Nam primum ipse familiaris factus est nobis carne, factus homo: deinde nos illi familiares facti sumus per deformem gratiam. Ioan. 13. In hoc cognoscet omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis adinuicem. Ioan. 15. Hoc est praeceptum meum, vt diligatis inuicem sicut dilexi vos. Secundum, paterna dilectio. Me pater agnoscit vt germanum filium, suarq; voluntati per omnia obsequentem, & ego vicissim agnosco patrem, qui cupit omnes saluos fieri, Ioannis octauo. Ego scio eum, & sermonem eius. seruo. Qui enim deum semper prae oculis haberet, sollicitè se in omni & actione, & cogitatione gereret, cognoscens ex actam de omnibus rationem reddendam. Hinc de praepositis ait Apostolus Heb. decimotertio: Ipsi peruigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddaturi. Ezech. 3. Fili hominis, speculatores dedi te domus Israel, & audies de ore meo verbum, & annuncialis eis ex me. Si dicente me ad impium, morte morieris, non annunciaueris eis, neque loquutus fueris vt auertatur à via sua mala & uiuat: ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem eius de manu tua requiram. Si autè tu annunciaueris impio, & ille non fuerit conuersus ab impietate sua, & à via sua impia, ipse quidem in impietate sua morietur, tu autem animam tuam libera sti. Tertiu, summa perfectio. Ioan. 15. Maiorem hac dilectione nemo habet, quam vt animam suam ponat quis pro amicis suis. Esa. 53. Tradidit in mortem animam suam. Licet verò pro omnibus posuerit animam, non tamen nisi electis prodest, quia alij se non accommodat gratiae. Vnde Mat. 20. Venit hominis filius non ministrari, sed ministrare, & dare animam suam redemptionem pro multis. & Mat. 26. Hic est enim sanguis meus qui testamèti, qui per multis effunderet in remissionem peccatorum. Esa. 35. Et ipse peccata multorum tulit. Ratione subiungit.

Et alias oues habeo, quae non sunt ex hoc ouili: & illas oportet me adducere, & uocem meam audient. Et fiet unum ouile, & unus pastor.

Cur non omnibus Christi ministrari, sed ministrare, & dare animam suam redemptionem pro multis. & Mat. 26. Hic est enim sanguis meus qui testamèti, qui per multis effunderet in remissionem peccatorum. Esa. 35. Et ipse peccata multorum tulit. Ratione subiungit.

Sunt in aliis, inquit, gentibus oues dispersae, ac luporum & latronum insidiis obnoxiae, nec conquietam donec has quoque ad communes caulas reduxero. Ioan. 12. Ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum. Ioan. 11. Prophetauit quia Iesus moriturus erat pro gente, & non tantum pro gente, sed vt filios dei qui erant dispersi, congregaret in vnum. Esa. 53. Omnes nos quasi oues errauimus, vnusquisque in viam suam declinauit. Ezech. 34. Haec dicit dominus deus: Ecce ego ipse requiram oues meas, & visitabo eas. Sicut visitat pastor gregem suum, in die quando fuerit in medio ouium suarum dissipatarum: sic visitabo eas, & liberabo eas de omnibus locis in quibus dispersae fuerunt in die nubis & caliginis. Modum ipse indicat, Mat. decimo octauo, & Luc. decimo quinto, in oue centesima perdita, quam humeris impositam reportauit. 1. Pet. 2. Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum. Quis tantam dignationem non obstupescat? Quis non amplectatur? Sed non omnes obediunt euangelio, Roman. decimo: Agnoscent, inquit, & audient vocem meam, si quae sint oues salutis destinatae: non enim natio secludit à salute. Actuum decimo tertio, Audientes gentes gauisae sunt, & glorificauerunt verbum domini, & crediderunt quotquot erant praedordinati ad vitam aeternam, primae Petri secundo: Eratis sicut oues errantes, sed conuersi estis nunc ad pastorem & episcopum animarum vestrarum. Ideo refugientes audire vocem ipsius, vitam fugiunt, & mortem incurrunt. Mar. 17. Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacuit, ipsum audite, Heb. tertio: Quapropter, sicut dicit spiritus sanctus Psalm. nonagesimo quarto, Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra. Hunc enim pastorem qui non agnouerit, in exitium ibit, quia sub vno pastore vnus erit grex, ex Iudaeis & gentibus in unitatem fidei collectus. Extra hoc ergo ouile qui fuerit, saluus esse non poterit. Nolens ergo perire, in hoc ouili maneat, non sequens illos qui segregant semetipsos, dissidia mouentes, eò quod sint animales, obseruantes mundanis affectibus, spiritum non habentes, qui venantur voluptates, ambiunt honores, captant lucrum, Iudae primò: sed audiat vocem pastoris. Matthaei vndecimo, Discite

à me quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris. Nam sicut ouis ad occisionem ductus est, Esaia quinquagesimo tertio. Chryso. Maneamus sub isto pastore, & securi à lupo erimus: pastorem enim habemus ita amantem nos, vt animam pro nobis dederit. Cum igitur & potens sit, & ita nos diligit, quid prohibet nos saluari, nisi nos ipsi destiterimus? Quanquam autem non sit nisi vna ecclesia in fidei, spei, charitatis quæ vnitate coniuncta, quæ mysticum corpus est Christi, quod ab vno capite Christo gubernatur, vno spiritus sancto viuificatur, vna lege regulatur, vno fonte purificatur, vno pane reficitur, ad vnâ patriam proficiscitur, Ephesios primo, & quarto: tamen hic in finem vsque mali cum bonis mixti sunt qui in fine separabuntur, quemadmodum pastor segregat oves ab hircis, Matthæ. 25. Tunc oves, id est, iusti, ibunt in vitam æternam, hirci verò in supplicium perpetuum, quia pastorem non agnouerunt, opere misericordiæ in proximo. Nemo ergo sibi desolacredulitate blandiatur seducens seipsum, si non fuerit per charitatem operans.

Propterea me diligit pater, quia ego pono animam meam, ut iterum sumam eam. Nemo tollit eam à me, sed ego pono eam à me ipso. Potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo iterum sumendi eam. Hoc mandatum accepi à patre meo. Dissensio iterum facta est inter Iudæos propter sermones hos. Dicebant autem multi ex ipsis: Daemonium habet, & insanit: quid eum auditis? Alij dicebant: Hæc uerba non sunt demonium habentis. Nunquid demonium potest cæcorum oculos aperire?

Magnæ dilectionis opus filius suscepit, ignominiosè moriens pro nobis: & non solum moriens, sed & iterum accipiens animam, vt occidat mortem, & nobis immortalitatem per resurrectionem pariat. Osee decimotertio: Ero mors tua ó mors, morsus tuus ero inferne. Deus nos non diligit propter merita nostra, quasi merita dilectionem præcesserint, sed dilectio dei qua à deo præuenti su-

mus; causa est omnis boni in nobis. Hier. 31. In charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miserâs. Quoniam, inquit, eodem animo sum quo pater, ideo me diligit vnice, non veluti mercenarium, quia mea sponte pro salute gregis paterni vitam impendo meam: tantum abest vt ex gregis malo mihi commodum vener. Igitur non auferent mihi vitam, sed ego volens vitam impendam ouibus meis, mea morte vitam illis redempturus æternam. Promptam & liberam ostendit voluntatem pro humano genere moriendi. Chri. Sic habeo ponendi potestatem, vt nemo me inuito id facere possit. Nos tantum interire nos possumus, sed si in latronum insidias inciderimus, nõ habemus liberam faciendi quod volumus potestatem. Velimus nolimus, nos interficiunt. Christus autem insidiis circumuentus, sui iuris erat moriendi, necne. Esa. 53. Oblatus est, quia ipse voluit. Ego vtriusque rei potestatem habeo, & animam hanc emittendi è corpore, & eandem in hoc ipsum corpus reuocandi. Hinc in articulo mortis, quo alij vix halitum trahere possunt, valenter clamauit, quod consideras cetero, ait Luc. 23. Verè hic homo iustus erat. Mat. 27. Verè filius dei erat iste. Secundum naturam diuinam, suscitauit seipsum à morte vt hominem. Nunquam autem verbum deposuit quod semel assumpsit, vt dicit Damascenus: ideo in triduo mortis erant corpus & anima verbo vnita, non tamen verbum fuit tunc homo, quia fuerunt à se inuicem separata corpus & anima. Hoc visum est patri, vt hac ratione procuraretur negotium humana salutis, Ioan. 14. Sicut mandatum dedit mihi pater, sic facio. Actu. 2. Iesum Nazarenum virum approbatum à deo in vobis, virtutibus, & prodigiis, & signis, quæ fecit deus per illum in medio vestri, sicut scitis, hunc definito consilio, & præscientia dei traditum per manus iniquorum, affligentes interemistis. Roma. 8. Qui proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Hæc quum dominus proloquutus esset noua ac inaudita, ac longè supra vulgarem hominum sensum, rursus in populo variatum est sententiis. Chryso. Quod supra hominem operetur, inquit, inde constat quod demonium habeat. Arrepticus est, sicq; inspiratione diaboli, alta & profunda loquitur, fallimini cum audiendo: Discamus

hoc loco verborum iniurias, detractiones, irrisionesque patienter ferre. Amentia imponitur ei, cuius sapientia non est numerus, Psal 146. In quò sunt omnes thesauri sapientie & scientie absconditi, Coloss. secundo. Demoniù habere dicitur, in quo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, Col. 2. Qui iniquitatem non fecit, neque dolus fuit in ore eius, Esa. 53. Nihil tamen demònus respòdit, nos interim docens, non esse semper contendendum eum improbis, & factis potius declarandum quid possimus quàm verbis. Quidam tamen, quibus mens sanior inerat, dixerunt: Hæc verba non sunt obnoxij malo demòni: sapiunt enim diuinam virtutem, præsertim quum dictis astipulentur facta. Quia enim opus diuinù, ergo & verba. Mira quidem ac stupenda agere possunt demones deo permittente, vt claret Exod. 7. & Iob. 1. sed non quæ totam nature legem & facultatem excedant. Quum enim sint agiles & subtilissimi, possunt celerrimè naturalia actiua & passiua applicare, & ad inuicem proportionare, sicque producit effectus mirabilis his, qui causam & modum operationis ignorant.

DE ENCÆNIIS,

ARTICVLVS XIX.

Ioan. 10.
R

Facta sunt autem encænia in Hierosolymis, & hyems erat: & ambulabat Iesus in templo, in porticu Salomonis. Circumdedertunt ergo eum Iudæi, & dicebant ei: Quousque animam nostram tollis? Si tu es Christus, dic nobis palam.

Triplex
Hierosolymita-
ni tem-

Ostendit quod nedum verbis, sed quàm maximè factis innouerit mundo: sed inuidia excæcati Iudæi, opera non solum non attendebant, sed & calumniabantur, quare multò minus verbis credebant, quanquam crebro interrogarent. Quum ergo passio in foribus esset, frequentius in Hierosolymis ambulabat. Aderat dies festus, què encænia vocant, ob templi post Persicū exiliū Hierosolymis restauratū ac renouatū. Obserua apud Iudæos

triplicem fuisse templi dedicationem. A Salomone in autumno, decimo die mensis Septembris. 3. Reg. octauo. Aliter à Zorobabel in vere, duodecimo die Martij. 1. Eisd. 6. Tertia à Machabæis, tempore hyemis. 14. Nouembris. 1. Mach. 4. Voluit ergo dominus nobis præcludere ac docere, quòd feris sacris maximè diuinis rebus incumbendū est. Sed quoniam omnia in figura contingebant illis. 1. Cor. 10. scripta autem sunt ad correptionem nostram, in primo templo, per Salomonem adificato, naturam accipimus humanam per Christum factam, Heb. 1. Per quem *Dedicatio-
num israhè* regis Babylonis combustum. 4. Reg. 25. Sic primi parentes serpentes obsequentes, de cibo vetito comedendo, naturam humanam violarunt, Gen. 3. Sapi. 2. Inuidia diaboli mors introiuit in orbem terrarū. Istud instauratum per Zorobabel, alio nomine Iesum. 1. Eisd. 7. Sic natura humana per baptismum. Gal. 3. Quicūque in Christo baptizati estis, Christum induistis. 1. Cor. 6. An nescitis quoniam membra vestra templum sunt spiritus sancti qui in vobis est? Sed quoties illud per peccatum violamus, ponentes in eo idolum, vel gulæ? Phil. 3. Quorum deus venter est, vel auaritiæ? Ephe. 5. Auarus, quod est idolorum seruitus, aut luxuria. 2. Cor. 6. Quis cōsensit templo dei cum idolis? 1. Corin. 3. Nescitis quia templum dei estis, & spiritus dei habitat in vobis? Si quis autem templum dei violauerit, disperdet illū deus. Tēplum enim dei sanctum est, quod estis vos. Nec mirum de tanta vindicta, quia Heb. 13. Propter quod & Iesus, vt sanctificaret populum suum, per suū sanguinem extra portam passus est. Ideò cum Iuda Machabæo mundemus & renouemus templum hoc, omnem immunditiam reiicientes, & quæ ad ornatum spectant procurantes. 2. Cor. 7. Mundemus nos ab omni inquinamento carnis & spiritus, perficientes sanctificationem in timore dei. Sic enim celebrabimus encænia, iuxta quod monet idem apost. Col. 3. Expoliantes nos veterem hominem cum actibus suis, & induentes nouum, eum qui renouatur in agnitionem dei, secundum imaginem eius qui creauit eum. In hyeme præsentis vitæ, quæ semper à malis spiritibus turbatur. Aderit enim tūc Iesus, qui simul celebrat encæniorum festiuitatē in porticu Sa-

*Ver mysti-
cè quid-*

Ioannis, custodia sua nos muniens, & pácificos reddens ab affectionibus. Ver enim futurum seculum est, quo omnia reuiuiscunt, quo nullus animam innouare potest. Gregorius: Idcirco curauit Euangelista tempus hyemis exprimere, vt inesse Iudæorum cordibus malitiæ frigus insinuaret. In porticu Salomonis, vt locus loqueretur adesse pacificum illum omnia conciliaturum, quæ in cælis & quæ in terris, Colos. 1. per sanguinem crucis. Ne autem posset elabi, cinxerunt eum, multis illius dictis & factis irritati, nec satis inter se cõcordes. Psalm. 30. In eodum conuenirent simul aduersum me, accipere animam meam consiliati sunt. Psalm. 117. Circudederunt me sicut apes, & exarserunt sicut ignis in spinis. Quousque, inquit, dictis ambiguis suspensos detines animos nostros, & hac animi ambiguitate populi seditionem concitas? Si tu es ille Messias quem expectamus, dic. Chrysothomus: Vide peruersitatem Iudæorum, quando ipsos docebat, signa petebant. Ioannis sexto, Quod ergo facis tu signum, vt videamus & credamus tibi? Quid operaris? quum signa edebat, requirebant verba. Ridiculosa fuit hæc quaestio, & calumniosa. Satis enim ex scripturis compertum habebant, qualis & quomodo venturus Christus esset. Vnde Ioannis quinto, Scrutamini scripturas: illæ sunt que testimonium perhibent de me. Satis autem opera illum prædicabant esse Christum, nisi inuidia excæcati fuissent. Hinc putabát temporariò regnaturum, eodæ que omnes scripturas torserunt. Psalm. 2. Ego autem cõstitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum eius. Psalm. 71. Et dominabitur à mari vsque ad mare, & à flumine vsque ad terminos orbis terrarum. Esa. 60. Gens & regnum quod non seruiert tibi, peribit. Sed quod spiritaliter intelligendum erat, illi ad carnale regnum torserunt. Nam in domo Iacob regnabit in æternum. Luc. 1. sed in fine seculi ponentur inimici eius scabellum pedum suorum, Psalm. 109. Non quarunt an filius sit dei, sed Christus, quò anam haberent accusandi affectati regni contra prohibitionem Augusti, & sic presidi traderetur puniendus. Si verò negaret, calumniarentur mendacem, quum non semel id professus fuerit. Dic, inquit, liberè, sanè vbique dicebat liberè, & comparebat in festis, & nihil

nihil in occulto loquebatur. Ioannis decimo quarto: Ego palàm loquutus sum mundo, filiùmque dei se nominabar, & lucem, & viam, & ostium, adhibiro etiam Moyse in testimonium.

Respondit eis Iesus: Loquor vobis, & non creditis. Opera que ego facio in nomine patris mei, hæc testimonium perhibent de me. Sed vos non creditis, quia non estis ex ouibus meis. Oues mea uocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me: & ego uitam æternam do eis, & non peribunt in æternum: & non rapiet eas quisquam de manu mea. Pater meus quod dedit mihi, maius omnibus est: & nemo potest rapere de manu patris mei. Ego & pater unum sumus. Sustulerunt ergo lapides Iudæi, ut lapidarent illum.

Chrysothomus: Christus dei sapientia sic responsum temperat, vt calumniæ locus non sit, & fidelibus appareat, quòd ipse verè sit Christus ille filius dei. Prouer. 21. Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra dominum. Quid opus, inquit, fuerit de me ipso qui sim, me toties profiteri, præsertim quum si profitear, arrogantiam interpretemini, veri testimonium? Ioannis. 8. Tu de te ipso testimonium perhibes, testimonium tuum non est verum. Nullum certius argumentum quam ex factis. Opera quæ facio, omnem creatam potestatem excédentia, non vt aduersarius dei, sed in nomine patris mei, in gloriam dei, non recipitis: quomodo nudis verbis crederetis? Hæc ergo si videntur digna deo, credite me misum ab eo. Chrysoth. Simulabant se solo verbo suaderi, qui tot operibus non sunt suasi: idè eorum arguit malitiam. Sed vos, inquit, nec dictis, nec factis meis creditis, cuius rei non sum ego causa, sed vester animus infyncerus, minimèque simplex. Qui simplici sunt animo, nullaq; mundi huius malitia vitiatò, credunt verbis meis, ac velut oves agnoscunt boni pastoris vocem. Ostèdit q; suo vitio credere noluerunt, simulq; quibus notis suæ agnoscantur oves, quidq; emolumentum ex ipso percipiant. Non enim est omnium fides. 2. Thess. 3. Haber enim diabolus

*Duo Christi
sunt greges.*

oues suas oues nomine, sed reuera hirci. Ezechi. 34. Ecce ego iudico inter pecus & pecus arietum & hircorum. Habet autem duos greges, vnum in hoc mundo: Matth. Attendite à falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces, 2. Corint. 11. Ipse enim satanas transfiguratur se in angelum lucis. Alterum in inferno. Psal. 48. Sicut oues in inferno positi sunt, mors depascet eos. Ne ergo cum his pereas, fuge ad caulas ecclesiae per poenitentiam, d. Psal. 118. Erraui sicut ouis quae periit, quare seruum tuum, quia mandata tua non sum oblitus, Luc. 19. Venit enim filius hominis quærere & saluum facere quod perierat. Audiunt oues meæ vocem meam, & obsequuntur. Psalm. 94. Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra. Sic pharisaei audierunt & spreuerunt. Atque ego vicissim illas, licet humiles iuxta mundum, pro meis agnosco. Psalm. 1. No- uit dominus viam iustorum. Contrà, malos operarios ignorat, Matth. 7. Amen dico vobis, nescio vos. Discedite à me omnes qui operamini iniquitatem. 1. Corinti. 14. Ignorans ignorabitur. Sequuntur me pastorem verum. Inter omnia animantia ouis innocentior est, ita decet esse Christianum, non reluctari, non sequi alterum, non disquirere cur pastores ita præcipiant, sic dirigant: satis illi fuerit vt pastoris vocem sequatur, luporum declinet insidias, Matthæ. 16. Qui vult venire post me, adneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Galat. 5. Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis suis. Ostendit quantum bonum assequamur per eum, nempe vitam æternam. Aug. Bona pasqua vita æterna dicitur, vbi nulla herba arefcit, sed totum viret. 1. Pet. 1. Benedicteus deus & pater domini nostri Iesu Christi, qui secundum misericordiam suam magnam, regenerauit nos in spem viuam per resurrectionem Iesu Christi ex mortuis, in hereditatem incorruptibilem, & incoartaminatam, & immarcescibilem, conseruatam in caelis, in vobis qui in virtute dei custodimini per fidem in salutem, paratam reuelari in tempore nouissimo. Neque interire poterunt qui seruatorem habent deum. Sapient. 3. Iustorum animæ in manu dei sunt, & non tanger illos tormentum mortis: visi sunt oculis infi-

*Omnium laus
& officium.*

pietium mori, illi autem sunt in pace. Et si coram hominibus tormenta passi sunt, spes illorum immortalitate plena est. Ro. 8. Diligentibus deum omnia cooperantur in bonum. Si quis verò ex ordine ouium exciderit, & nõ secutus fuerit pastorem, suo vitio statim peribit: Nam vi quidem & tyrannide nullus potest auertere à deo, deceptione autem quotidie supplantatur. Oues simplices sunt, innoxii, imbelles, omnibus huius mundi præditiis destituta. In has mundus defæuier, & omnibus suis machinis ac viribus insurget, sed nulla futura est tanta sacra- næ potestas, vt eas rapiat è manibus meis. Quicquid mû- dus molietur: cedit in bonum ouium, & in gloriam patris. Augustinus: Securus est de earum numero, qui pro eis quid dederit nouit. Vnicum illud præsidium, quod mihi ad tuendas oues meas dedit pater, maius ac potentius est omnibus, quibus mundus coarctetur in me meo- que. Augustinus: Nõ enim crescendo, sed nascendo æqualis est, qui semper natus est de patre filius, de deo Deus. Dedit ergo illi esse mediatorem dei & hominũ. Timor. 2. & vt sit vnigenitus filius. Heb. 1. Cui enim dixit aliquando angelorum, filius meus es tu, ego hodie genui te? Psalm. 2. nec natura dissimilis, nec virtute inferior, nec tempore posterior. Hoc maius omnibus est. Quoniam autem nulla potestas mundi tanta est, vt quicquam ex illius manibus extorquere possit. Hierem. 49. Quis similis mei? & quis sustinebit me? & quis est pastor qui resistat vultui meo? Psalm. 75. Tu terribilis es, & quis resistet tibi? qui nutu potest omnia. Psalm. 113. Omnia quæcunque voluit dominus, fecit. Sap. 12. Tu autem dominator virtutis cû magna tranquillitate iudicas, & cum magna reuerentia disponis nos. Subest enim tibi, cum volueris, posse. Neque ergo de manu mea, quum inter patrem & me, sicut est absolutissimum potestatis consortium, ita summus est voluntatis consensus. Prorsus enim vnum sumus in substantia, potestate, & voluntate. Augustinus: Vtrunque audi, vnum sumus, vnum dixit, liberauit te ab Arrio: quod dixit, sumus, liberauit te à Sabellio. Si vnum, ergo non duo: si sumus, ergo pater & filius & spiritus sanctus. *secundo & primo* Ioannis quinto: Tres sunt qui testimonium dant *Sabellio.* in celo: pater, verbum, & spiritus sanctus: & hi tres vnũ

*Arrii cõ-
fessio*

sunt. Lapidea corda ad lapides currunt, sed nemo tamen imperiit illum, quod nondū venisset tempus, quo decreuerat extrema pati pro salute generis humani. Act. 7. Dura ceruice & incircuncisi cordibus & auribus, vos semper spiritui sancto resististis.

³ Respondit eis Iesus: Multa bona opera ostendit uobis ex patre meo: propter quod eorum opus me lapidatis: Responderunt ei Iudaei: De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia: & quia tu homo quum sis, facis te ipsum deum. Respondit eis Iesus: Nonne scriptum est in lege uestra, Quia ego dixi, dii estis? Si illos dixit deos, ad quos sermo dei factus est, & non potest solui scriptura: quem pater sanctificauit & misit in mundum, uos dicitis quia blasphemias: quia dixi, filius dei sum? Si non facio opera patris mei, nolite credere mihi: si autem facio, & si mihi non uultis credere, operibus credite, ut cognoscatis & credatis, quia pater in me est, & ego in patre.

Pergit autem dominus hanc eorum insaniam placidis uerbis corrigere. Neque enim manifesta dissimulanda sunt crimina, ne peccati reus, & conscius alieni arguaris. Esa. 58. Clama, ne cesses quasi tuba exalta uocem tuam, & annuncia populo meo scelera eorum, & domui Iacob peccata eorum. Si lapidatur beneficus, quid fiet scelerosus? Multa bona opera doctrinae, sanationum, ostendit uobis ad gloriam dei. Bis hoc facto deliquerunt, quia iuris ordine praetermisso, etiam si iustam fingant causam. Nam poena omnis officio iudicis exequenda est. Romano. 13. Non enim sine causa gladium portat, dei enim minister est, vindex in iram ei qui male agit. Secundo, quia contra iura & leges gratitudinis, mala pro bonis rependunt. Nam reddere bonum pro bono, natura est. Mat. 5. Si enim diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? Nonne & publicani hoc faciunt? Luc. 6. Si benefeceritis his qui uobis benefaciunt, quae uobis est gratia? Si quidem & peccatores hoc faciunt. Bonum pro malo, id euangeli-

eum. Matth. 5. Benefacite his qui oderunt uos. Malum pro malo, Iudaicum Leui. 24. Oculum pro oculo, dentem pro dente restituet. Sed malum pro bono, id impiissimum. Hier. 18. Nunquid redditur pro bono malum? Psal. 34. Retribuebant mihi mala pro bonis. Sed quid tandem? Pro. 17. Qui reddit malum pro bonis, non recedet malum de domo eius. Sapient. 16. Ingrati spes tanquam hybernalis glacies tabescet, & disperiet tanquam aqua superuacua. Iudaei tandem huc prouocari, ut vel crimen proferrent, vel amentiam suam agnoscerent, ne nihil praetexerent suae insaniae: Non, inquit, ob beneficia, sed ob immanissimum scelus blasphemiae, atque hac in re legis auctoritatem sequimur, quae iussit huiusmodi saxis obrui, Leui. 24. Dominus autem intentum crimen sic a se repulit, ut illorum ferocitatem uerbis atrocioribus non irritaret, & nihil de secus sibi vindicaret quod negari non potuit scripturae testimonio. Non solum illos, inquit, ad quos sermo dei factus est, filios dei appellat lex, sed deos, non laesa tamen unius dei maiestate, nec falsum esse potest quod diuinis literis proditum est, Psal. 81. quomodo mihi blasphemiae crimen intenditis, quod me quem pater unice sanctificauit (Luc. 1. Quod nascetur ex te sanctum, uocabitur filius dei) ac misit in mundum, ut per illum omnes sanctitatem assequerentur, dixerim filium dei? Moyse ait deus, Exo. 7. Ecce constitui te deum Pharaonis. Uultis scire aequalitatem cum patre? a substantia non potestis scire, impossibile est enim scire substantiam dei. Ioan. primo, Deum nemo uidit unquam. Matth. undecimo, Nemo nouit filium nisi pater, neque patrem quis nouit nisi filius, & cui uoluerit filius reuelare. Caeterum ex ipsis factis magis conuenit aestimare. Si quae facio, non uidentur esse homine maiora, si non diuinae uirtutis specimen habent, nolite credere quod sim filius dei, quod mihi per omnia cum illo conueniat. Quod si uideritis deum patrem in me proferentem uirtutem suam, si dicitis meis fidem habere non uultis, certe factis ipsis quae uideritis oculis, credite, & arrogans habear, nisi longe plus praesto, quam mihi uerbis sumo. Ea si synceris animis perpenderitis, fiet ut uerbis quoque meis fidem habeatis, non amplius dubitaturi, quin pater in me sit, &

ego in patre, quod uterque alteri indiuidua societate co-
hæreat, dum ille per me quicquid vult operatur, & ego
ab illius exemplo iussuque nusquam recedo: ut qui mi-
hi credit, illi credat: qui mihi repugnat, illi repugnet. Lu.
decimo: Qui me spernit, spernit eum qui misit me. Ioan.
duodecimo: Qui credit in me, non credit in me, sed in eū
qui misit me. Nam per circumincessionem atque essentia
identitatem & maiestatis aequalitatem & unitatem, &
pater in filio, & filius in patre est, vti nam & nos sola ad-
optione, non natura, aliquando verè dicere possemus: Pa-
ter in me est, filius quoque & spiritus sanctus. Nam lon-
ge à peccatoribus salus, Psal. 118. Deus verò charitas est,
& qui manet in charitate, in deo manet, & deus in eo,
prima Ioannis quarto.

*Quærebant ergo eum apprehendere, & exiit
de manibus eorum: & abiit iterum trans Iordanem, in
eum locum ubi erat Ioānes baptizans primum: & man-
sit illic. Et multi uenerunt ad eum, & dicebant: quia Io-
annes quidem nullum signum fecit. Omnia autem quæ-
cunque dixit Ioannes de hoc, uera erant. Et multi credi-
derunt in eum.*

Itaque quū satis illic docuisset, cessit ad tempus imme-
dicabili malorum uasania, sua absentia illorum morbū
mitigare volens. Sececit autem inuitis illis, monstrans
quod neque in cruce derentus fuisset, nisi sponte se tradi-
disset. Transmisso autem Iordane, rediit ad eum locum
ubi Ioānes primum cœperat baptizare. Multi uenerunt
ad eum ob testimonium Ioannis, cui non leuis erat apud
Iudæos autoritas, partim ob sermones diuinæ sapien-
tiæ plenos, partim ob facta diuinam uirtutem testantia,
credentes ipsum Messiam, phariseis & sacerdotibus in
sua malitia persistentibus. Christo enim reserua erant
signa. Esaiæ trigesimo quinto: Deus ipse ueniet, & salua-
bit nos. Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdo-
rum patebunt: tunc saliet sicut ceruus, claudus, & aperta
erit lingua mutorum. Hinc concludebant, Christum Io-
annē maiorem, quasi dicat: Si illi credidimus qui nullum

unquam fecit signum, multò magis ei qui tot & tanta
operatus est signa. Ioannis. 7. Christus quum uenerit,
nunquid plura signa faciet, quàm quæ hic facit?

DE RESCITATIONE

Lazari.

ARTICVLVS XX.

ERat autem quidam languens Lazarus à Bethania, ^{Ioan. 11.}
de castello Mariæ & Marthæ sororum eius. Maria ^S
autem erat quæ unxit dominum unguento, & extersit
pedes eius capillis suis, cuius frater Lazarus infirmaba-
tur. Miserunt ergo sorores eius ad eum, dicentes. Domi-
ne, ecce quem amas, infirmatur. Audiens autem Iesus, di-
xit eis infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloria
dei, ut glorificetur filius dei per eam. Diligebat autē Ie-
sus Martham, & sororē eius Mariā, & Lazarū. Ut ergo
audiuit quia infirmabatur, tūc quidē mansit in eodē loco
duobus diebus. Deinde post hæc dicit discipulis suis: E-
amus in Iudæā iterū. Dicunt ei discipuli: Rabbi, nūc quæ-
rebāt te Iudæi lapidare, & iterum uadis illuc? Respondit
Iesus: Nōne duodecim sunt horæ diei: si quis ambulauerit
in die, non offendit, quia lucē huius mundi uidet: si au-
tē ambulauerit in nocte, offendit: quia lux non est in eo.
Hæc ait, & post hæc dicit eis: Lazarus amicus noster
dormit, sed uado ut a somno excitem eū. Dixerunt ergo
discipuli eius: Domine, si dormit, saluus erit. Dixerat au-
tem Iesus de morte eius, illi autem putauerunt quia de
dormitione somni diceret. Tunc ergo Iesus dixit eis
manifestè: Lazarus mortuus est, & gaudeo propter
uos ut credatis: quia non eram ibi, sed eamus ad eum.

Q. iij

Dixit ergo Thomas qui dicitur didymus, ad condiscipulos: *Eamus & nos, & moriamur cum eo. Venit itaque Iesus, & inuenit eum quatuor dies habentem in monumento. Erat autem Bethania iuxta Hierosolimam quasi stadiis quindecim. Multi autem ex Iudeis uenerant ad Martham, & Mariam, ut consolarentur eas de fratre suo. Martha ergo ut audiuit quia Iesus uenit, occurrit illi. Maria autem domi sedebat.*

Inter omnia Christi miracula quod maxime prædicatur.
In Lazari Sororibus quid imitandum.

Quam operosa vera sit fides, quæ animæ vitam præstat, & finaliter æternam in resurrectione gloriam, ostendit. Mox ergo offertur occasio, per quam maxime reddetur illustris Christi patrisque gloria, simul & ad homicidium irritaretur pharisæorum malitia. Aug. Inter omnia miracula quæ fecit Christus, Lazari suscitatio maxime prædicatur. sed si attendamus quis fecerit, delectari potius debemus quam mirari. Ille suscitauit hominem, qui fecit hominē. Plus est hominem creasse, quàm suscitasse. Erat autem languens morbo naturaliter in curabili. Porro Maria erat illa, qui insigni amoris erga Iesum testimonio vnixerat eum. Harum sororum studium imitari debemus, alterius respicientiam, ut Lucas testatur, Luc. 7. & alterius hospitalitatem, Lucæ. 10. Nunciant autē morbum, non dubitantes quin pro sua mirifica in omnes humanitate, amico periclitanti succurreret. Aug. Nō dicunt, veni & sana: nec ausæ sunt dicere, ibi iube, & hic fiet: sed tantum, ecce quem amas, infirmatur. Sufficit tibi quod noueris, non enim amas & deseris. Prouer. 17. Omni tempore diligit qui amicus est. Amanti tantum denūcian dum fuit. Hugo. Defectus insinuatō, species est orationis. Chrysost. Vt, non causale est, sed euentus. Nam aliud quidem euenit infirmitas, sed per diuinam prouidentiam ad dei gloriam ordinabatur, & Christi cognitionem. Non ergo deo præscribendus auxiliandi modus, Ipse enim cognouit signum nostrū, Psal. 102. sed dicendum: Fiat voluntas tua, Mat. 6. & 16. Amabar enim Iesus Martham & Mariam, harūmq; fratrem Lazarum, & tamē hunc Iesus passus est in morbum, atque etiam in mortem incidere, ne nobis indignū videretur, si quādo boni, verē-

que pietatis cultores, huius mundi calamitatibus affliguntur, deo veluti dissimulante: vel quia expedit illis qui patiuntur, vel quia sic conducit ad illustrandā dei gloriam, non quod deus humanis malis procuret suam gloriam, sed quod mala quæ nobis iuxta conditionis humanæ legem, casuue obueniunt, vel in nostram salutem, vel in suam gloriam hominum causa vertere soleat. Distulit autem auxilium, quod illustrius esset miraculum. Chryso. Prædixit discipulis hic præter consuetudinem quod iturus esset, sciens in de ipsos terrēdos, ne repentina abitione turbarentur, si abducerentur in regionem quam timebant. Hinc audito nomine Iudææ, discipuli memores quādam esset atrox pharisæorum in illum odium, & quoties sustulissent in illum lapides, quoties conati fuissent in illum manus iniicere: non solum domino metuebant, verūm multo magis sibi ipsis. Nondum enim induti erant virtute ex alto, Luc. 24. spiritus sancto confortati, & Iesum humano quodā affectu prosequerentur, ipsi quoque ob imbecillitatē à morte abhorrentes. Si enim perfectam fidem in ipsum habuissent, nec ipsi, nec sibi timuissent, quia dei virtus, & dei sapientia. 1. Corin. 1. Hier. 20. Dominus autem mecum est tanquam bellator fortis: idcirco qui persequuntur me, cadent, & infirmi erunt & confundentur vehementer, quia non intellexerunt opprobrium sempiternum, quod nunquam delebitur. Orig. Cū vellent dare consilium homines deo, discipuli magistro, corripuit eos, d. Sicut horæ mutabiles sunt, sic & affectiones. Aenigmate formidinem illorum consolatus est, significans nihil esse metuumdum iis qui Christo adhærent, qui lux est mundi. Ioan. 8. Ego sum lux mundi, qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ. Si quis ergo videns lucem, non offendit, multo magis qui Christo adhæret, nisi ab eo defecerit, non offendit. Sic luce gratiæ priuati, impingunt in peccato. Prou. 4. Via peccatorum tenebrosa, nesciunt quod currunt. Ideo. 1. Ioā. 2. Qui odit fratrem suum, in tenebris est, & in tenebris ambulat, & nescit quod eat, quia tenebræ obcæcauerunt oculos eius. Hinc admonet apostolus, Ephē. 5. Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in domino. vt filij lucis ambulate. Chry. Nimis carnaliter a-

ambulate. Chry. Nimis carnaliter amabāt, quare amittere nolebant, & ideo aduentum ipsius in Iudæam impedire nolebāt, carnaliter verbū ipsi accipiētes. Nā egrotis somnus esse solet reditura sanitatis indicium. Maluit autē dominus primū dormire quā mortuū dicere, vt iuxta sacra scripturæ cōsuetudinē ostēderet spē resurrectionis. 1. Thef. 4. Nolumus vos ignorare fratres de dormientibus, vt non cōtristemini, sicut & ceteri qui spem nō habēt. Si enim credimus qd̄ Iesus mortu⁹ est & resurrexit, ita & de⁹ eos qui dormierūt per Iesum, adducet cū eo. Aug. Nemo tam facilē excitat in lecto, sicut Christus in sepulchro. Secūdo ob dulcedinē requiesionis. Ap. 14. Amōdō iā dicit spūs, vt requiescāt à laboribus suis. Nam mali etī corpore, nō tamē anima requiescūt vsque in diē iudicij. Esaiā. 66. Vermis eorum nō morietur, & ignis eorū nō extinguetur. Tertiō, ob meliorationē immutationis. Sōnus enim præstat reformationem viriū, & releuamē naturæ, quare post somnū homo melior redditur. 1. Cor. 15. Seminatur in corruptione, surgit in incorruptione. Seminatur in ignobilitate, surgit in gloria. Seminatur in infirmitate, surgit in virtute. Seminatur corp⁹ animale, surgit corpus spirituale. Quoniam autē responderat iis qui morbum amici nunciauērant, nō esse letalem, sed in hoc accidisse, vt per eū illustraretur gloria dei ac filij ipsius, simile quiddā indicat discipulis: gau deo, inquiens, quod illic nō adfuerim, dū amicus ægrotat ac moritur, idque vestra causa, vt vestra fiducia (quā adhuc inbecillē video) cōfirmetur euidentiori miraculo. Semper enim fides eorum & sermonibus, & miraculis augebatur. Luc. 17. Domine, inquiunt, adauge nobis fidē. Thomas qui Græcis dicitur Didymus, latine geminus, ceteris imbecillior, vel domini in consultam notare volens constantiam, ex fidei imperfectione, ait: Eamus & nos, si sic certum est, vt moriamur cum illo, quandoquidem hæc illi sedet sententiā, sese suscipere in manifestū vitæ periculum adducere, quum liceat vitæ periculumque incolumitati consulere. Nihil tamen prohibet sic accipere, vt animi constantis sint verba, & ad conuincendum exhortantis. q. d. Gloriosus cum ipso moriemur, quā eō relicto deliciemur. Sic & Petrus ait, Lu. 22. Domine, tecum paratus sum & in carcerem, & in mortē

*Thomas dicitur
geminum quā
dixerit se accipere
queat.*

ire. Imō & omnes commori pollicebantur, Matthæi. 26. Sed dominus neque ob discipulorum turbationem vel timorem, nec propter eorum amorem omisit, quod ex pietate facere decreuerat: docens nos in iis quæ dei honorē & animarum spectant salutem, amorem, ac timorē cuiuscunque postponere. Inuenit quatuor dierum mortuum. Differt nonnunquā consolationem deus, quō instantius requiratur. P. sal. 39. Expectans expectaui dominum, & intendit mihi. Et exaudiuit preces meas. Abac. 2. Si mortam fecerit, expecta illum: quia veniens veniet, & non tardabit. Aberat autem Bethania ab Hierosolymis stadiis plus minus quindecimo: atque hinc discipulis illa formido, atque hic etiam occasio, quæ fecit vt miraculum plures haberet testes, & spectatores. Venerāt enim multi ad consolandum eas, quod charitatis est, & humanitatis officium. Sic David misit ad cōsolandum Hanon super morte patris sui Naas, quanquam ipse in malum similitudinē abusus fuerit. 2. Reg. 10.

Dixit ergo Martha ad Iesum: Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus. Sed et nunc scio, quia quæcunque poposceris à deo, dabit tibi deus.

Ostendit non in præsentibus & transitoris, sed in futuris & permanentis, fecilitatem collocandam, & quibus & per quem contingat. Transit enim mundus & concupiscentia eius. 1. Ioan. 2. Et nos cum mundo. Iob. 14. Homo natus de muliere, breui viuens tempore, repletur multis miseris: Qui quasi flos egreditur & conteritur, & fugit velut umbra, & nunquam in eodem statu permanet. Hæc quā verum sit, miseri quotidie experimur, nē dum secundum corpus quod corrūpitur. 2. Reg. 14. Omnes morimur, & quasi aquæ dilabimur in terrā: quæ non reuertuntur: sed etiam secundum animam, quæ variis ducitur affectionibus, nunc deo, nunc mūdo adhærens. Deo autē adhærens, vitam habet. Deu. 30. Elige ergo vitā, vt & tu viuas, & semen tuum post te, & diligas dominum deum tuū, atq; obedias voci illius, & illi adhærsa. Vnde enim mors & corporis & animæ atq; gehennæ, nisi ex inobedientia primorum parentum, quia dereliquerunt deum?

Roma. 5. Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors. Gene. 3. Quia audisti vocem vxoris tuæ, & comedisti de ligno, ex quo præceperat tibi ne comederes, maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ: spinas & tribulos germinabit tibi, & comedes herbas terræ: in sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec reuerteris in terram de qua sumptus es: quia pulvis es, & in puluerem reuerteris. Hinc Eccl. 40. Occupatio magna creata est omnibus hominibus, & iugum graue super filios Adam à die exitus de ventre matris eorum, vsque in diem sepulturæ in matrem omnium. Quare hoc? Sapien. 1. Quoniam deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione viuorum. Creauit enim vt essent omnia, & sanabiles fecit nationes orbis terrarum: & non est in illis medicamentum exterminij, nec inferorum regnum in terra. Iustitia enim perpetua est & immortalis, iniustitia autem mortis est acquisitio. Impij autem manibus & verbis accerserunt illam: & astimantes illam amicam, defluerunt, & sponsones posuerunt ad illam: quoniam morte digni sunt, qui sunt ex parte illius. Hoc est quod dominus conqueritur, Hier. 2. Duo mala fecit populus meus: me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ continere nõ possunt aquas. Aquæ viuæ, inquit, Ioan. 4. Qui biberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet in æternum: sed aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. Psal. 35. Domine, apud te est fons vitæ. Sine hac aqua necesse est ardescere, & tandem emori. Ideo Psal. 72. Mihi autem adherere deo bonum est, ponere in domino deo spem meam. Martha ergo fratris solatio destituta, audiens domini aduentum occurrit illi humiliter & deuote ex reuerentia & amore. At quum in conspectum Iesu venit, nonnulla spe bona concepta de fratre reuocando ad vitam, stebilis voce dicit illi: Domine, & cætera. Nã facile morbum depulisses, quanquam ne nunc quidem res est omnino extra spem, Scio enim quod quicquid à deo poposceris, nihil tibi sit negaturus, etiã si mortuo sepultoque vitam poposceris. Nouerat precibus Heliam filium mulieris suscitasse. 3. Reg. 17. Similiter Helisæum

filium Sunamitidis. 4. Reg. 4. Vnde secundum Chrysoft. fidem habuit in Christum, sed non quantam debuit. Nam tanquam virum quandam virtute præditum & deo probatum, habuit. Vnde non dixit, quæcunque volueris: quia quod deus esset qui solo imperio posset ad vitam reuocare mortuos, non erat ita illi comprobatum, & maxime talem. Credidit tamen virum potentem in opere & sermone, sicut discipuli, Luc. 24. & preces ipsius efficaces apud deum. Hoc & nos consolatur, quia interpellat pro nobis, Rom. 8. & 1. Ioan. 2. Si quis peccauerit, aduocatum habemus apud patrem, Iesum Christum iustum: & ipse est propitiatio pro peccatis nostris, & non pro nostris tantum, sed etiam pro totius mundi. Sed & nobis pollicitus est, Ioan. 15. Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint, quodcunque volueritis, petetis, & fiet vobis. Quum ergo omnes fideles vnum corpus sint in Christo, Ephe. 1. Et ipsum dedit caput super omnem ecclesiam, quæ est corpus ipsius. & Rom. 12. Multi vnum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra. 1. Corin. 12. In idipsum pro inuicem sollicita sint membra. Et si quid patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra: siue glorificatur vnum membrum, congaudent omnia membra. voluit deus vt non solum pro nobis, sed etiam pro aliis diuinam imploremus clementiam. Vnde Mat. 5. Orate pro persequentibus & calumniantibus vos. Iac. 5. Orate pro inuicem vt saluemini. Sic ecclesia pro defunctis deum interpellat. August. Orationibus verò sanctæ ecclesiæ, & sacrificio salutari, & elemosynis quæ pro defunctorum spiritibus erogantur, non est dubitandum mortuos adiuari, vt cum eis misericordius agatur à domino, quam eorum peccata meruerunt. Illis autem prodesse, qui autem mortem ita vixerint, vt possint eis vtilia esse hæc post mortem. Nam qui sine fide per dilectionem operante cuiusque sacramentis de corporibus exierunt, frustra illis à suis huicmodi pietatis officia impenduntur, cuius dum hic essent, pignore caruerunt, vel non suscipientes, vel in vanum suscipientes dei gratiam, & sibi non misericordiam, sed iram thesaurizantes, Roma. 2. Prouer. 11. Mortuo homine impio, nulla erit vltra spes. Verum illi vti que ab-

Orationibus ecclesiæ qui defuncti subleuantur.

Iuunt spiritus mortuorum, qui orationes, oblationes, & rogationes multo feruentius obseruant, & pro eis impendunt, qui suos carne, non spiritu mortuos, non solum carnaliter, sed & spiritualiter amant. Hinc & tempore synagogæ, precibus & oblationibus defunctis subuenire studebant, vt pater. 2. Mac. 12. Aug. ser. 4. ad fra. in e. re. Defunctis cum omni diligentia misereri & subuenire debemus & studeamus, attendentes quid iudas Machabæus fecerit. Dixitque enim, quod sancta & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur. 2. Mac. 12. Qui ergo contrarium aut docent, aut sentiunt, non ecclesiæ filios, imò nec synagogæ quondam, sed satanæ qui mendax est & pater eius, clarè ostendunt. Ioh. 8. Cùm loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax est, & pater eius.

Dixit illi Iesus: Resurget frater tuus. Dixit ei Martha: Scio quia resurget in resurrectione in nouissimo die.

Iesus igitur quò illius fiduciam confirmaret, fratrem resurrecturum promissit. Verebatur autem Martha, ne quemadmodum nunciis respondens morbum non esse capitalem, ambiguo responso fefellerat: ita nunc quoque lateret aliquid in illius verbis, quod spem illius illuderet. Scio, inquit, quod frater meus reuicturus sit, sed in nouissimo die, quum resurgemus omnes. Sciebat enim & ultimam resurrectionem futuram ex diuinis scripturis, & in primis ex continuis Christi sermonibus resurrectionis. O felicissimè verbum, quo contra omnem inimici potestatem roboramur. Nunquam ergo desperandum, etsi omnia humana præsidia destituant. Non enim erit impossibile apud deum omne verbum, Luc. 1. Hac spe primi parentis animū deiectū subleuauit, quum sopore immisso, vidit ecclesiam Christo iungendam, & per ipsum glorificandam. Vnde muliere de costâ lateris sui formata, euigilās, ait Gen. 2. Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea: quam obrem relinquet homo patrem suum & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne vna. Eph. 5. Sacramentum hoc, magnū est, ego autem dico in Christo & ecclesiā. Hac Abraham filium

suum Isaac, in cuius semine benedicendæ erant omnes gentes, ad diuinum præceptum immolare voluit, Gen. 22. plenissimè sciēs quia quæcunque promittit deus, potens est & facere, Romanorum. 4. Hac Iob confirmatus, ait Iob. 13. Etiam si occiderit me, in ipso sperabo. Causam suæ spei subdit Iob decimonono: Scio enim quod redemptor meus viuuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum, & rursum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo deum. Quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspiciuntur sunt, & non alius. Reposita est hæc spes mea in sinu meo. Hinc tertius septem fratrum, qui ob legem dei ab Antiocho trucidabatur, linguam postulat, citò protulit, & manus constanter extendit, & cum fiducia ait: E caelo ista possideo, sed propter dei leges nunc hæc ipsa despicio, quoniam ab ipso me ea recepturum spero. Hæc vnica est spes, quæ fidelium animos ob mortē amicorum cōtristatos solatur. vnde Aug. Admonet Apost. vt de dormientibus, hoc est, mortuis charissimis nostris, non contristemur, sicut ceteri qui spem non habent (1. Thes. 4.) resurrectionis & incorruptionis æternæ: Quare & dormientes in scripturis nominantur, vt euigilatuos minimè desperemus. Est ergo de mortuis quædam tristitia eis qui diliguntur, quodammodo naturalis. Mortem enim horret non opinio, sed natura: nec huiusmodi mors accederet, nisi ex pœna quam præcesserat culpa. Romanorum. 5. Vnius delicti mors regnauit per vnum. Contristamur ergo nos in nostrorum mortibus necessitate amittendi, sed cum spe recipiendi: Inde agimur, hinc consolamur: inde dolet humana conditio, hinc sanatur diuina promissio. Vnde Actuū. 8. Curauerunt autem Stephanum viri timorati & fecerant planctū magnum super eum. Hinc de Abraham dicitur Genes. 12. Mortem in genitum mortuos non esse se leuem. Venitque Abraham vt plangeret & fletet eam. i. Saram. Aegyptij mortem Iacob steterunt. 70. diebus, Gen. 50. Vbi obserua & apud gentes tempus luctus mortui naturaliter. Eccl. 38. Fili, in mortuum produc lachrymas, & quasi dira passus incipe plorare, & secutum iudicium contege corpus illius, & non despicias sepulturam illius. Eccl. 22. Luctus mortui septem dies. Gen. 50. Venerunt ad arcam Acad, quæ sita est trans Ior-

Fidelibus defunctis non subueniendum dicentes. Satana filios esse.

Mortuorum dormientes.

Mortem in genitum mortuos non esse se leuem.

danem, vbi celebrantes exequias planctu magno atque vehementi impleuerunt septem dies, scilicet Ioseph cum fratribus super patre suo Iacob. Num. 20. Omnis autem multitudo videns occubuisse Aaron, fleuit super eo triginta diebus, per cunctas familias suas. Deute. 34. Eleueruntque eum filij Israel (Moysen) in campestribus Moab triginta diebus, & completi sunt dies planctus lugentium Moysen. Augustinus: Permittantur ergo pia corda de charorum suorum mortibus contristari dolore sanabili, & consolabiles lachrymas fundant conditione mortali, quas citò reprimat fidei gaudium, qua creduntur fideles quando moriuntur, paululū à nobis transire, & ad meliora peruenire. Vnde de martyribus ait Apostolus, Heb. 3. Alij dissentiunt, non suscipiētes redemptionem, vt meliorem inuenirent resurrectionem.

Dixit ei Iesus: Ego sum resurrectio & vita. Qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, uiuet: & omnis qui uiuit & credit in me, nō morietur in aeternum. Credis hoc? Ait illi: Vtique domine. Ego credidi: quia tu es Christus filius dei uiuū, qui in hunc mundum uenisti.

Iesus igitur quò mulieris de se fiduciam & opinionem paulatim ad maiora prouehat, seque declarat eum esse qui non solum à deo possit precibus impetrare vitam mortuo (quod & ab alijs sanctis uiris factum legebatur) sed ipsum esse fontem simul & autorem omnibus vitæ & datæ, & reddendæ, nec vllam mortem metuendam iis, qui fiduciam & spem in ipso collocassent: propterea quòd etiam si mors occideret, nihil possit lædere fonti omnīs vitæ adhærentem. Ego enim sum, inquit, ipse resurrectionis & vitæ fons: quare sicut tunc resuscitare possum, sic & modò. Nec etiam quisquam uiuit nisi dono meo, neque quisquam reuiuifcet nisi per me. 1. Corin. 15. Quoniam quidem per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum: & sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes uiuificabuntur. Et non solum iuxta mortem corporis, quæ non magnopere formidanda est, sed & iuxta mortem animæ, quæ maximè metuenda est. Nam anima quæ uiuit, per me uiuit: & quæ reuiuifcet,

per me reuiuifcet. Vnde dicitur Dani. 12. Multi de iis qui dormiunt in terræ puluere, euigilabunt, alij in vitam æternam, alij in opprobrium, vt videant semper. Ideo impij non dicuntur propriè resurgere, quia non ad vitam. Psalm. 48. Sicut oues in inferno positi sunt, mors depascet illos. & Psalm. 1. Ideo non resurgunt impij in iudicio, neque peccatores in consilio iustorum. Vnde quartus filius ob legem tortus, Antiocho ait: Tibi enim resurrectio ad vitam non erit: Qui mihi per fidem adhæserit, etiam si corpore fuerit mortuus, tamen uiuet: & si mortuus infidelitate, mihi crediderit, uiuet, infidelitatis morte sublata. Ioan. 5. Amen amen dico vobis, quia uenit hora & nunc est, quando mortui audient vocem filij dei: & qui audierint, uiuent. Et omnis qui uiuit & credit in me, non morietur in aeternum. Nam vitam in se habet manentem, quia Christus per fidem habitat in cordibus nostris, Ephe. 3. Igitur quam diu sumus in Christo, manentē in nobis habemus vitam, quæ emori non potest, ut cūque corpus moriatur, ut cūque in puluerem redigatur. Credens enim mortuus, uiuit: sicut non credens uiuens, mortuus est. Mat. 8. Dimitte mortuos sepelire mortuos suos. Apoc. 3. Nomen habes quòd uiuas, & mortuus es. Quòd contra. Sap. 3. Iustorū animæ in manu dei sunt. Visi sunt oculis incipientium mori, illi autem sunt in pace. Sap. 5. Iusti autem in perpetuum uiuent, & apud dominum est merces eorum, & cogitatio eorum apud altissimum. Obserua quod ait, Qui uiuit & credit in me. Chryso. supra illud Ioan. 9. Venit nox, quando nemo potest operari: Quam hoc habet consequentiā? Sanè magnam. Hoc est, donec dies est, dum licet hominibus in me credere, dum hæc durat vita, laborandum est: uenit nox, hoc est, futurum tempus, quando nemo operari poterit. Non dixit, quādo non potero operari, sed quādo nemo operari potest. Augu. Hic omne meritum constatur, quo post hanc uitā reuelari quisquā possit vel grauari. Nemo speret quod hic neglexit, quū obierit, apud deū promereri. 2. Corin. 5. Oēs nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, siue bonū, siue malum. Ecce iuxta id quod fecit anima in corpore, vel premiū vel supplicium reportabit: quam obrem exuta cor-

Resurrectio an impii propriè ascribatur.

*Alicna
merita mi
nus officia
cuq;
quàm sua.*

*Satisfac
tio in pur
gatorio g
differat ab
ea que hic
fit.*

pore, sibi amplius mereri non potest. Hinc. Hier. super Eccl. 9. Viuētes, metu mortis possunt bona opera perpetrare: mortui verò, nihil habent ad id adicere, quod semel secum tulere de vita. & infra: Sed & dilectio eorū & odium & æmulatio, & omne quod in hoc seculo habere potuerunt, mortis finitur aduentu: nec iuste quippe possunt agere, nec peccare, nec virtutes adicere, nec vitia. Anima igitur ex purgatorio suffragiis liberata viuētium, minus beatur, quàm si per se hic satisfecissent. Satisfacient enim in hac vita pro peccatis in gratia, nam nihil meriti reportat præter ipsam satisfactionem pro pœnæ deletione. Neque enim vllum est opus bonum, quod, si fiat in gratia & charitate, iusta remuneratione frustretur apud deum, apud quem nec iis qui calicem aquæ frigidæ propter deū porrexit, mercede sua carebit, Mat. decimo, Gal. 5. Igitur dum tempus habemus, operemur bonum. Bonum autem faciētes, non deficiamus. tempore enim suo metemus, non deficientes. Satisfactio autē quæ fit in purgatorio, nihil mercedis lucratur, maculas tantum expiatis contenta. Vnde ob id purgatorium dicitur, quod maculæ peccatorum quas in hac vita cōtraxerunt animæ, per pœnarum asperitatem purgantur: quemadmodum aurum ex fornace illud boni consequitur vt purgatum fulgeat. Sic animæ pari modo fulgorem ex fornace purgatorij reportant, sed nihilo maiorem gratiam aut charitatē quàm secum attulerūt. Quod enim illicita voluptate contractum fuit, meritò per molestiam pœnæ deleri debet. Apoc. 21. Non intrabit in eam aliquid coquinatum. Martha tota intenta fratri reuicturo, non admodum apte respondit ad sermonem Iesu, sed tamen in genere professa est quàm magnificè de illo sentiret. Sic & Petrus, Matt. 16. Tu es Christus ille filius dei. Sic hic præteritum pro præsentī ponit, d. Ego credo quia tu es Christus ille qui in hunc mundum venturus erat. 1. Tim. 1. Fidelis sermo, quia Christus Iesus in hunc mundum venit peccatores saluos facere.

3 Et cum hoc dixisset, abiit & uocauit Mariam sororem suam silentio, dicens: Magister adest & uocat te. illa ut audiuit, surrexit citò, & uenit ad eum: Non dum enim uenerat Iesus in castellum, sed erat adhuc

illo loco ubi occurrerat ei Martha. Iudæi ergo qui erant cum ea in domo, & consolabantur eam, quum uidissent Mariam quia citò surrexit & exiit, secuti sunt eam, dicentes, quia uadit ad monumentum ut ploret ibi. Maria ergo cum uenisset ubi erat Iesus, uidens eum, cecidit ad pedes eius, & dixit ei: Domine, si fuisses hic, non esset mortuus frater meus. Iesus ergo ut uidit eam plorantem, & Iudæos qui uenerant cum ea plorantes, infrenuit spiritu, & turbauit seipsum, & dixit: Vbi posuistis eum? Dicunt ei: Domine, ueni & uide. Et lachrymatus est Iesus. Dixerunt ergo Iudæi: Ecce quomodo amabat eum. Quidam autem ex ipsis dixerunt: Non poterat hic qui aperuit oculos cæci nati, facere ut hic non moreretur? Iesus autem rursus fremens in semetipso, uenit ad monumentum. Erat autem spelunca, & lapis superpositus erat ei. Ait Iesus: Tollite lapidem. Dicit ei Martha soror eius qui mortuus fuerat: Domine, iam scetet: quadriduanus est enim. Dicit ei Iesus: Nōne dixi tibi, quoniam si credideris, uldebis gloriam dei? Tulerunt ergo lapidē. Iesus autē eleuatis sursum oculis, dixit: Pater, gratias ago tibi, quoniam audisti me. Ego autem sciebā quoniā semper me audis: sed propter populum qui circumstat dixi, ut credant quia tu me misisti. Hac quum dixisset, uoce magna clamauit: Lazare ueni foras. Et statim prodiit qui fuerat mortuus, ligatus manus & pedes insitis, & facies eius sudario erat ligata. Dixit eis Iesus: Soluite eum, & sinite abire. Multi ergo ex Iudæis qui uenerant ad Mariam, & Martham, & uiderant quæ fecit Iesus, crediderunt in eum.

Vbi Martham iam in spem bonam adduxit, tunc abiit & uocauit sororem suam clanculum. Illa ut audiuit se à dulcissimo magistro, præ omnibus mundi adama-

to vocari, surgit. Tardus autem ibat, ne videretur ad miraculum properare, sed precibus illarum exorat⁹ hoc facere, & ex aduentu Iudæorū cum Maria, miraculum celebrius redderetur. Procidit Maria ad pedes Iesu, non reuerita turbam. Augustinus: Quanto se plus humiliabat, tanto magis de munere diuino percipiebat. Psal. 33. Accedite ad eum, & illuminamini: & facies vestræ non confundentur. Quum autem iam locus adesset, & tempus præstandi quod erat Martha pollicitus, primum in fremitu spiritu, ac semetipsum turbauit, videlicet humanæ naturæ veritatem præ se ferens: mox diuinæ virtutis indicium prolaturus, & indignans peccato & actori peccati diabolo, cuius inuidia mors intravit in orbem terrarum. Sapient. 2. Et turbauit se, quem nullus turbare potuit inuitū, sicut omnia huiusmodi suscepit quia potuit, quia in eius potestate fuit sic affici. Ioan. 10. Potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo iterum sumendi eam. Vnde lachrymatus est, quo humanæ naturæ ostendit veritatem. Hebræo. 2. Debit per omnia fratribus assimilari, vt misericors fieret, & fidelis pontifex ad deum. Secundo, quo affectum ad amicos ostendit non inanem. Vnde Ioseph videns fratrem suum germanum Benjamin, festinauit in domum: quia commota fuerant viscera eius super fratre suo, & erumpebant lachrymæ, & intrans in cubiculum fleuit. Tercio, vt doceret nos terminos & modum tristitiæ ac mœroris ponere. Nam absque compassione & lachrymis esse, bestiarum est: multum autem lachrymari, plorare & contristari, mulierum est. Non ignorans quæriri vbi posuerint, quum præsciuerit mortuum absens: sed vt à miraculo secluderet omnem suspicionem fuci, & quod non proprio motu, sed exoratus miraculum fecerit. Iudæi ergo non intelligentes præcipuam fletus causam, quæ non tam amoris affectu, quam salutis humanæ desiderio processit, dicebant: Clare, si potuisset, eius mortem impediuisset: & si hoc non potuit, qui potuit cæcum natum illuminare? Discamus hoc loci diuersa hominum iudicia de nostris factis sufferre. nunquam enim deerunt calumniatores, quare conandum vt dignè deo ambulemus, offendicula amputantes. Martha malè credula, dixit: iam

fœter, quod quasi impossibile existimaret, propter dierum multitudinem, fratrem suscitari. Iesus ergo mulieris vacillantis fidem obiurgatiuncula suscitavit. Noli inquit, ob temporis diuturnitatem diffidere, quoniam omnia possibilia sunt credenti. Mar. 9. Cunctis igitur ad miraculum nouæ rei suspensis, iussu domini sublatus est lapis, moxque suspensis omnium animis atque oculis, dominus Iesus suspiciens in cælum (vt nos doceret quicquid magnificentum geritur à nobis, ad deum authorem oportere referri, simulque circumstantibus declararet se diuina virtute facere quicquid faceret, & non satanæ commercio, quemadmodum pharisæi calumniabantur) dixit, patri gratias agendo: Semper me audis. Hebr. 5. Exauditus est pro reuerentia sua. vt populus ipsum non dei aduersarium, sed ab ipso missum cognosceret. Origenes: Oculos oraturus eleuat, quia necesse est volenti ad exemplar Christi orare, oculos mentis sursum erigere, & à præsentibus rebus eleuare. Hinc dicimus: Pater noster qui es in cælis. Clamauit voce magna, sicut potestatem & auctoritatē habens. Non enim dixit: In nomine patris mei veni foras, quo se omnibus sanctis declarauit maiorem, qui non imperando, sed orando, miranda per dei virtutem faciunt. Quid enim per potestati huic vnquam? Augustinus: Venit ad monumentum, in quo dormiebat Lazarus, & non tanquam mortuum, sed vt viuum & sanum audire paratum, de sepulchro protinus euocauit. Tunc Iesus, ne quid deesset ad plenissimam miraculi fidem, ait: Soluite &c. Augustinus: Miraris quomodo processit ligatus, & non miraris quomodo surrexit quattuor dies. In utroque potentia dei erat, non vires mortui. Quemadmodum resurrectio ista particularis, ita etiam vniuersalis in momento, in ictu oculi fiet. 1. Cor. 15. Ostendit hoc exemplo dominus, horrendum esse statum hominis iam in peccatis inueterati, quātāque pœnititudine quot lachrymis sit opus, vt per dei misericordiam respiciat ad vitam innocentiam. Homo enim per malitiam occidit animam suam, Sap. 16. Apocalyp. 3. Nomen habes quod viuas, & mortuus es. Sic vidua quæ in deliciis viuit, viuens mortua est. 1. Timo. 5. Primus ergo dies est in cogitatione, qua, data opera, à deo auertimur, cogitantes con-

*Dierum
quib⁹ tacuit*

Lazarus in sepulchro, mystica expositio. filia quæ non possunt stabiliri, Psalm. 20. Sapient. 1. Peruer-
 sæ cogitationes separant à deo. Hier. quarto, vsquequo morabuntur in te cogitationes noxiæ? Laua à malitia cor tuum Hierusalem, vt salua fias. Secundus in operatione. Iaco. primo, Nemo cum tentatur, dicat quoniam à deo tentatur. Deus enim intentator malorum est, ipse enim neminem tentat, Vnusquisque verò tentatur, à concupiscentiâ sua abstractus & illeclus. Deinde concupiscentiâ cum conceperit, parit peccatum: peccatum verò cum consummatum fuerit, generat mortem. Psalm. 7. Ecce concepit dolorem, & peperit iniquitatem. verè dolorem concipit peccator, quanquam ipse hoc aduertere nolit, Hier. nono: vt iniquè agerent laborauerunt. Tertius in consuetudine. Hier. secundo: Quàm vilis facta es, iterans vias tuas. Prouer. 22. Adolefcens iuxta vias suas, etiam cum senuerit, non recedet ab ea, vnde Hier. 13. Si mutare potest æthiops pellem suam, & pardus varietates suas, & vos poteritis benefacere, cum didiceritis malum. Hieron. Hominibus impossibile est, deo possibile, vt nequaquam æthiops & pardus suam videantur mutare naturam, sed ille qui in æthiops & pardo operatur. Phi. 4. Omnia possum in eo qui me confortat. Quartus, Complacentiæ ex inuerecundia. Hier. 3. Fronis mulieris meretricis facta est tibi, noluisi erubescere. Esa. 3. Peccatum suum quasi sodoma prædicauerunt, nec absconderunt, Prouer. 2. Qui latantur cum malefecerint, & exultant in rebus pessimis. Fœtent tales, suo malo exemplo alios corruptentes. Psalm. 5. Sepulchrum patens est guttur eorum. Vnde dominus hypochritis sepulchris comparat dealbatis, Matthe. 23. Quibus ait Matth. 12. Progenies viperarum, quomodo potestis bona loqui, quum sitis mali? Lapis monumento superpositus, obstinatio est. Hier. quinto, Indurauerunt faciès suas supra petram, & noluerunt reueri. Hinc admonet Apostolus, Hebre. tertio, Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra, vt non obduretur quis ex vobis fallacia peccatione carni. Obserua nunc quæ acta sint in suscitatione Lazari. *Lazarus* - Primùm Iesus pulsatus est precibus fororum. Sic primæ *cùstaniae*. Ioannis quinto, Qui scit fratrem suum peccare peccatū non ad mortem, petat, & dabitur ei vita. Secundò, Iesus

turbauit semetipsum, in se videlicet exprimens imaginè rei, quam in nobis oportet exhibere, si velimus à malis quibus diu assueuimus, resipiscere. Multum enim turbari debet, qui oppressus est mole peccati. Tertio lachrymatus est sic quod in nobis viuit, ploret & oret, vt quandoque resurgat quod iacet. Psalm. 108. Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuâ. Quarto iussit lapidem tolli, sic obstinata voluntas non desistendi, Ioannis. 8. Vade, amplius noli peccare, tollèda per confessionem: Alioqui Prouerbiorum. 28. Qui abscondit scelera sua, non dirigetur: qui autem confessus fuerit, & reliquerit ea, misericordiam consequetur. Quinto clamauit voce magna. Ipse enim est qui intus viuificat, cuius vox mortuos tam corpore, quam anima ad vitam reuocare potest. Ioannis. 5. Amen amen dico vobis, quia venit hora & nunc est, quando mortui audient vocem filij dei: & qui audierint, viuent. Vltimò ministris soluendi tribuit potestatem: Augustinus: Quid est, soluite, nisi, Quæ solueritis super terram, erunt soluta & in cælis: Mat. 18, & Ioan. 20. Quorū remisistis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retèta sunt? Hoc verò de infidelibus intelligi potest minimè, quum ià iudicati sint, Ioan. 3. & foris sint. Vnde Paulus. 1. Corin. 5. Quid enim mihi de iis qui foris sunt, iudicare? Nōnne de iis qui intus sunt, vos iudicatis? Nā eos qui foris sunt, deus iudicabit. Ideò. Ephes. 5. Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus.

DE CONSPIRATIO- ne contra Iesum.

ARTICVLVS XXI.

Quidam autem ex ipsis abierunt ad phariseos, & *Ioan. ii.*
 dixerunt eis quæ fecit Iesus. Collegerunt ergo *T*
 phariseos & pharisei concilium, & dicebant:
 Quid facimus, quia hic homo multa signa facit? Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum. Et uenient Romani, & tollent nostrum locum & gentem.

Declarat quantum malorum adducat fastus ambitio,
& inde oriens inuidiæ liuor. Vnde hoc facinore tam in-
signiter prodigioso audito, pontifices qui auctoritate pre-
eminebant, & pharisæi qui religione, qui pro diuinæ vir-
tutis tam euidenti declaratione Iesum colere debuerant,
& deo gratulari: inuidiæ stimulis acti, iam sibi non tem-
perant amplius, sed impio consilio conuocato, quod res le-
gitimis modis peragi videretur, consultant inter sese, qua
ratione tantis periculis possit occurrî. Consilium enim
ex se bonum. Prou. 11. Vbi non est gubernator, populus
corruet: salus autem vbi multa consilia. Ideo. Eccle. 37.
Ante omnia opera verbum verax præcedat te, & ante
omnem actum, consilium stabile. Sed quum priuati com-
modi respectus & animi morbus, eos in rabiem ageret
aduersus Iesum in omnes beneficium: tamen videri voluit
hoc negocium ad toti⁹ incolumitatem populi pertinere:
ne videatur insidiari Christo propter inuidiam, commu-
ne periculum in medium afferunt, concitantes populum
contra Christum, quasi perditionis author ille esset fu-
turus. Imitantur hos, quotquot in proborum conspirant
mortem & infamiam. Sed Eccle. 17. Faciēti nequissimum
consilium, super ipsum deuoluetur, & non agnoscerit vn-
de aduenit illi. Sic fratres Ioseph conantes effugere do-
minum Ioseph, ipsum vendiderunt, Gen. 37. qua vendi-
tione dominus ipsorum factus est, Gen. 34. Vnde ipse ait
Gen. 50. Nolite timere, num dei possumus resistere volū-
tatis: vos cogitastis de me malum, & deus illud vertit in
bonum, vt exaltaret me, sicut in præsentiarum cernitis,
& saluos faceret multos populos. Sic Achitophel, cuius cō-
siliū erat, sicut qui consuleret dominum, contra David
Absolon adiuuans, proprio se laqueo suspendit. 2. Re. 16.
& 17. Ideo Eccle. 37. Cor boni consilij statue tecum. Tob.
4. Omni tēpore benedic deum, & pete ab eo vt vias tuas
dirigat, & omnia consilia tua in ipso permaneant. Quid
facimus inquit: Augu. Perditi homines plus cogitabant
quomodo perderent, quam quomodo crederent, & salua-
rentur. Docuit enim eos dominus quid factio opus esset, si
quidem salutem adipisci vellēt. Ioannis 6. Hoc est opus
dei, vt credatis in eum quem misit ille. Chryso. Non
potest pacifice loqui, qui cor habet turbatum. Et quale

crimen, quot signa facit? Nam signa ab ipso quærebant,
Mat. 12. Magister, volumus à te signum videre. Et signis
credere cōsueuerunt. 1. Cor. 1. Iudæi signa petunt, & Græci
sapientiam quærunt. Ioan. 4. Nisi signa & prodigia vi-
deritis, non creditis. Vnde & proprio ore confessi sunt,
Mat. 9. Nunquam apparuit sic in Israel. Ioan. 7. Christus
cū venerit, nunquid plura signa faciet quā quæ hic facit?
Perspicuum itaque, sola inuidia, & ambitione dominandi
iplos actos contra dominum. Si dimittimus eum liberè
agere, multa sequentur incommoda. Nam omnes ob mi-
raculorum magnitudinem & multitudinē, credent in eū.
Ioan. 3. ait Nicodemus: Rabbi, scimus quia à deo venisti
magister. nemo enim potest hæc signa facere quæ tu fa-
cis, nisi fuerit de⁹ cū eo. Et veniēt Romani, tollentes & lo-
cum & gentem. Per inuidiam incusant affectari regni, ex
eō quod propheta Christum regē futurum prædixerunt.
Hier. 23. Regnabit rex & sapiens erit, & faciet iudicium
& iustitiam in terra. Psal. 71. Deus iudicium tuum regi
da, & iustitiam tuam filio regis. Ideo recipientes eū pro
Christo, profitebantur regem. Romani verò nomē regiū
ipsis abstulerant. Vnde Ioan. 19. Non habemus regem nisi
Cæsarem. Sed per inuidiam causantur, imò mentiuntur
affectare regnum, quia in regē quæsitus, aufugit, Ioan. 6.
simplicem comitatuam habuit. Nā ipsi rebellare Roma-
nis intendebant, sicuti rei exitus probauit. Christus verò
non resistendum, sed tunicam & pallium contendēti re-
linquēdum docuit. vnde sibi timebant, neminem fore qui
ciuitatem contra Romanos defenderet. Sed inciderunt
in foueam quam fecerunt. Nam quia Christum non rece-
perunt, ideo destructi & dispersi sunt. Mat. 23. Ecce relin-
quetur vobis domus vestra deserta. Lucæ decimonono:
Quia venient dies in te, & circumdabunt te inimici tuo
vallo, & circumdabunt te, & coangustabunt te vndique,
& ad terram prosternēt te, & filios tuos qui in te sunt, &
nō relinquent in te lapidem super lapidem, eō quod non
cognoueris tempus visitationis tuæ. Vnde Eccl. decimo,
Regnum à gente in gentem transfertur propter iniusti-
tias & iniurias & contumelias, ac diuersos dolos. Sedes
duō superborū destruxit dominus, & sedere fecit mites
pro eis. Radices gentium superbarum arefecit dominus,

& plantauit humiles ex ipsīs gentibus. Memoriam superbiorum perdidit deus, & reliquit memoriam humilium sensu. Ideo P sal. 126. Nisi dominus custodierit ciuitatē, frustrat uigilat qui custodit eam.

2 Vnus autem ex ipsis, Caiphas nomine, cum esset pontifex anni illius, dixit eis: Vos nescitis quicquam, nec cogitatis: quia expedit uobis ut unus moriatur homo pro populo, et non tota gens pereat. Hoc autem à semetipso non dixit, sed cum esset pontifex anni illius, prophetauit, quia Iesus moriturus erat pro gente: et non tantum pro gente, sed ut filios dei, qui erant dispersi, congregaret in unum.

Iam ea dignitas ueluti mox in totum desitura, perpetua esse desiderat: lege unus ad dies uitæ summus erat sacerdos, Exodi uigesimo octauo: sed auaritia & ambitio ne instigante, in singulos annos à principibus redimebatur uenale sacerdotium, & hoc à gentibus, ut claret secundo Macab. 4. Non ergo mirum, si malè nactum, peius exquebantur sacerdotium, iusticiam subuertētes, pessime consilij authores. Quum ergo esset summus sacerdos, auctoritate præeminebat, neque ab eius sententiā declinādū erat, Deut. 17. Reprehēdit itaque alios, quod non intelligerent quid oportebat, & ignaui essent in dispiciendo quod ad rem cōducebat. Orige. Sedetis, adhuc rem segnius perpenditis, quia unius hominis salus, communi rei publicè utilitati postponenda. Sed mentita est iniquitas sibi. Nam præceptum fuit Exod. 23. Infontē & iustum non occides, quia auerfor impium. Quemadmodū enim ex præsentia iusti salus est communitati, ita ex absentia dispendium. Gene. 18. dominus ob decem iustos in terra, parcere uoluit toti terræ Sodomæ & Gomoræ, quā igne & sulfure perdidit. Iaco. 5. Multum ualet deprecatio iusti assidua. Hellas orauit, & terra dedit fructum, & cælum pluuiam. Hoc ipse quidē sinistro animo dixit, ueruntamen gratia spiritus sancti ore illius uia est ad prædicandum futura, tametsi pollutū cor eius non attigerit. Aliam enim Caiphas, aliam spiritus sanctus habuit intencionē. Nam Caiphas sub prætextu cōmunis utilita-

ris mortē domini intendebat, spiritus sanctus prophetiā esse uoluit de gētium collectiōe. Quauis corrupta esset dignitas, adhuc tamen ediderat spūs sanctus, operās in iis qui uncti erant. Aug. Hic docemur per homines malos spiritus sancti futura prædicere, quod tamē euāgelista diuino tribuit sacramento, quia summus sacerdos anni illius. Non tamen fuit propriè propheta, quia non intellexit suam prophetiam. Est enim prophetia propriè cognititia futurorum contingentium prænunciatio. Hinc Balaam tamerū malus, fuit tamē propheta, quia sciuit se loqui spiritus sancti instinctu, & quid loqueretur, Nu. 24. Et dominus, Mat. 7. Multi dicent mihi in illo die, domine domine, nōne in nomine tuo propbetauimus? & in nomine tuo damonia eiecimus? & in nomine tuo uirtutes multas fecimus? & tunc confitebor illis, quia nunquam noui uos. Discedite à me omnes qui operamini iniquitatem. Non ergo magni pendendum, si magnis dotibus à deo insignitus sis, nisi adsit charitas. 1. Cor. 13. Et si habuerō prophetiam, & nouerim mysteria omnia & omnem sciētiam, & si habuerō omnē fidem, ita ut montes trāsferam, charitatem autem non habuerō, nihil sum. Hac impius iste pontifex destitutus erat, qui nihil nisi innoxia Christi mortem spirabat. Considera ergo pontificalis dignitatis uirtutem, quomodo plena sit gratia spiritus sancti, tametsi indigni sint qui gerant: & honora sacerdotes dignè propter gratiam in eis, non propter illorum uoluntatem. ut morte sua Christus filios dei secundum prædestinationem, non secundum præsentem iustitiam, qui erant dispersi per uarios errores & idololatriam, sed in hoc destinati, ut aliquando per euāgelicam fidem fierent filij dei, congregaret in unum. Ioan. 1. Quotquot autem receperunt eum, dedit potestatem filios dei fieri, iis qui credunt in nomine eius. Ioan. 10. Et alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili. & illas oportet me adducere, & fiet unum ouile, & unus pastor.

Ab illo ergo die cogitauerunt ut interficerēt eum. Iesus ergo iam non in palam ambulabat apud ludæos, sed abiit in regionē iuxta desertum, in ciuitatē quæ dicitur Effrem, et ibi morabatur cum discipulis suis.

Spiritus sanctus et per malos loqui futura. Prophecia propria qd.

Origenes, Concitati ad iram consilio Caiphæ, tam quam sano & optimo tracti, disponebant occidere, quod prius per occasionem sæpe tentauerant: nunc certo animi decreto statuunt Iesum quoduis pacto de medio tollere, veluti reipublicæ consulentes incolomitati: ac ne parum esset impium facimus, impietatis furore prætexerunt, iam causam se nactos rati, quæ populum etiam vniuersum permouere posset, ad palam ac legitimè necandum Iesum, ceu toti genti Iudaicè perniciosum, nec opus esse vlllo crimine, quod in illum intenderetur, nec vlla noua occasione. Fuit hæc sententia iniqua, & iniusta multipliciter. Primò ex animo, quia inuidia & ira concitati erant, non zelo iustitiæ tracti, Mat. 27. Sciebat (Pilatus) quoniã ex inuidia tradidissent eum summi sacerdotes. Sed dicitur Iaco. 1. Ira viri iustitiam dei non operatur. Hinc Leui. 19. Non oderis fratrem tuum in corde tuo, sed publicè argue eum, ne habeas super illo peccatum. Non quæras vltionem, nec memor eris iniuriæ ciuium tuorum. Secundò ex causa, quia innocetem. Exo. 23. Insonem & iustum non occides. Luc. 23. Nihil causæ inuenio in hoc homine. Tertio ex ordine. Nam ordine iuris prætermissio, absentem, non auditum neque conuictum, condemnarunt. Ioannis septimo: Nunquid lex nostra iudicat hominem, nisi prius audierit ab ipso, & cognouerit quid faciat? Hinc Festus ait, A. Ct. 25. Non est Romanis consuetudo damnare aliquem hominem, priusquam is qui accusatur, præsentem habeat accusatores, locumque defendèdi accipiat, ad abluenda crimina quæ ei obiciuntur. Quum ergo iniustè pro nobis condemnatus sit, iustus iudex à patre cõstitutus est viuorum & mortuorum, A. Ct. 10. & Ioannis quinto: Pater omne iudicium dedit filio. Iustum autem erit ipse ex animo, quia zelo iustitiæ. Sapien. 5. Accipiet armaturam zelus illius. Psal. decimo: Quoniam iustus dominus, & iustitias dilexit, æquitatem vidit vultus eius. Ex causa, quia reddet vnique secundum opera sua, Matthæ. 16. 2. Cor. 5. Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis prout gessit, siue bonum, siue malum. Ex ordine, quia testimonium reddente conscientia, Roma. 2. Hieremic. 2. Arguet te malitia tua, & auersio tua increpabit te. Hic

*Sententia
Caiphæ quæ
multipliciter
iniqua.*

ergo iudex verè timendus & reuerendus. Matthæi decimo: Eum timete, qui postquam occideri, habet potestatem animam & corpus mittere in gehennam. Ita dico vobis, huc timere. Secessit dominus nõ impotètia, sed infirmis dans exemplum, non esse peccatum se oculis subtrahere persequentium, & furorem sceleratorum latendo potius declinare, quàm se offerèdo magis inflammare, vt dicit Augustinus: Non enim debemus nos temere periculis ingerere, etiam pro pietate, sed stare quidem fortiter deprehensi: nec in voluntarium periculum propter incertum euentum irruamus. Moratus est autem illic Iesus cum paucis discipulis suis, qui tamen miserè sibi quoque metuerent, tamen non ausi sunt deserere dominum.

Proximum autem erat pascha Iudæorum, & ascenderunt multi Hierosolymam de regione ante pascha: ut sanctificarent seipfos. Quærebant ergo Iesum: & colloquebantur ad inuicem in templo stantes: Quid putatis quia non uenit ad diem festum istum? Dederant autem pontifices & pharisæi mandatum, ut si quis cognouerit ubi sit, indicet, ut apprehendant eum.

Erat dies is religiosissimus apud Iudæos, quem illi phasc, hoc est, trãstitum vocant, ipso nomine facti memoriam illi reuocãte, quod sanguis agni postibus illius seruauit Hebræos à gladio angeli perimentis Aegyptios, ac eas tantum domos transeuntis, quæ sanguine agni notatos haberent postes. Exodi duodecimo: Multi præparaturi se ad esum agni, festum præuenerunt, quia immundi ab eo arcebantur. Mirabantur autem ipsum tantæ deesse festiuitati, quum alias adesse solitus esset, & populum docere. Sed non erat ipsi defuturus, sed quò veniret expectatior, distulit vsque ad tempus suum. Porro pontifices & pharisæi suspicantes illum latere metu, dederant negotium, atque etiam cum autoritate mandauerant, vt si quis nosset vbi lateret Iesus, indicaret ipsi, vt posset capi. Hi sanctis ritibus pontifices & pharisæi religionis duces, ac legis magistri, præparabant sese diei festo: sed interim nescientes, salutem totius orbis procurabant

Iam enim aderat tempus à patre præfinitum, quo Christus pro salute generis humani victima immolaretur.

DE ALABASTRO VNGUENTI. *Matthæi vigesimo sexto, Marci decimo quarto.*

ARTICVLVS XXII.

Ioan. 12.

V Iesus ergo ante sex dies pasche uenit Bethaniam, ubi Lazarus fuerat mortuus, quem suscitauit Iesus. Fecerunt autem ei cenam ibi, & Martha ministrabat. Lazarus uero erat unus ex discumbentibus cum eo.

Ostendit quàm bonum sit & necessarium, nacta opportunitate bonum facere, ne præuenti cum non possumus, uelimus. Iesus itaque sciens illos certum consilium concepisse de se occidendo, & iam instare tempus, quo uolens decreuerat immolari uerus agnus immaculatus, 1. Pet. 1. pro salute mundi: noluit latere diutius, sed uelut occurrens ad uictimam, septimo ante paschæ festum die, quo Iudæi solliciti sunt splendidiore cœna agnum paschalem cenæ prælibare, reuersus est in Bethaniam. Quod enim magis instabat hora à patre destinata morti, eò maior in corde Christi flamma charitatis ad hanc obeundam exarsit. Luc. 12. Baptismo habeo baptizari, & quomodo coarctor usque dùm perficiatur? Quò ergo responderet figuratum figuræ, decima die mensis uenit, qua accipiebant agnum paschalem, & ex eo tempore requirebant quæ erant necessaria ad festum. Exod. 12. Decima die mensis huius tollat unusquisque agnum per familias suas. uenit autem per Hiericho ab Effrem Hierusalem uersus, quia non cadit prophetam perire extra Hierusalem, Lucæ. 13. multis clarus miraculis, leprosos mundans, cæcos illuminans. Instruxerunt ergo cenam in domo Simonis lepro-

si, Matthæi. 26. qui à domino curatus, nomen retinuit: alius tamen ab illo de quo Luc. septimo, qui in Galilæa morabatur. Martha ob reuerentiam tanti hospitis ministrabat, sicut & Lucæ decimo. Hebræo. 13. Hospitalitatem nolite obliuisci: per hanc enim placuerunt quidam angelii hospitio receptis, Genesis decimo octauo. Sed hic ipsum deum. Vis & tu deum recipere hospitio? membra suscipe. Matthæi decimo: Qui recipit uos, me recipit. Matth. 25. Quandiu uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Ne discipuli qui non semel audierant hinc Christum per mortem abiturum, animum prorsus desponderent, sed spem futuræ resurrectionis conciperent: Lazarus unus erat ex recumbentibus. & quò certius esset omnibus, nõ fuisse phantasma quòd pridem uisus esset è sepulcho surgere & domum abire, Augustinus: uiuebat, loquebatur, epulabatur, ueritas ostendebatur, infidelitas confundebatur. Velis ne & tu unus esse discumbentium cum Iesu? Audi eum, Apoc. 3. Ego sto ad ostium & pullo, si quis audierit uocem meam, & aperuerit mihi, introibo ad eum, & cœnabo cum eo, & ipse mecum.

Maria ergo accepit libram unguenti nardi pisticæ preciosi, & unxit pedes Iesu, & extersit pedes eius capillis suis, & domus impleta est ex odore unguenti. Dixit ergo unus ex discipulis eius Iudas Scariothis, qui erat eum traditurus: Quare unguentum hoc non uenit trecentis denariis, & datum est egenis? Dixit autem hoc, non quia de egenis pertinebat ad eum, sed quia fur erat, & loculos habens, ea quæ mittebantur portabat. Dixit ergo Iesus: Sinite illam, ut in diem sepulture meæ seruet illud. Pauperes enim semper habebitis uobiscum, me autem non semper habebitis.

Maria quæ singulari quodam amore flagrabat in dominum Iesum, quum ob alia multa beneficia, tum ob recens in fratrem beneficium, unguentum confectum de spicis nardi (nam & aliud de foliis conficisoler) pisticæ, i. fidelis & puri attulit. Non ergo uile fuit, neque adulterinum, quale in myrotheciis plerumque conficere solent

pigmentarij nostri. Marci decimoquarto: Et cum esset Bethania in domo Simonis leprosi, & recumberet, venit mulier habens alabastrum vnguenti nardi spicati preciosi: & fracto alabaistro, effudit super caput eius. Matthæi vigesimo sexto, ipsius recumbentis. Claret quod non solum caput, sed & pedes vnxit miro deuotionis affectu, quos & capillis suis extersit, haud dubie lachrymis deuotionis humectatos. Matthæi vigesimo sexto: Videntes autem discipuli, indignati sunt dicentes, Marci decimoquarto: Vt quid perditio ista vnguenti facta est? Potuit enim vnguentum istud venundari plus quam trecentis denariis, & dari pauperibus? Et fremebant in eâ. Omnes quidem dixerunt, Vt quid perditio hæc? Neque enim dominus capitur huiusmodi deliciis, neque nostro conuiuio conuenit. Hoc nimirum sanctus erat, ac nostro magistro dignus, vr in pauperes erogaretur, sed non eadem mente qua Iudas, qui aliis sub pietatis specie ansam præbuit. Hieronymus: Apostoli animo commiseranti indignati, Iudas verò ob id misitauit, vt suo lucro consaleret, furtimque nonnulla surriperet, inopiam pauperum prætexens, quanquam de egenis non curaret. Prouerb. duodecimo: Viscera impiorum crudelia. O quot tales sunt, qui si quippiam diuino cultui viderint impendi & honori, clamitant, hisce pauperum viscera refici debuérant, quum interim & sua & non sua luxu fastuque consumant, ne in minimo quidem vel dei, vel pauperum memores, & tamen summam sibi euangelicæ scientiæ & perfectio- nis arcem metientes, vel potius mentientes. Chryso- stomus: Christus multa condescensione vtens ad Iudam, non corripuit eum surripientem, sed communem intulit excusationem. Matthæi vigesimo sexto: Sciens autem Iesus, ait illis: Quid molesti estis huic mulieri? Mar. 14. Bonum opus operata est in me. Non reprehendit Iudam dominus, quanuis animum eius cognosceret, nolens illum confundere, quo docet nos loganimes esse erga tales, sed occultè approbat eius prodicionem, tamen propter auaritiam traditurus esset eum in mortem. Vides ergo quod ferat auaritia? In prodicionem. Bene ergo ait Apostolus. 1. Timot. 6. Radix omnium malorum cupiditas, quam quidam appetentes, errauerunt à fide, & inseruerunt se

doloribus

doloribus multis. Chryso- stomus. Grauis quidem morbus auaritia, grauis inquam, qui & oculos excæcat, aures ob- struit, & fera sauios reddit. Non consuetudinem, non ami- citiam, non consuetudinem, non propriæ animæ salutem cognoscere sinit: sed semel ob omnibus discedens, in feru- ritatem sibi quos cepit, more seuerissimi tyranni vendi- cat. Ita maximè incurabilis hic morbus, Giezi lepra per- cussit, Ananiam, & Saphiram perdidit, Iudam proditorè fecit, Iudæorum principes corripit, quare dignè idolola- triam Apostolus eam appellat, Ephes. 5. Ecclesi. 10. Auaro nihil est scelestius. Nihil iniquius quàm amare pecuniam. Hic enim animam suam venalem habet. Ecclesi. 5. Auarus non implebitur pecunia: & qui amat diuitias, fructum non capiet ex eis. Vbi multæ sunt diuitiæ, multi qui com- edunt eas. Abac. 2. Væ qui multiplicat non sua. Vique- quo aggrauat contra se densum lutum? væ qui congregat auaritiam malam domui suæ, vt sit in excelso nidus eius, & liberari se putat de manu mali. Ideò admonet do- minus, Lucæ. 12. Videte & cauete ab omni auaritia, quia non in abundantia cuiusquam vita eius est, ex his quæ possidet. Semper benignè & fideliter suam dilectam ex- celsauit, vt claret hic & Lucæ decimo. Nam multum di- lexit, Lu. 7. Secura prædicantem. Lu. 8. Contemplata mor- rientem, Ioannis decimonono. Prima vidit resurgentem, Marc. 16. Vnde sic patrociniatus est ipsi, vt significaret se suapte sponte moriturum. Non perit, inquit, hæc impen- sa, sed sepulturæ meæ tribuitur hoc honoris, quem ista nunc præuenit, quoniam tum non erit vngendi facultas. Mat. 26. Mittens enim hæc, vnguentum hoc in corpus meum, ad sepeliendum me fecit. Sepulturam gloriosam fore præsignans. Esaiæ. 11. Et erit sepulchrum eius glorio- sum. Vnde causam ipsorum friuolam ostendit. Marc. 14. Semper enim pauperes habebitis vobiscum: & cum vo- lueritis, potestis illis benefacere: me autè non semper ha- bebitis. Quod habuit hæc, fecit: præuenit vngere corpus meum in sepulturam. Quod mortuo non potest, viuo im- pendit. Augustinus: Loquitur de præsentia corporali: nam secundum maiestatem suam, secundum ineffabilem gra- tiam suam impletur quod ab eo dictum est, Matthæi 23. Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus. vsque ad con-

summationem seculi. Non ergo cum habituri erant semper corporaliter & visibiliter, quod sibi talia impenderent. Deute. 15. Non deerunt pauperes in terra habitationis tuae, idcirco ego praecepit ut aperias manum fratris tuo egeno & pauperi, qui tecum versatur in terra. Prover. 21. Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, & ipse clamabit, & non exaudietur. Hinc. 2. Cor. 8. Si enim voluntas prompta est, secundum id quod habet, accepta est, & non secundum id quod non habet. Mat. 10. Quicumque potum dederit uni ex minimis istis calicem aquae frigidae, tantum in nomine discipuli, amen dico vobis, non perdet mercedem suam. Obserua quod ait; Opus bonum operata est in me; Nam non solum fidem, sed aeternam vinctiorem ex fide profectam, opus bonum dixit. Sunt enim opera mala a deo separantia. Esa. 59. Opera eorum opera inutilia, & opus iniquitatis in manibus eorum, pedes eorum ad malum currunt, & festinant ut effundant sanguinem. Cogitationes eorum cogitationes inutiles: Vastitas & contritio in vis eorum, viam pacis nescierunt, & non est iudicium in gressibus eorum. Prouer. 11. Impius facit opus instabile. Iob. 8. Spes hypocritae peribit. Sunt bona natura sua, ut diligere deum, orare in spiritu & veritate, peccata detestari, fiducia & bona spe deo adherere. Psal. 72. Mihi autem adherere deo bonum est, ponere in domino deo spem meam. Esa. 31. Erit opus iustitiae pax, & cultus iustitiae silentium, & securitas usque in sempiternum. Sunt tertio opera media, quae bene vel male fieri possunt, & a bonis & a malis, ut ieiunare, eleemosynas dare, orare, &c. Unde tria requiruntur ut opus sit bonum. Primum, Fides illuminans Hebr. 11. Sine fide impossibile est placere deo. Secundum, charitas mouens. 1. Cor. 13. Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Tertium, intentio dirigens. Mat. 6. Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit. Galat. 5. In Christo enim Iesu neque circumcisio aliquid valet, neque praepitium, sed fides quae per dilectionem operatur. Sic ergo bonum erit & meritum, laude & corona dignum. Unde hic sequitur, Mar. 14. Amen dico vobis, ubicumque praed-

dicatum fuerit euangelium istud in vniuerso mundo: & quod fecit haec, narrabitur in memoriam eius. Vult ergo deus sanctorum suorum nos praecleara gesta commemorare, non solum ad nostram doctrinam, sed & ad ipsorum gloriam. Eccle. 44. Laudemus viros gloriosos, & parentes nostros in generatione sua. Sapientiam ipsorum narrent populi, & laudem eorum nunciet ecclesia.

Cognouit ergo turba multa ex Iudaeis quia illic est, & uenerunt non propter Iesum tantum, sed ut Lazarum uiderent, quem suscitauit a mortuis.

Famam enim Iesu mirum in modum auxerat tam insigni miraculo, quod nulla potuit tergiversatione negari. Nec enim (ut dixit Chrysostomus) poterant in eo sabbati violationem allegare, quemadmodum in paralytico, Ioan. 5. & caeco nato, Ioan. 9. Augustinus: Curiositas traxit; non charitas: visores enim suscitari fieri cupiebant, expectantes etiam de inferis, aliquid Lazaro referentem audire. Suadebat hoc insita mortalium ingenii curiositas.

DE SESSIONE ASELLI, & gentilium affectu.

Cogitauerunt autem principes sacerdotum, ut & Lazarum interficerent, quia multi propter illum abiebant ex Iudaeis, & credebant in Iesum.

Porro sacerdotum ac pharisaeorum animos sic excacerat liuor & odium in Iesum, ut iam illorum malitiae non satis esset occidere Iesum, sed de Lazaro quoque tollendo cogitarent, in quem ne speciem quidem ullam criminis intentare poterat sed solum quod author multis salutis fieret, & miraculo suo simpliciores ad fidem adduceret. Sed non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra dominum, Prouer. 21. Iob. 5. Qui dissipat co-

gitationes malignorum, ne possint implere manus eorum quod ceperant. Esa. 46. Consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet.

In crastinum autem turba multa quae uenerat ad diem festum, quum audissent quia uenit Iesus Hierosolymam, acceperunt ramos palmarum, & processerunt obviam ei, & clamabant: Hosanna, benedictus qui uenit in nomine domini, rex Israel. Et inuenit Iesus asellum, & sedit super eum: sicut scriptum est: Noli timere filia Sion, ecce rex tuus uenit, sedens super pullum asinae. Haec non cognouerunt discipuli eius primum: sed quando glorificatus est Iesus, tunc recordati sunt, quia haec scripta erant de eo, & haec fecerunt ei. Testimonium ergo perhibuit turba quae erat cum eo, quando Lazarum uocauit de monumento, & suscitauit eum a mortuis. Propterea & obviam uenit ei turba, quia audierunt eum fecisse hoc signum. Pharisaei autem dixerunt ad semetipsos: Videtis quia nihil proficimus? Ecce mundus totus post eum abiit.

Iesus antehac semper humilis, & omnis gloriae mundanae contemptor, cum noua pompa uoluit venire Hierosolymam. Declarabat palmam, quod fortis quidem & uictor mortis fuerit resuscitato Lazaro. Vnde & uocibus ostendit, quod dicta à Dauid de Christo, doceant quod deus sit, deinde quod & propriè deus, d. Sit laus & honor illi qui nobis expectatus uenit in nomine domini. Augusti. Ipse enim filius omnia in gloriam ordinauit patris. Ioann. 5. Ego ueni in nomine patris mei, & non recepistis me: si alius uenerit in nomine suo, illum accipietis. Chrysostr. Quia reges Iudaeorum iniusti fuerant, & eos obnoxios belli faciebant, confide, ait: hic non talis, sed mitis & modestus, nullam praeferebat arrogantiam. Idque ostenditur quod insidens asino ueniat, non exercitum post se trahens. Zachar. nono. Haec discipuli, quum nondum scient scripturas. Ioan. 7. non intelligebant diuina praesentia agi: sed postquam Iesus per resurrectionem glori-

ficatus, sensum illis aperuit, ut intelligerent scripturas, Lucae 24. ac spiritum misit ueritatis, omnem ipsos docens ueritate, Ioannis decimosexto. Erant tamen plerique qui talem expectabant regem, quales habet hic mundus, & hinc tam frequens hominum multitudo prodierat obviam Iesu, quod ad his qui uiderant, cognouissent hoc insigne miraculum ab illo proditum, quale non erat auditum ab orbe condito. Id quia palam diuinam quandam uirtutem praeferebat, honos quoque exhibitus qualis nulli prophetarum: ea res animos sacerdotum ac pharisaeorum propemodum in desperationem adegit. Nec tamen ab impio cepto resipiscunt, sed inter se commurmurant, d. Quae enim utilitas ex multis contra hominem hunc insidiis? quantum enim insidiamur, tantum hic crescit, & augetur gloria eius. Augustinus. Quid inuidet caeca turba, quia post eum abiit mundus, per quem factus est mundus? Porro his supra hunc textum, uide parte prima articuli. 98. m.

Erat autem quidam gentiles ex iis, qui ascenderant ut adorarem in die festo. Hi ergo accesserunt ad Philippum, qui erat à Bethsaida Galileae, & rogabant eum dicentes: Domine, uolumus Iesum uidere. Venit Philippus & dixit Andreae. Andreas rursus & Philippus dixerunt Iesu. Iesus autem respondit eis, dicens: Venit hora ut clarificetur filius hominis.

Erat templum uenerabile etiam gentibus, ut claret 2. Mach. 3. unde & eunuchus reginae Candacis uenit adorare in Hierusalem, Actu. octauo. Tantus autem id temporis erat populi fauor erga Iesum ex fama operum ipsius, ut ethnici quoque qui religionis gratia uenerant Hierosolymam, ut illic adorarent, uidentis Iesu desiderio tenerentur. August. Ecce Iudaei uolunt eum occidere, gentiles uerò uidere, sed & illi ex Iudaeis erant qui dicebant: Benedictus qui uenit in nomine domini. Isti ergo ex circumcisione erant, illi ex praepotio, uelut duo parietes à diuerso conuenientes, ut in unam fidem Christi pacis osculo concurrentes. Eph. secundo, Nunc autem in Christo Iesu, uos qui aliquando eratis longè, facti estis propè in san-

guine Christi. Ipse enim est pax nostra, qui fecit vtraque vnum: & veniens euangelizauit pacem vobis qui longè fuistis, & pacem his qui propè, quoniam per ipsum habemus accessum ambo in vno spiritu ad patrem. Dixit Philippus Andree, quia prior eo. Tantis ordo & amor mirus erat inter eos. Iesus vbi cognouit ex discipulis ethnicos quoque sui videndi desiderio teneri, quum tam impiè sperneretur à pharisæis & sacerdotibus: hac occasione cœpit aperire mortem suam, & quantum illa fructus esset allatura. non solum Iudaicæ genti, sed vniuerso mundo. Nunc in stat tempus: vt cum pharisæi credent filium hominis proflus extinctum esse, tum maximè glorificetur apud vniuersas orbis nationes. Nouum gloriæ genus est, & noua ratione parandum. Per crucem verus Christus demonstrabitur & agnosceretur, ac per hoc in hominum cordibus clarificabitur & honorabitur.

Amen amen dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipsum solum manet. Si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.

Ostendit ad vitam non esse viam nisi per sui, mundique plenum contemptum, & seruidum caelestium amorem. Non enim coronabitur, nisi qui legitime certauerit. 2. Timo. 2. Sic oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam, Lu. 24. Aug. Altitudinem glorificationis præcedere oportuit humilitatem passionis. Philipen. 2. Qui cum in forma dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem deo, sed semetipsum exinanivit, formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo, humiliavit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & deus exaltauit illum, & dedit illi nomen quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur, caelestium, terrestrium, & infernorum: & omnis lingua confiteatur, quia dominus Iesus Christus in gloria est dei patris. Beda: Christus granum ex semine patriarcharum in agro huius mundi seminatum per carnis assumptionem, mortuum per passionem, multiplicat fructum per gentium conversionem. Quod enim à solis ortu vsque ad occasum laudatur nomen domini, &

in omni loco offertur oblatio munda. Mala. 1. ex huius mortificatione grani processit. Esa. 53. Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longæuum, & voluntas domini in manu eius dirigitur. Comparat se grano frumenti, quo panis conficitur, quia ipse est panis viuus qui de caelo descendit, vt si quis manducauerit ex hoc pane, viuat in æternum, Ioan. 6. Huius frumeti fructu saginandam dicit propheta Hierusalem & Sion. i. animam fidelem. Psal. 147. Qui posuit fines tuos pacem, & adipe frumeti satiat te. Zacha. 9. Quid enim est bonum eius? Et quid est pulchrum eius, nisi frumentum electorum, & vnum germinans virgines? Est enim cibus electorum, de caelo descendens, Ioan. 6. Panis enim verus est, qui de caelo descendit, & dat vitam mundo. Quauis hic astruat resurrectionem futuram iuxta Paulum. 1. Cor. 15. Insuper tu quod seminas, non viuificatur nisi prius moriatur & quid seminas? Non corpus quod futurum est seminas, sed nudum granum, vt puta tritici aut alicuius cæterorum. Deus autem dat illi corpus sicut vult, & vnicuique seminum proprium corpus. verum si volumus feliciter resurgere, curandum vt corpus mortificemus. Ioan. 15. Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, & posui vos vt eatis & fructum afferatis, & fructus vester maneat. Rom. 6. Existimate vos mortuos esse peccato, viuentes autem deo in Christo Iesu. Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, vt obediatis concupiscentiis eius.

Qui amat animam suam, perdet eam: & qui odit animam suam in hoc mundo, in uitam æternam custodit eam.

Qui præsentem vitam diligit, & animam suam amat, hoc est, desideria sua absurda facit, permittens ei quæ nõ oportet, nec contemnit mortem, perdet eam. Eccl. 18. Si prætes animæ tuæ concupiscentias suas, faciet te in gaudium inimicis tuis. Roma. 8. Fratres debitores sumus nõ carni, vt secundum carnem viuamus. Si enim secundum carnem vixeritis, moriemini: si autem spiritu facta carnis mortificaueritis, viueris. 2. Tim. 3. Instabunt tempora in nouissimis diebus periculosa: erunt enim homines se ipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemæ, parætibus

non obediētes, ingrati, scelesti, sine affectione, sine pace, criminatores, incontinentes, immires, sine benignitate, proditores, proterui, tumidi, voluptatum amatores magis quā deī, habentes speciem quīdem pietatis, virtutē autē eius abnegātes. Hoc tamen non est verē diligere, sed odire. Psalm. 10. Qui diligit iniquitatem, odit animā suā. Tob. 12. Qui autē faciunt iniquitatem & peccatum, hostes sunt animæ suæ. Aug. Si malē amaeris, tunc odisti: si benē oderis, tunc amasti. Noli amare in hac vita, ne perdas in æterna vita. Nam dulcis est vita præsens iis qui ei sunt affixi: si verē quis ad cælum aspexerit, cōtemplās quæ illic sunt bona, citō præsentia contemnet. Psalm. 75. Renuit consolari anima mea: memor fui dei, & delectatus sum. Qui ergo non concedit ei quæ vult, neque ab ea flectitur, custodit illam in vitam æternam. Est autē odium temporarium, quia in hoc mundo: lucrū æternū, quia in vitam æternam. 1. Corin. 4. Id enim quod in præsentī est momentaneum & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternū glorię pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis quæ vidētur. Quæ enim videntur, temporalia sunt: quæ autē nō videntur, æterna. Chrysol. Quemadmodum quos odio habemus, ne vocē quīdem audire, nec videre æquo animo patimur: ita anima si quid præter dei voluntatem nobis imperat, reiicienda est, nobis ipsi emoriendum est. Col. tertio. Mortificate membra vestra quæ sunt super terrā, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiā malā, & auaritiā quæ est simulacrorum seruitus, Rom. 13. Carnis curā ne feceritis in desideriis. Non ergo ama suam animam in hoc mundo, qui cunctis carnalibus voluptatibus renūciās, etiam ipsam pro domino, ne in ipsum peccet, ponere non recusat. Sic autē vitam impendere, non interitus est, sed lucrum: & hoc est vitam non amittere, sed serpare. Non enim perit anima, quæ discedit à corpore: nec in totum perit corpus, olim felicius & immortale reuiscitur. Philippenles tertio, Nostra conuersatio in cælis est. Vnde etiam saluatorem expectam⁹. dominum nostrum Iesum Christū, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ, secundum operationem virtutis suæ, quæ etiam pos-

sit subiicere sibi omnia. Ecce qui nō sibi, hoc est, sensuati viuunt, quantum gloriæ consequuntur? Exemplum habemus in paupere Lazaro & diuite epulone, Luc. 16.

Si quis mihi ministrat, me sequatur: & ubi sum ego, illic & minister meus erit. Si quis mihi ministrauerit, honorificabit eum pater meus qui est in cælis.

Par est enim ministrum à domino non diuelli, nec in tristibus, nec in prosperis. Quos habuero cōsortes ac socios afflictionū, eos non seiungam à confortio felicitatis: sed vbicunque ego fuero, illic erit & minister meus. Ne videatur nobis graue carnalibus reluctari desideriis, vitam etiam ipsam pro euangelio exponere, duo in medium adducit, quæ animum præsent. Alterum est exemplum: me, inquit, sequatur. Vias meas ambulet, nō suas. *Que duo* Duo nobis proponit imitenda: primum cordis affectio. *nobis adi-* Matth. 11. Discite à me, quia mitis sum & humilis corde, *mis adum* & inuenietis quietem animabus vestris. Alterum, *proposita.* corporis afflictio. Matth. 16. Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucē suam, & sequatur me. Ergo videndum quemadmodum præcesserit, vt sequamur & ministremus. 1. Pet. 2. Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, Vt sequamini vestigia eius. Claret ex Euangelio, duplici nos exemplo intuituisse. Primo suapte sponte crucem suscepisse. Corporis, per *Christus* *quomodo* *crucē suam* ieiunium, Matth. 4. Orationem, Mat. 14. Dimissa turba *spōte bis-* ascendit in Montem solus orare. Passionem famis, Matt. *riā susce-* 4. Fatigationis, Ioan. 4. Secundò illatam & impositā patienter sustinuisse. Esa. 53. Sicut ovis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tōdente se obmutescet, & nō *perit.* aperiet os suū. 1. Pet. 1. Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, iustus pro iniustus, vt nos offerret deo, mortificatos quidem carne, viuificatos autem spiritu. Ecce proposita nobis forma, ministrandi & sequēdi Christum, si ipsum in gloriā sequi cupimus. Hinc ait Apóstolus. 2. Corin. 6. In omnibus exhibeamus nos sicut dei ministros, in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in plagis, in carceribus, in seditionibus, in laboribus, in vigiliis, in ieiuniis, &c. Quid enim tam iu-

stum, quàm vt serui imitentur dominum, discipuli magistrum? Ioan. 1. Non est discipulus super magistrum. 1. Ioã. 2. Qui dicit se in Christo manere, debet sicut ille ambulauit, & ipse ambulare. Si adhuc dura hæc videntur, addit & alterum, præmium scilicet eximium. August. Quem maiorem honorem accipere poterit adoptatus, quàm vt sit vbi est vnicus, non æqualis factus diuinitate, sed consociatus æternitati? Ioan. 17. Pater, quos dedisti mihi, volo vt vbi sum ego, & illi sint mecum: vt videant claritatem meam quam dedisti mihi. Ioan. 14. Vado parare vobis locum: & si abiero, & preparauero vobis locum, iterum venio & accipiam vos ad meipsum, vt vbi ego sum, & vos sitis. Hinc apostolus ait, Philip. 1. Desiderium habens dissolui, & esse cum Christo. multo magis melius. Si quis mihi perseueranter adhæserit, defecit enim Judas, defecerunt & alij complures, Ioannis. 6. Mat. 10. Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. Nam Luc. 9. Nemo mittens manum ad aratrum, & aspiciens retrò, aprus est regno dei. Et synceriter, Psalm. 100. Ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat. Pater eum honore prosequetur, vt ministrum vni filij. Stupèda res & aliàs inconsueta, vt non satis sit esse ministrum vbi filius est, nisi & pater eum speciali prosequatur honore. Erit quidè tūc laus vnique à deo. 1. Cor. 4. Sap. 3. Eorum laborum gloriosus est fructus. Eccle. 23. Gloria magna est sequi dominum, longitudo dierum assumetur ab eo. Vnde Psal. 138. Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui deus. Nam in vita dedit eis virtutem super dæmonia, serpentes, & scorpiones, Luc. 10. & Mar. 16. & omnem languorem. Matt. 10. Imò, Ioan. 14. Amen amen dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio & ipse faciet, & maiora horum faciet. Vnde ad vmbra Petri infirmi curabatur, Act. 5. Sic per manum Pauli virtutes non quilibet deus faciebat, ita vt etiam super languidos deferrètur à corpore eius sudaria & semicincta, & recedebant ab eis langueres, & spiritus nequam egrediebantur, Act. 19. Magnificat haud dubiè & post mortem, quum ad præsentiam reliquiarum mira operatur. Sine enim penitentiâ sunt dona & vocatio dei, Rom. 11. quæ templum sunt spiritus sancti. 1. Corin. 6. An nescitis

quoniam mēbra vestra templum sunt spiritus sancti qui in vobis est, quem habetis à deo: In confesso est & negari non potest, ad contactum ossium Helisei mortuum reuixisse 4. Reg. 13. Eccle. 49. Et duodecim prophetarū ossa pullulant de loco suo. nam corroborauerunt Iacob, & redemerunt se in fide virtutis suæ. Iam si mira dominus ad præsentiam arcæ operatus est, vt claret in destructione Hierico, Iosu. 6. punitione Philistinorum. 1. Reg. 5. Benedictione Obededom. 2. regū, 6. quid mirum de sanctorū reliquiis, quæ viua templa & habitacula dei fuerunt in terris, & tam magnificè glorificabuntur in cælis? Matth. 13. Fulgebunt iusti sicut sol, in regno patris eorum. Ideo admonet Apostolus. 1. Cor. 15. Itaque fratres mei dilectissimi, stabiles estote & immobiles, abundantes in omni opere domini semper, scientes quod labor vester nō est inanis in domino. Admonet idem Roma. 12. Honore, inquit, inuicem præuenientes. & Roma. 13. Cui honorem, & honorè. 1. Pet. 2. Omnes honorate, regem honorificate. & 1. Tim. 5. Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore digni sunt. Veruntamen constanter ait. 1. Timo. 1. Solum deo honor & gloria. Perspicuum ergo est, alium esse honorem què deo, aliū quem homini impendimus, quocumque etiam nomine specie huius honoris exprimamur. vnde. 1. Para. 29. Et benedixit omnis ecclesia domino deo patrum suorum, & inclinauerunt se, & adorauerunt deū, & deinde regem. Nullo modo passus fuisset pro tūc sanctus Daud diuinos sibi honores impendi, nisi sciuisset populum alio sibi, & alio deo animo cultū honoris exhibere. Nihil ergo nos honoris impendemus, quos deus tam magnificè honorificat in cælis & in terris?

Nunc anima mea turbata est. Et quid dicam? Pa. 1. Ioan. 12. ter saluifica me ex hac hora. Sed propterea ueni in hanc horam. Pater, clarifica nomen tuum. Venit ergo uox de celo, dicens: Et clarificaui, & iterum clarificabo. Turba ergo que stabat & audierat dicebat tonitruum esse factum. Alii autem dicebant: Angelus ei loquutus est. Respondit Iesus & dixit: Non propter me hæc uox uenit, sed propter uos.

Honorum
deo & ho-
minibus im-
penditur
pensum dis-
ferentia.

Z

Ne quis possit dicere quòd ipse extra pericula, alios admoneat, ostendit quòd & ipse ab humanis proprietatibus tentatus sit, & nostræ naturæ fuerit particeps, cum turbatur: intellige autem volentem turbatum. Oblatus est enim, quia ipse voluit. Quâvis enim Christus ab initio perfrueretur diuina visione secundum portionē superiorem rationis: tenebantur tamen inferiores animæ vires sese erga obiecta, naturali quodam modo exercere, ita ut sitiret, frigeret, ut etiam horreret corporis pulcherrimi ac refugeret incommoda, Chryso. Appropinquans passioni, quod humanum est ostendit. Hebræo. 2. Debit per omnia fratribus similari, ut misericors fieret & fidelis pontifex ad deum, ut repropiciaret delicta populi. In eo enim quòd passus est ipse & tentatus, potens est & eis qui tentantur, auxiliari. Heb. 4. Non enim habemus pontificem qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato. Et quid dicam? Siquidem tibi pater placet, libera me ab hac hora mortis instantis. Verum si aliter à te decretum est: mihi quidem parendum: propterea enim in hanc veni horam, ut patiar. Augu. Docet te quem inuoces, cuius voluntatem tuæ voluntati anteponas: & qui hominis suscepit infirmitatem, docet contristatum dicere, non quod ego volo, sed quod tu. Lucæ. 22. Psal. 39. In capite libri scriptum est de me, ut faceré voluntatem tuam deus meus, volui. Docuit & nos, ne pusillanimitate frangamur, dum necessitate vel infirmitate turbamur, sed in domino consolemur. Tu præsta, inquit, pater ut mors mea, meaque resurrectio clarum reddat nomen tuum apud omnes orbis nationes, ut te cognito, te glorificantes, salutem æternam consequantur. Ex eo enim quòd pater filium pro nobis tradidit in mortem, ostenditur misericordia & dilectio eius ad nos. Ioannis. 3. Sic deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in illum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Item & iustitia eius, quæ tanta est, quòd maluit unigenitum occidi, quàm peccatum manere inultum. 2. Corin. 5. Eum qui non nocuerat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur iustitia dei in illo, Sapientia quoque in tam admirabili atque con-

uenientissimo modo. Sic & nos quotidie oramus: Sanctificetur nomen tuum. Nihil enim deo accrescit, sed hominum salutem. Unde clarificatur deus sic per bonum profectum. Ioan. 15. In hoc clarificatus est pater meus, ut fructum plurimum afferatis per passiones. Ioan. 11. Hoc autem dixit, significans qua morte clarificaturus esset deum (Petrus per crucem) Phil. 1. Magnificabitur Christus in corpore meo, siue per vitam, siue per mortem. Hæc ubi subleuatis oculis in cælum Iesus precatus est, venit vox: Glorificauit, siue illustrauit: Nam glorificauit in ortu nomen suum, in angelorum concentu, Luc. 2. In baptismo, Matt. 3. Ecce vox de cælis, dicens: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. In doctrina & opere. Luc. 24. Qui erat vir potens in opere & sermone, coram deo & omni populo. In obitu, stupendis miraculis, Mat. 27. Lu. 23. Verè filius dei erat iste. In resurrectione, Act. 3. Deus patrum nostrorum glorificauit filium suum Iesum. Romano. 1. Qui prædestinatus est filius dei in virtute, secundum spiritum sanctificationis, ex resurrectione mortuorum Iesu Christi domini nostri. Chryso. Ad hoc instat vox patris, quia semper dicebant, quoniam Christus ex deo non esset. Qui autem à deo glorificatur, quomodo à deo esse negatur? Iam enim tot miraculis inclaruerat apud homines per filium suum, sed potissimum resuscitato Lazaro, moxque aucturus erat gloriam sui nominis apud omnes orbis nationes, per crucem, per resurrectionem, per ascensionem, per spiritus sancti missionem, per apostolorum prædicationem. Aderant gentiles, qui ob idiomatis ignorantiam dicebant tonitruum factum. Alij benignius interpretantes, qui fortè verba superficialiter intelligebant, dicebant angelum quempiam ipsi loquutum. Dominus verò ostendit propter ipsorum salutem agi quicquid fieret, dicens: Non ob meam necessitatem vel salutem, sed ut intelligatis mihi cum patre conuenire, & quicquid facio illo auctore, vestræ salutis causa facere.

Nunc iudicium est mundi, nunc princeps huius mundi eiicitur foras. Et ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum. Hoc autē dicebat, signi-

Ioan. 12.

A

ficans qua morte esset moriturus.

*Iudicium
duplex.*

Ostendit redemptionis humanæ modum & fructum, & quibus contingat. Igitur mundi iudicium, id est, vltio nunc à me fit. Quî enim, occidam eum qui omnes occidit, & me quoque in fontem inuasit, vltor ero omnîû qui ab eo occisi sunt. Ose. 13. Ero mors tua ð mors, ero mortuus tuus inferne. Duplex legimus iudiciû. Extremûm, ad quod omnes sistit. 2. Cor. 5. Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis prout gessit, siue bonum, siue malum. Ioan. 5. Pater non iudicat quæquam, sed omne iudicium dedit filio. Alterum per crucem reuelatum, quando Christus deleuit chirographum decreti quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio, affigens illad cruci, Colo. 2. & mûdi retexit falsitatē, clarescere faciens euangelicam veritatem. Ioan. 7. Me odit mundus, quia ego testimonium perhibeo, quoniam opera ipsius mala sunt. Nam 1. Ioan. 5. Totus mundus in maligno positus est. August. Dicimus bonam domum, vel malam, non quia ædificiûm fit malum, sed propter mores malos inhabitantium. Sic mundus malus dicitur, de quo dominus elegit suos Ioan. 15. Quia de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus. Vnde Ioan. 3. Hoc est autem iudicium, quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem. Erant enim eorum mala opera. Hinc adhortatur. 1. Ioannis. 2. Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt. Si quis diligit mundum, nõ est charitas patris in eo. Nunc princeps ille mundi, mortis author, Sapien. 2. Inuidia diaboli mors intravit in orbem terrarum, dum se victorem crederet, per mortem depelleretur à sua tyrannide. Condonabitur enim omnibus peccatum per fidem euangelicam. eo sublato fractæ sunt vires tyranni, qui non alio telo potens est. Augustinus: Dicat quispiam quia diabolus eicitur foras, iam fidelium neminem tentat. Imò tentare non cessat, sed aliud est intrinsecus regnare, aliud forinsecus oppugnare. Luc. vndecimo, Cùm fortis armatus custodit arrium suum, in pace sunt omnia quæ possidet. Si autem fortior illo superueniens, vicerit eum, vniuersa arma eius auferet in quibus confidebat, & spolia

distribuet. Vnde admonet Apostolus Ephes. quarto, Nolite locum dare diabolo. Iacob. quarto, Appropinquate deo, & appropinquabit vobis: resiste autem diabolo, & fugiet à vobis. Quam stulti ergo sunt, qui tam crudeli tyranno se per peccatum iteratò subiiciunt. Ioan. octauo, Qui facit peccatum, seruus est peccati. 2. Petri. 2. A quo quis superatus est, eius & seruus est. Nam captiuos tenet ad ipsius voluntatem. 2. Timo. 2. ad omnium vitorum genera impellens, mentis oculum excacans. 1. Corint. 4. Quòd si opertum est euangelium, in his qui pereunt, est opertû, in quibus deus huius seculi excacauit mētes infidelium, vt non fulgeat illis illuminatio euangelij gloriæ Christi. Finaliter mortem pro stipendio præstat. Rom. 6. Stipendium peccati mors. An nescitis quoniam cui exhibetis vos seruos ad obediendum, serui estis eius cui obeditis, siue peccati ad mortem, siue obeditionis ad vitam? Quemadmodum ille qui vicisse videbatur, subito pellitur è regno, ita ego qui videbor extinguis, exaltat⁹ à terra, omnia vndique traham ad me: mihi verè vindicans, quod hæcenus ille per tyrannidem occupauit. Etenim quia ipsi non possunt ad me venire, eò quòd à tyranno detenti sunt: ego victo illo & foras eiecto, & resectis nervis potentiæ eius contra homines, traham etiam nolente illo. Augustinus: Quæ omnia, nisi ex quibus diabolus eicitur foras? Zach. 9. Tu autem in sanguine testamenti eduxisti victos de lacu in quo nõ erat aqua. Trahit omnes, & gentes & Iudæos. Ephes. 2. Quoniam in ipso habemus accessum ambo in vno spiritu ad deum. Trahit & omnia, hoc est, & corpus & animam: animam per gratiam, corpus per glorificationem: quia nec capillus de capite peribit, Mat. 10. Trahit ergo per fidem & charitatem, qui sese gratiæ accommodant, qui vocem sequuntur vocantis. Venite, inquit, ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos, Matth. 11. Hinc exaltationem, mortem suam in cruce significauit, qua exaltandus insignû & remedium. In signum, quo signati, percutientem euaderent angelum, Exo 12. Ezech. 9. Ideo omnes ad ipsum cõfugient. Esa. 11. Et eleuabit signum in nationes, & congregabit profugos Israel, & dispersos Iuda colliget. In remedium, quo respicientes per fidem à morsibus

fanentur serpentum, hoc est, peccatorum, Num. 21. Ioa. 3. Sicut exaltauit Moyses serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, vt omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Qui ergo salutem non consequuntur, sibi imputent, quia inuitantis vocem audire nolunt. Rom. 10. Non enim omnes obediunt euāgelio, sed magis ad fabulas conuertuntur. 2. Timo. 4.

Respondit ei turba: Nos audiuimus ex lege, quia Christus manet in æternum. Et quomodo tu dicis, oportet exaltari filium hominis? Et quis est iste filius hominis?

Erant in turba, qui quoniam mentio mortis præcesserat, diuinarent illum de crucis supplicio fuisse loquentum. Augustinus: Hoc eum dixisse intelligebant quod facere cogitabant: non enim eis verborum istorum obscuritatem aperuit infula sapientia, sed stimulara conscientia. Discipuli autem dominum de morte loquentem non capiebant (Luc. 18.) quia amor quo eum mori volebant, ipsos ab hoc intellectu retrahebat. Contrā fuit de Iudæis. Nam hinc ratiocinati, contendunt illum non esse Messiam, qui se prædicaret moriturum, quum ei scriptura tribuat potestatem & regnum æternum. Daniel. 7. Potestas eius potestas æterna, & regnum quod non corrumpetur. Mich. 5. Et egressus eius ab initio, à diebus æternitatis. Quin & psalmodum scriptura promittit ei sacerdotium æternum, Psal. 109. Vnde & cornutum inferunt argumentum, aut ipsum non esse Messiam, aut non exaltandum à terra & moriturum. Quid igitur, inquit, vult sibi quod ait futurum, vt filius hominis exaltetur à terra? Quod si exaltari à terra, mori est, & si quoties dicit filium hominis, teipsum dicis & vis intelligi: aut non morieris, aut ille filius hominis non est Messias, si verum dicit propheta. Sed incidunt in foueam quam fecerunt. Sentiant Christi regnum esse ciuile & mundanum, eoque minimè duraturum: & tamen velint nolint, coguntur fateri dominum in æternum mansurum. Esa. 9. Multiplicabitur eius imperium, & pacis non erit finis: super solium Dauid & super regnum eis sedebit, vt confirmet illud, & corroboret in iudicio & iustitia, amodo

& vsque in sempiternum. Luc. 1. Regni eius, ait Gabriel, non erit finis. Falluntur in hoc miseri, quia scripturæ regnum Christi testantur administrationem esse interinam, hoc est, in spiritu, quæ in iustificatione impij perficitur, in pace & tranquillitate conscientia, quo modo perpetuum & incorruptibile est. Esa. 32. Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, in require opulenta, in tabernaculis fidutiæ. Simul etiam stant mors Christi & æternitas. Mors enim conuenit ei secundum humanam naturam, æternitas ex parte naturæ diuinæ: & licet ad tempus mortem subierit, tertia tamē die resurgens gloriosus, immortalis permanet, quare æternitas ipsi competit. Heb. 7. Hic autem eō quod maneat in æternū, sempiternum habet sacerdotium. Heb. 13. Christus Iesus heri & hodie, ipse & in secula. Quoniam autem maleuolentia excæcati, tantorum mysteriorum non erant capaces, ideo super hoc eis non respondit: sed tantum hortatur eos, vt omnia cæcitate mentis, desinant obstrepere luci veritatis, præsertim quæ mox esset auferenda. Non enim studio intelligendi veritatem, sed animo malitioso calumniandi præmissa dixerunt.

Dixit ergo eis Iesus: Adhuc modicum lumen est in uobis est. Ambulate dum lucem habetis, ut non uos tenebræ comprehendant. Et qui ambulat in tenebris, nescit quò uadat. Dum lucem habetis, credite in lucem, ut filij lucis sitis. Hæc loquutus est Iesus, & abiit, & abscondit se ab eis

Bifariam intelligi potest hic locus. Vno modo: Adhuc modico tempore ego qui lux sum, ero uobiscum: quare dum huius lucis est copia, ambulate proficientes in melius dum est occasio, ne subito sublata luce nox occupet, iamque frustra desideretis ademptum, quod nunc oblarū aspernamini. Alio modo secundum Augustinum: Modicū lumen in uobis est, per quod intelligitis quot Christus manet in æternum, sed proficite, vt intelligatis & moriturum vt redimat, & uicturum in æternum in cælo quò perducatur. Qui sequitur cæcos animi affectus, in tenebris ambulat, nescit quò uadat, nec proprios actus

intelligit, nec ad finem salubrem perueniet: dumque se credit pie recteque facere, impingit in mortem. Pro. 12. Via stulti recta in oculis eius: qui autem sapiens est, audit consilia. Pro. 14. Est via quae videtur homini recta, & nequissima eius ducunt ad inorrem. Chrysostomus: Quanta Iudaei nunc agunt, & nesciunt quid agant: putant rectam incedere viam, & contrariam incedunt. Dum ergo lucis copia est, Ioan. 9. Quandiu sum in mundo, lux sum mundi: credite in lucem, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Ioan. 1. vt filij lucis sitis, per adoptionis gratiam. Ioan. 1. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios dei fieri, his qui credunt in nomine eius. Qui ergo mihi crediderit, non aberrabit a vero: qui noctis sunt filij, lucem refugiunt. 1. Theff. 5. Omnes vos filij lucis estis & filij dei, Non sumus noctis neque tenebrarum. Igitur non dormiamus sicut ceteri, sed vigilemus & sobrii simus. Ephe. 5. Eratis aliquando tenebrae, nunc autem lux in domino, vt filij lucis ambulat. Fructus enim lucis est in omni bonitate & iustitia & veritate. Dum lucem, inquit, habetis, hoc est, & ante crucem & post, potestis in me credere. Sicut enim lux solaris non omnino aufertur, sed quum occiderit, iterum exoritur: sic mors mea non est corruptio, sed occasus & translatio, & iterum exoritur per resurrectionem: atque ita nihil prohibet passio quin aeternus sim. Cum ergo scripturae aeternum Christum testentur, plane me Christum comprobant. Qui autem ambulat in incredulitate, nescit quod vadat; quanuis rectam sibi videatur incedere viam. Qui vero crediderint, omnia quae salutem continent faciunt, vmbra legis & aenigmata tenebrosa, ac infidelitatis caecitatem effugerunt, & ad lucem accesserunt, quae occultabatur: & nunc fulget, & facti sunt filij lucis, hoc est, Christi. Nec amplius illis ad id temporis locutus est Iesus, videns indignationem cordium, quanuis nihil loquerentur, ne furerem illorum quem sciebat ad omne facinus promptissimum, magis irritaret: sed abiit & abscondit se ab illis, velut absentia sua silentioque mitigaturus illorum efferatam insaniam, dans eis tempus & otium, vt per quietem de sermonibus & operibus eius considerare queant. Ita enim, si voluissent, perueni-

se ad cognitionem deitatis illius potuissent. Admonuit & nos exemplo suo, vt quoties cum obstinatis res est, nec vlla spes proficiendi, cedamus ad tempus: ne non solum nihil fructus referamus, verum etiam alios reddamus sceleratores.

Cum autem tanta signa fecisset coram eis, non credebant in eum, ut sermo Esaiæ impleretur quem dixit: Domine, quis credidit auditui nostro? & brachium domini cui reuelatum est? & propterea non potuerunt credere, quia iterum dixit Esaias: Excæcavit oculos eorum, & indurauit cor eorum, ut non vi seant oculis, & intelligent corde, & conuertantur, & sanem eos. Hæc dixit Esaias, quando vidit gloriam eius, & loquutus est de eo.

Ioan. 12.

B

Planissime ostendit propria malitia excæcatos fuisse, quia tot & tantis signis credere noluerunt. Ioan. 15. Si opera non fecissem in eis quae nemo alius fecit, peccatum non haberent: nunc autem & viderunt & oderunt, & me & patrem meum. Vt enim, comitate, non casualiter teneatur. Non enim ob id fidem in Iesum spreuerunt, vt verba verificarentur Esaiæ, sed ex incredulitate ipsorum consecuta est impletio vaticinij Esaiæ & aliorum prophetarum. Non enim potuerunt, quia noluerunt. Nam malus homo & improbus non potest credere quamdiu-rali fuerit, mala scilicet eligens ac volens. Domine, quis credidit auditui nostro. hoc est, his quae audiui a patre, & quae audierunt a me? Rom. 10. Ergo fides ex auditu. Ioan. 5. Si crederetis Moysi, crederetis vtique & mihi. Brachium domini, verbum est per quod facta sunt omnia. Ioan. 1. Heb. 1. Per quem fecit & secula. Esa. 52. Parauit dominus brachium sanctum suum in oculis omnium gentium, & videbunt omnes fines terrae salutare dei nostri. Impossibilitas ergo hæc non refertur ad eorum voluntatem secundum se sumptam, seu simpliciter consideratam, sed vt talem, videlicet induratam & in malis habituatam. Si arbor bona non potest malos fructus facere, nec mala bonos, Matth. 12. Nec superbus saluari, nec iustus damnari. Excæcatur, qui

Brachium
domini
quid.

nullos suscipit radios diuini verbi, & omninò absentia dei excæcat & obtenebrat. Nam sicut sol facit diem præsentia, noctem verò absentia: ita deus cæcos facit homines, quum non adest eis. Non adest autem propter eorum malitiam, & tunc vt cæci peccant, non se conuertentes, & absque correctione prolabantur. Cyrilus: Quæ deo permittente fiunt, sæpenumero à scriptura exprimuntur perinde atque efficeret. Excæcat ergo deus, quia animi oculos intimos malitia excæcari passus est: non influendo malitiam, sed non dando subsidium, & cor eorum ex peccandi consuetudine obdurari. Hinc effectum est, vt oculis interioribus non viderint. Esa. 42. *Quis cæcus nisi seruus meus? neque corde intellexerint mysteria, per donum intellectus penetrando, quæ spectant ad fidem.* Esa. 7. *Nisi credideritis, non intelligetis.* & proinde neque conuersi sint ad dominum, neque à morbo peccati sanati, quod solius dei est. Psal. 40. *Sana animam meam quia peccaui.* Hiere. 17. *Sana me domine, & sanabor: saluum me fac, & saluus ero.* Ostendit certitudinem prophetiæ, quia vidit excellentiam Christi filij dei, & de ipso loquutus est, quòd Iudæi malitia sua pro maiori parte excæcarentur in aduentu ipsius, Esa. 6.

2 *Veruntamen & ex principibus multi crediderunt in eum, sed propter pharisæos non confitebantur, ut de synagoga non eicerentur. Dillexerunt enim gloriam hominum magis quam gloriam dei. Iesus autem clamauit & dixit: Qui credit in me, non credit in me, sed in eum qui misit me. Et qui uidet me, uidet eum qui misit me. Ego lux in mundum ueni, ut omnis qui credit in me, in tenebris non maneat.*

Disce quòd vanæ gloriæ sectator, seruus est, & contumeliosus. Nam primores non audebant palàm profiteri, ob metum pharisæorum, qui decretum ediderant, vt si quis se discipulum profiteretur Iesu, submoneretur à synagoga, quod tunc plurimum erat opprobriosum. Timore hominum deo debitum subtraxerunt. Prou. 29. *Qui timet hominem, citò corruet: qui sperat in domino, subleuabitur.* 1. Ioan. 4. *Timor non est in charitate, sed per-*

fecta charitas foras mittit timorem. Iesus ergo clamauit & dixit: Omnes profiteamini vos credere deo. atqui quum à deo profectus sim, nec dicam quicquam aut faciam, nisi illo auctore, quid timuistis credere in me? fides illa quæ est in me, ad patrem transit. In me, dicit. Nā aliud est credere cuiquam, aliud in quemquam. Nam is qui credit alicui, potest intelligi vt credat ei vt vera dicenti, sed in quemquam omninò vt deum credit. Sic credimus Apostolis, non in Apostolos. Per hoc ergo se deum ostendit. Qui videt me oculo interiori mentis, videt & eum qui misit me. Per omnia hæc, manifestat eandem esse substantiam patris & filij. Ioan. 14. *Philippe, qui videt me, videt & patrem meum.* Non credis quia ego in patre, & pater in me est? Mundus tenebris errorum ac vitiorum plenus est. Atque ideo à patre, qui fons est omnis luminis, velut radius à sole descendi in mundum: vt disculsis erroribus, sublatis peccatis, lux essem mundi. Per fidem autem aperiantur oculi cæcorum, vt lumen videant, nec amplius impingant in tenebris. Nam errore liberat, & mentales discutit tenebras, seque ipsam notam reddit: & patrem, & omni scientia corda suscipiendum se illustrat. Ioan. 1. *Deus lux est, & tenebræ in eo non sunt vllæ.* 1. Ioan. 2. *Tenebræ transferunt, & verum lumen iam lucet.* Hinc admonet Apostolus, Ephes. 5. *Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus.*

3 *Et si quis audierit uerba mea, & non custodierit, ego non iudico eum. Non enim ueni ut iudicem mundum, sed ut saluificem mundum. Qui spernit me, & non accipit uerba mea, habet qui iudicet eum. Sermo quem loquutus sum, ille iudicabit eum in nouissimo die. Quia ergo ex meipso non sum loquutus, sed qui misit me pater, ipse mihi mandatum dedit quid dicam, & quid loquar. Et scio quia mandatum eius uita æterna est. Quæ ergo ego loquor, sicut dixit mihi pater, sic loquor.*

Quòd si quis audierit uerba mea, nec his obtemperauerit, huic a deo nihil profuerit ad salutem audisse, vt ob-

incredulitatem grauius etiã exitium sit habiturus. Non quod ego sim illum iudicaturus, quum huc in hoc non venerim, vt mundum condemnem ob illius scelera, sed vt per fidem purgatum mundum saluum faciam. Ioan. 3. Sic enim deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Non enim misit deus filium suum in mundum, vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum. Inuirapi præmitis, deterrui supplicis, alexi beneficiis, excitavi miraculis, neminem à salute repello, aditum cuius facilem ad vitam aperio. Quid igitur in extremo die prætexent ii, qui tot modis prouocati ad credulitatem, in sua cæcitate perseverauerint? Quare enim non crediderunt? Num vt aduersario dei & propriam gloriam querenti? A me ipso loquutus non sum. Si ergo dei cultores estis, sicut vobis videmini, si legem venerationis, meos sermones non potestis aspernari. Nec enim ex me ipso loquutus sum, eorum more qui ad suam gloriam, ad summam quæ volunt comminiscuntur: nec aduersa legi doceo: sed quæ lex adumbravit typis, promisit vaticiniis, præstito. Sicut qui mandatum referunt, nihil dicunt præterquã quod eis demandatum est; ita sanè ego ipse nihil aliud sentio vel docui, præterea quæ patri visa sunt. Ioannis. 7. Mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me. Atque ita quia nihil à me ipso dixi, qualem occasionem prætexet qui non crediderint? Citra controversiam enim condemnabuntur, quod patri non crediderint Baruc. 4. Hic liber mandatorum dei, & lex quæ est in æternum. Omnes qui tenent eam, peruenient ad vitam: qui autem dereliquerint eam, in mortem. Ideo Petrus ait: Ioannis. 6. Domine, ad quæ ibimus? verba vitæ æternæ habes. Cyrillus: Cum præcepit Christus nemini inferendam calumniam, non esse transcendendum fratri, non temere iudicandum proximum, non denique alteri faciendum quod non velimus nobis fieri: qui aliquid istorum admisit, ostendetur ex his domini verbis, reus gehennæ ignis. O pie deus, quid fiet de nobis miseris?

DE VENDITIONE IESU, Matth. xxvi. Marc. xiiii. Luc. xxii.

ARTICVLVS XXIII.

ET factum est cum consummasset Iesus sermones hos Matt. 26.
omnes, dixit discipulis suis: Scitis quia post biduum C
pascha fiet, & filius hominis tradetur ut crucifigatur?

Quum Iesus tot sermonibus animos suorum aduersus afflictiones imminentes, ne planè deiiceretur, quum mox viderent dominum suum rapi ad ignominiosum supplicium, tandem palàm ipsis aperit diem ac modum mortis suæ, cuius mentionem inculcat animis discipulorum; ne quum eam viderent, velut ad rem prorsus inexpectatam sic expauescerent, vt penitus desponderent animû: præsertim quum intellexerent Iesum vltro venisse ad mortem, quam alioqui licuisset effugere, neque prius occidi potuisse, quam venisset ille dies, quem ipse suæ morti præfinierat. Is autè erat dies paschæ. Luc. 2. Appropinquare autè dies festus azymorum, qui dicitur pascha. Quo nefas erat Iudæis per eius festi dies vesci panibus fermè tatis, atque idè dicitur phase siue pascha, quod Syris trãlitum sonat, ab agno anniculo, cuius cruore summi postes ædiû illiniebãtur, vt eas præteriret angelus domini, extinctor omnium qui hoc signum nõ haberent in frontibus, Exo. 12. In huius rei memoriam quotannis immolabant agnũ anniculũ immaculatũ, eumque ab angeli transitu, marique transito feciliter, vocabant phase. Exo. 12. Huius rei discipulos submonuit. Cæterũ hæc imago Iesu Christi, totũ orbem à peccati tyrãnide suo sacro sanguine redempturi, qui solus omnium à peccatorum maculis fuit immunis. Huius sanguine frontes nostræ consignandæ. Ezech. 9. Signa Tau super frontes virorum gementium & dolentium super cunctis abominationibus, quæ sunt in medio eius. sequitur, Omnem autem super quæ videritis tau, ne occidatis. Mar. 14. Erat autè pascha & azima post biduum. Hoc & discipulos non latebat, sed quod tũc do-

Phase seu pascha quod sonet.

minus occidendus esset ignorabatur, quare clarè ipsis prædixit, quò diuinitatem eius plenius intelligerèt. Esa. 41. Annunciate quæ ventura sunt, & sciemus quia dii estis vos. Esa. 42. Noua quoque ego annuncio, antequàm oriatur, audita vobis faciam.

Tunc congregati sunt principes sacerdotum, & seniores populi, in atrium principis sacerdotum qui dicebatur Caiphas: & consilium fecerunt, ut Iesum dolo tenerent & occiderent. Dicebant autem: Non in die festo, ne forte tumultus fieret in populo.

Quòd igitur immineret dies ille sacer ac lætus, cui celebrando conueniebat piis operibus præparari, tunc congregati seniores, quorù authoritate decuerat populi furorè cohiberi, si quis extitisset. Erat hic dies minimè accommodus sacerdotibus & scribis, qui maluerat mortè illius obscurà esse, ac vulgari nocentium supplicio simillimam. Iesus autem volebat suam mortem esse celebrè & solennem, ac per omnia veteris testamèti figuris ac prophetarum oraculis congruere. Lu. 22. Quærebant principes sacerdotù, quomodo eum interficerent: timebāt verò plebem. Ergo dum de homicidio cõueniret inter eos, consultatum est de tempore: quia verebantur tumultum populi, propterea quòd non pauci essent, qui conspectis miraculis, & audita doctrina mirabili, & animaduersa morum incredibili mansuetudine, magnificè de illo sentirent. Metuebant plebem, qui nō metuebant deum. Feria ergo tertia dominus præmissa dixit verba, quia feria quinta ad vesperam pascha immolabatur: tūc feria quarta, quum dominus non reuerteretur Hierusalem, conueniunt primores Iudæorum. Fuit istud consilium vitiosum, quia in arduis & dubiis causis maturè procedendū. Eccl. 31. Filii, absque consilio nihil facias, & post factum non poenitebis. Prou. 13. Qui omnia agunt cum consilio, reguntur sapientia. Hinc Moyses consilio Iethro iudices ordinauit in populo, qui seniores appellabantur, Exod. 18. Sed à senioribus egressa est iniquitas, qui videbantur regere populum. Dani. 13. Sic isti primò odio contra Christum concepto, ob præclara ipsius miracula, & con-

stantem doctrinam, populum ab eo auertere studuerunt: & finaliter vitam & memoriam ipsius è terra cogitarunt delere. Hic. 11. Eradamus eum è terra viuentium, & nomē eius non memoretur amplius. Vnde in atrium Caiphæ cõgregati fuerūt, qui antè cõsiliū dederat de morte innocentis, contra illud Exo. 23. Insontem & iustū nō occides. Hinc festinabant perficere quod cõceperant. Pro. 19. Vbi non est scientia animæ, non est bonum: & qui festinus est pedibus, offendet. Socrates? Velox cõsiliū sequitur poenitentia: imperitiæ enim signum est, citò fieri quod difficillimum est. Secundò est ordinatè inquirendū à bonis & sapientibus. Tob. 4. Consilium semper à sapiente require. Eccl. 37. Cor boni cõsiliij statue tecum. Anima viri sancti enunciat aliquando vera, quàm septè circūspectores sedentes in excelso ad speculandum, & in his omnibus deprecare altissimū, vt dirigat in veritate viam tuam. Hinc Eccl. 8. Cum fatuis consilium non habeas, nō enim poterunt diligere nisi quæ eis placent. Patet hoc in Roboam, qui relicto senum consilio, durè iuxta consiliū iuuenum populo respondens, decem partes regni amisit, 3. Reg. 12. Sic isti ira & inuidia excecati, nō nisi mortem domini sitiebant. Ira autem viri, iustitiam dei non operatur, Iacobi primo. Gregorius: Ira si semel mentem ceperit possidere, iustum esse deputat etiam quod crudeliter facit. Tertio prouidè circūspiciendum, attendādo principium, medium, & finem: vt prudèter inchoetur. Tob. 4. Omni tempore benedic deum, & pete ab eo vt vias tuas dirigat, & omnia consilia tua in ipso permaneant. Psal. 118. Consilium meum iustificationes tuæ. Alioqui dominus apprehendit sapientes in astutia eorum, & cõsiliū prauorum dissipat, Iob. 5. Esa. 19. Sapientes cõsiliarii Pharaonis dederunt inspiens consilium. Dominus miscuit in medio eius spiritū vertiginis, & errare fecerunt Aegyptum in omni opere suo, sicut errat ebrius & vomens, Iob. 21. Verūtamen quia non sunt in manu eorum bona, consilium eorum lōgè fac à me. Rectè profequatur. Deute. 16. Iustè quod iustū est, profequeris. Eccl. 17. Ante omnia opera verbū verax præcedat te, & ante omne actum consiliū stabile. Sunt qui cõmoda mediā inuenire norunt ad finem malū, qualis fuit Achitophel. 2. Regū. 16.

Cõsiliū boni cõditiones.

Consilium tuum Achitophel quod dabat in diebus illis, quasi si quis consuleret dominum. Quid autem dicitur Eccl. 26: Facienti nequissimum consilium, super ipsum devoluetur, & non agnoscat unde veniat illi. Sic ipse laqueo sibi finem vitae fecit, 2. Reg. 17. Sic & isti, Mar. 14. Querebant summi sacerdotes quomodo eum dolo tenerent, & occiderent. Quum enim de homicidio conclusum fuisset in domo Caiphae. Io. 11. de tempore & modo consultabatur, & quia tunc instabat dies festus: in quo omne masculinum coram domino apparere cogebatur, Exo. 32. ac multi Christum ut prophetam habebant, alij Messiam credebant: quanquam ab hac opinione per sacerdotes postea abducti sunt, ideo timebatur populi tumultum, ne ipsum e manibus ipsorum vi eriperet. Ut iliter perficiatur, ut finis sit utilis, unde sub pretextu communis utilitatis dominum occidere diffinierunt, ut patet Ioanis. 8. sed sua libidini & avaritiae ac ambitioni consulere studebant, quae videbant per Christi doctrinam & vitam obscurari & minui. Prouerb. 12. Dolus in corde cogitantium malus: qui autem pacis ineunt consilia, sequitur eos gaudium. Esa. 29. vae qui profundi estis corde, ut a domino abscondatis consilium, quorum sunt in tenebris opera, & dicunt, quis videt nos? & quis nouit nos? Peruersa est haec vestra cogitatio, quasi si lutum contra figulum cogitet, & dicat opus factori suo, non fecisti me: & figmentum dicat factori suo, non intelligis.

Tunc abiit unus de duodecim, qui dicebatur Iudas Iscarioth, ad principes sacerdotum, & ait illis: Quid vultis mihi dare, & ego eum uobis tradam? At illi constituerunt ei triginta argenteos. Et exinde querebat oportunitatem ut eum traderet.

Offendebat eos dies festus parum ad rem gerendam idoneus, ob celebritatem & frequentiam populi, sed praeter spem aliunde praebita occasio, cum impia ipsorum voluntate coniuncta, excussit scrupulum diei festi, Sarrinas qui prius per se Iesum tentarat, nunc eundem per suos ministros persequitur. Ioan. 6. Nonne duodecim vos elegi, & vnus ex vobis diabolus est? Dixit autem de Iuda Simo-

nis Iscariothis, hic enim erat traditurus eum, quum esset vnus ex duodecim. Luc. 22. Intrauit autem satanas in Iudam qui cognominabatur Iscarioth, vnu de duodecim: & abiit & locutus est cum principibus sacerdotum & magistratibus, quemadmodum illum traderet eis. Quum enim torus adductus esset teterrimo avaritiae morbo, quod sibi in vnguento perisse credebatur, id ex domini precio pensare volens, adiit principes & magistratus, quos sciebat certis animis conspirasse in mortem domini, neque quicquam esse in mora, nisi ut sine tumultu caperetur, & quos probabiliter credebatur congregatos, modum congruum ipsis insinaturus. Eccl. 10. Avaro nihil est scelestius. Nihil enim iniquius quam amare pecuniam. hic enim venalem animam suam habet, quoniam in vita sua proiecit intima sua. Non intrat satanas cogendo, sed alliciendo ad culpam, cui per nostram negligentiam & consensum aperimus. Ephe. 4. Nolite locum dare diabo Io. Iac. 4. Appropinquate deo, & appropinquabit vobis: resistite autem diabolo, & fugiet a vobis. Ipse autem elongauit se a Christo & corpore & mente, appropinquans satanae. Mar. 14. Qui audientes, gauisi sunt, & promiserunt ei pecuniam se daturus. Placuit auctor sceleris domesticus Iesu. Pro. 2. Latantur cum malefecerint, & exuleant in rebus pessimis Mar. 26. Et ait illis: Quid vultis mihi dare? & c. O mercator infelicissime, in voluntate ponis mercedem eius qui continet caelum & terram: & quia vendidisti, iam non habes, caelo & terra exosus. Imitatores paternorum scelerum, qui fratrem suum Ioseph vendiderunt Ismahelitis. 30. argenteis. Zacha. 11. Et appenderunt mercedem meam triginta argenteos. Illi polliciti sunt pecuniam, hic operam. Tantula mercede ad facinus immanissimum adduci potuit, tamque vili aestimatus est sanguis ille preciosus, qui sufficiebat vniuerso mortalium generi redimendo. Luc. 22. Et spondidit, & querebat oportunitatem, ut traderet illum sine turbis. Auidus & inhians promissae pecuniae, statim ex eo tempore captabat occasionem & opportunitatem prodendi Iesum. Claret maxima Iudae impietas in Iesum, cuius sectatores sunt omnes, qui pro temporali laude, lucro, vel comodo, iustitiam deserunt, vel falsum testimonium dicunt, aut falsum con-

tra veritatem iudicium proferunt. De quibus Efaia. 7. vā qui iustificabitis impium pro muneribus, & iustitiam iusti auferitis ab eo. Mich. 3. Principes eius in muneribus iudicabant, & sacerdotes eius in mercede docebant, & prophetæ eius in pecunia diuinabant. Ecce quanta vigilancia consilium malignantium obsedit Christum, Psal. 21. vt animam eius tollerent, Psal. 30. Accipere animam meam consiliati sunt. nos contrā vigilemus, consilium quærentes, quomodo vitam ipsius habeamus in nobis.

DE MANDUCATIO-

ne agni, *Matthæi vigesimo sexto, Marci decimo quarto, Luca. xxii.*

ARTICVLVS XXV.

17.26. **P**rima autem die azymorum accesserunt discipuli ad Iesum, dicentes: Vbi vis paremus tibi comedere pascha? At Iesus dixit: Ite in ciuitatem ad quendam, & dicite ei: Magister dicit, tempus meum propè est, apud te facio pascha cum discipulis meis. Et fecerunt discipuli sicut constituit illis IESVS, & parauerunt pascha.

Interea dum Iudas & sacerdotes de perdendo Iesu cōsultant, ille salutis humanæ negotium agit. Ioan. 13. Ante diem festum paschæ, Matth. 14. prima die azymorum quando pascha immolabāt, Luca. 22. In qua necesse erat occidi pascha. Duo hic obserua: agni typici immolatione & finem, & agni veri mysticam significationem & presentissimam exhibitionem, quo omnia legis inuolucra cessauerunt & cōpleta sunt. Nam in vespera, decima quarta die mensis primi, necesse fuit occidi agnum paschale, Exo. 12. quare vt veritas corresponderet figuræ, voluit

minus cum discipulis pasche vetus terminare, & nouam inchoare. Iudæi autem festa sua celebrabant à vespera in vesperam. Vnde hic sequitur: Et facta hora discubuit. Luca. 22. Et misit Petrum & Ioannem, dicens: Euntes parate nobis pascha, vt manducemus. At illi dixerunt: Vbi vis paremus? Chrysoft. Bene dicunt, vbi vis: quia in tota vita sua, non fuit ei certa mansio in mundo. Mat. 8. Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidus: filius autem hominis non habet vbi caput suum reclinet. 2. Cor. 8. Scitis gratiam domini nostri Iesu Christi, qui cum diues esset, propter nos egenus factus est, vt nos inopia illius diuites essemus. Rabanus: Audiant qui ædificandarum domorum curam habent, quos marmorum columnæ delectant. At Iesus vt ostenderet totum negocium esse mysticum, nec casu geri, nec necessitate, sed omnia ex præscientia & cōsilio diuino, ait Luca. 22. Ecce introeuntibus vobis in ciuitatem, occurret vobis homo quidam amphoram aquæ portans: sequimini eum in domum in quam intrat. Incerta & absentia prædicit, quod diuinitatem certius agnoscant Luca. 22. Et dicetis patrifamiliās domus: Dicit tibi magister. Claret hunc discipulum Iesu fuisse, sed occultū propter metum Iudæorum. Ioan. 12. veruntamen & ex principibus multi crediderunt in eum: sed propter phariseos non confitebantur, ne de synagoga fierent. Haud enim mediocris fortis fuit, apud quem dominus reficeretur, & discipuli post resurrectionem vsque ad pentecostem alerentur. Chrysoft. Diuinitus inspiratus, multorum odia vnus amore contempsit. Tempus meum, ab æterno præordinatum, in lege præfiguratum, amore salutis hominum desideratum. Apud te facio pascha cum discipulis meis. Luca. 22. vbi est diuersorium, vbi pascha cum discipulis meis manducem? Et ipse ostendet vobis cœnaculum magnum stratum, & ibi parate. Verè magnum, in quo tam magnifica acta, pasche vetus terminatum, nouum inchoatum, spiritus sanctus missus discipulis, Actu. 2. Mar. 14. Et abierunt discipuli eius, & venerunt in ciuitatem, & inuenerunt sicut dixerat illis, & parauerunt pascha. Hic vide simplicem discipulorū obedientiam, qualē exhibuerant & antè quàm emandarentur ad pullum agnæ adducendum, Mat. 23. Meritò enim quod præcipit

DE PEDVM ABLVTIO-
ne. Ioan. decimotertio.

ARTICVLVS XXVI.

Præcepta faciendum celeriter, quia tempus breue. Iob. 74. Breues
Christiquæ dies hominis sunt. Delectabiliter, quia præmium gran-
de. Matth. 7. Qui facit voluntatem patris mei qui in cæ-
*gnanter ac*lis est, ipse intrabit in regnum caelorum. Perseueranter.
citò exce- Matthæ. 10. Qui perseuerauerit vsque in finem hic saluus
quenda. erit. Luc. 9. Nemo mittens manum suam ad aratrum, &
respiciens retro, aptus est regno dei.

Vespere autem factò, discubuit cum duodecim discipulis suis.

Hinc claret, alios discipulos seorsum in alia mēsa comedisse, quia cœnaculum grande paratum ad hoc: sed seorsum ipse cum discipulis duodecim, quos vt selectos voluit sacrosancti conuiuij testes esse. nec Iudam dedignatus est huius conuiuij consortio, quo inexhausta dei benignitas, & inaudita proditoris manifestatur perversitas.

Luc 21.

Et ait illis. Desiderio desideravi hoc pascha manducare uobiscum antequam patiar. Dico enim uobis, quia ex hoc nō manducabo illud, donec implicatur in regno dei. Et accepto calice, gratias egit & dixit: Accipite & diuidite inter uos: Dico enim uobis, quod non bibam de generatione uitis, donec regnum dei ueniat.

Gloss. Desiderat primū typicum phasē manducare, & sic suæ passionis mysteria declarare, vt antiqui phasē probator existat, & ad suæ dispositionis figuram pertinuisse demonstrat, dum ad aeniētē ueritate ostendit uibrā cessare. Et quia ultimū uale, idēd multum desiderabile. Hoc affirmo uobis. post hac non comedam uobiscū hoc pascha iuxta legis præscriptum, sed aliud pascha perfectius iuxta spiritum perficietur in regno dei. Beda: His uerbis Christus prohibet agnum paschalē ueltrā carnaliter exhiberi, asserens se nequaquam ueltrā Moysaicum celebraturum. Sic calicem sumēs, gratias egit pro legaliū cōsummatione, noui testamēti inchoatione. Post hac non bibā de fructu uitis iuxta carnis necessitatē, sed mox ad erit regnū dei. Mat. ult. Data est mihi omnis ptās in celo & in terra. Nam post resurrectionē comedit & bibit cū discipulis. Act. 10. Dedit eum manifestum fieri nō omni populo, sed testib⁹ pōrdinatis à deo, nobis qui mādūcauimus & bibimus cū illo, postquam resurrexit à mortuis.

Ante diem festum paschæ, sciens Iesus quia uenit hora eius, ut transeat ex hoc mundo ad patrem, cum dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos. Et cœna facta, cum diabolus iam misisset in cor ut traderet eum Iudas Simonis Iscariothis: sciens quia omnia dedit ei pater in manus, & quia à deo exiuit, & ad deum uadit. Surgit à cœna, & ponit uestimēta sua: & cum accepisset linteum, præcinxit se. Deinde misit aquam in peluim, & cœpit lauare pedes discipulorum suorum, & extergere linteo quo erat præcinctus.

Ioan. 13.

E

Quū sciret dominus Iesus, quem nihil fugiebat, iā ad eferet tempus, quo & ipse festi uocabulo respondens, transiret ex hoc mūdo ad patrem, vn de fuerat profectus. Ioā. 16. Exiit à patre & uenit in mundum: Cū semper dilexisset suos, qui nondum erant exituri de mundo, sed ingens & longum certamē habituri cum mundo, perpetuam erga illos charitatem declarauit. Relicturus eos, uchementiorem etiam charitatē ostendit, nihil omittens eorum quæ facere decet eum qui multum diligit. Ostendit uolūtariam possessionē, quia præcognita. Cōuenienter immolatio agni uerī, qui tollit peccata mūdi, Ioan. 1. sequitur immolatio agni typici. Pascha enim nostrū immolatus est Christus. 1. Cor. 5. Quāquā omnia diligat quæ sunt, & nihil oderit eorum quæ fecerit, Sapiē. 11. singularia tamē ipsis dilectionis indicia ostēdit. Ioā. 15. Sicut dilexit me pater, & ego dilexi uos. Nam sacramento corporis & sanguinis sui paut, animam pro ipsis posuit. Ioā. 15. Maiorā hac dilectionē nemo habet, quā ut animā suā ponat quis pro amicis suis. Pro ipsis orauit. Ioan. 17. Pater sancte serua eos in nomine tuo quos dedisti mihi, ut sint unū sicut nos unū sumus. Nō rogo ut tollas eos de mūdo,

sed ut serues eos à malo. A persecutoribus defendit. Ioan. 18. Si ergo me queritis, sinite hos abire. Quum cena quo ad agni paschalis esum facta esset, & noui sacramenti restaret institutio: & diabolus animum Iudæ urgeret, ut quod cœperat perficeret, quumque sciret quod nihil horum pateretur interire, quæ sibi seruanda tradidisset, quòdque mox ad patrem esset rediturus vnde profectus erat: tamen ut omnem ambitionis affectum eximeret ex animis discipulorum, surgit, quòd planè ministri gereret imaginem, accipit linteam, moxque ipse misit aquam in peluim, & abiecit in iuxta mundum officij functionem aggressus est. Obserua hic in Christo fuisse futurorum præscientiam, & potestatem coercendi nefarios homines, & triumphandi dæmones. Non ergo coacto animo aut mera hominum tyrannide in crucem adactus est. Esaiæ. 53. Oblatus est, quia ipse voluit. Ioannis. 10. Potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo iterum sumendi eam. Iam & illud plenum est consolationis verbum, omnia esse in manibus Christi, vitam & mortem, gratiam & gloriam, quæ omnia ex ipso expectanda. Psalm. 83. Gratiam & gloriam dabit dominus. Semper ergo ad eundem cum plena fiducia. Heb. 4. Ad eam cum fiducia ad thronum gratiæ eius, ut misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno. Augustinus: Nec deum patrem cum inde exiret deserens, nec nos dum rediret. Vide domini humilitatem, omnia per seipsum agentis ponit vestimenta, præcingit se, peluim ipse implet aqua, pedes lauat & tergit. Si conferamus personæ dignitatem cum officio in quod se deiecit, nihil potest dici demissius. Apoca. 19. Habes in vestimento & in femore suo scriptum, Rex regum & dominus dominantium. Si attendamus quibus lauit: nam vnus proditor, alter abiurator, alij omnes transfugæ futuri, omnes ingrati beneficiis, maxime Iudas. Voluit hac deiectione sua omnem ambitionis & arrogantiae affectum radicatus è mentibus nostris euellere: nam humiliari, est opus eius qui à deo egressus est, & ad deum vadit: superbiere & fastuosum esse, opus est eius qui à diabolo egressus est, & ad diabolum vadit.

Venit

Venit ergo ad Simonem Petrum, & dixit ei Petrus: Domine, tu mihi lauas pedes? Respondit Iesus & dixit ei: Quod ego facio, tu nescis modò, scies autem postea. Dixit ei Petrus: Non lauabis mihi pedes in æternum. Respondit ei Iesus: Si non lauero te, non habebis partem mecum. Dixit ei Simon Petrus: Domine non tantum pedes meos, sed & manus & caput. Dixit ei Iesus: Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lauet, sed est mundus totus: & vos mundi estis, sed non omnes. Sciebat enim quisquam esset qui traderet eum: propterea dixit, non estis mundi omnes.

Petrus, ad quem dominus primò venit, quia principalior inter discipulos, alioqui non est verisimile quin & aliqui aliorum huiusmodi domini obsequium recusassent, inauditum humilitatis exemplum exhorruit: hinc suam humilitatem agnoscens, hinc domini dignitatem considerans, hoc animo refugiebat à magistro lauari, quòd baptista detrectauerat eidem impartiri baptismum, Mat. 3. Tu, inquit, cui dixi quòd sis filius dei viui; Mat. 16. tu, cui turbæ cœcinerunt, Iosanna filio David, Mat. 21. mihi seruo imperito pedes immundos lauas? Non leue, inquit, nõ ociosum est quòd ago, hoc quid sibi velit, nõndum intelligis: sed post cognosces, quòd ego nunc ago, tibi fuisse necessarium. Sed ne hoc quidem responso coercitus fuit Petrus, quare dominus vehementem eius reculationem, licet ab amore proficiscentem, veluti clauum clauo pelleret, minus cohibuit. Aut, inquit, lauaberis, aut à mensæ federique mei consortio se moueberis. Quamquam lotio exterior non esset necessaria ad salutem ex sua natura, tamèn ex voluntate dei fuit, quem admodum lignum scientiæ boni & mali vetitum, Genesis. 2. & 3. Interior tamen, cuius illa figura fuit, necessaria est, quæ nisi Christi sanguine fieri non potest. Apocalyp. primo, Dilixit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo. 1. Ioan. 1. Sanguis Iesu Christi filij dei emundat nos ab omni peccato. Cyrillus: Nisi quis peccati sordes per gratiam meâ lauerit, atque absterferit, regni calorum non erit parti-

eeps. Apoca. 21. Non intrabit in eum aliquid coinquinatū aut abominationem faciens & mendacium, nisi qui scripti sunt in libro vitæ agni. Psal. 14. Dominus pars hæreditatis meæ. Col. 1. Qui nos dignos fecit in partē fortis sanctorum in lumine, qui eripuit nos de potestate tenebrarum, & transfudit in regnum filij dilectionis sue, in quo habemus redemptionem & remissionem peccatorum. Si ergo nos peccato inquinatos agnoscamus, non abigendus Christus, sed precibus pulsandus, & singulibus accersendus. Psal. 50. Cor mundum crea in me deus, & spiritum rectum inuova in visceribus meis. Ezech. 36. Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, & dabo vobis cor nouū, & spiritum nouum ponem in medio vestri. Audiens Petrus vehementes has minas, quā vehemens erat detrectando, tam vehementior erat admittendo, ita vt & capud ad lauandum daret, totum se domino subiiciens. Vtrunque ex charitate fiebat, & detrectatio, quia plurimum obseruabat dominum, & admissio, quia à domino separari nolebat. Qui lotus est baptismo, non indiget nisi vt pedes lauet, hoc est, affectiones animi purget ab omnibus inquinamentis huius mundi. Origenes: Impossibile est extrema animæ & infirma eius nõ contemneri, quanquam quò ad homines perfectus quis esse putetur. Sapi. 9. Corpus quod corrumpitur, aggrauat animam. Exceptione hac quòd mundi essent, sed non omnes, Iudæ notauit conscientiam, qui sibi tantum conscius fuit: vt vel sic respiceret, posteaquàm intelligeret se non latere dominum, quam destinaret prode. Claret ex hoc ipsum non de corporali, sed spiritali loqui mundatione, quanquam per corporalem significetur. non enim solùm hoc habebat exemplum absolutæ modestiæ, verumetiam typum intelligentiæ: inimirum eos qui sese accingerent ad prædicationis euangelicæ munus, qui dominicæ mensæ participes esse volunt, oportere purissimos esse ab omnibus humanis & terrenis affectibus. Vnde quanquam instructa cæna & omnia parata, non tamen antea corpus sum impartit & sanguinem, quàm abluat corporis sordes. Ponit vestimenta, designans veterem Adamum exuendum. Coloss. 3. Expolientes vos veterem hominem

eum a cibus suis, & induentes nouum, cum qui renouatur in agnitionem dei, secundum imaginem eius qui creauit eum: Esaie. 11. Fides cinctorum renū eius. Oportet enim accedentem ad stupenda hæc mysteria, credere quia est; & quòd præsens est, quòd iam non panem, sed Christi corpus sumpturus est, cuius caro immolanda erar pro mundi vita. Hebr. 11. Sine fide impossibile est placere deo: Sola enim fides suppetias nostræ imbecillitati laturo energiam, quibus testatur hoc esse quòd manibus

Corporis Christi in sacramento veritas.

porrigebat, corpus suū ipsissimum. hunc quoque sanguinem, quem in remissionem multorum effusus sit, Mat. 26. Adsit huic lintheo humilis animus Mat. 8. Domine, non sum dignus vt intres sub tectum meum. Itaque percepturi corpus domini, mandemus nos ab omni inquinamento carnis & spiritus, perficientes sanctificationem in timore dei. 2. Corint. 7. Per confessionem lauare poterimus, vt non indignè communicemus cœnæ, & nobis manducemus & bibamus.

Postquam ergo lauit pedes eorum, accepit uestimenta sua: & cum recubisset iterum, dixit eis: Scitis quid fecerim uobis? Vos uocatis me, magister & domine & bene dicitis, sum etenim. Si ergo ego laui pedes uestros dominus & magister, & uos debetis alter alterius lauare pedes. Exemplum enim dedi uobis, ut quemadmodum ego feci uobis, ita & uos faciatis. Amen amen dico uobis, non est seruus maior domino suo, neque apostolus maior est eo qui misit illum. Si hæc scitis, beati eritis si feceritis ea.

Origenes: Hoc dixit vel interrogatiue, ostendens facti magnitudinem: vel imperatiue, vt discipulorum erigat attentionem. Bene dicitis. Matthæi 23. Vnus est magister Christus. Inaniter ergo ipsum magistrum & dominum vocant, qui eius doctrinæ non obediunt. Romanorum decimo; Non enim omnes obediunt euangelio. Lucæ sexto: Quid uocatis me, domine domine, & non facitis quæ dico? Vos igitur qui inter vos fratres estis & conserui,

multo magis non grauabimini mutuis officiis inuicem in seruire. Turpe fuerit igitur vobis in gregem vobis credendum, aut etiam inter vos turgere fastu, lauire violentia, quum me ram mitem, tam modestum dominum ac magistrum habeatis. Non est seruus maior domino suo, quā diu seruus est, neque legatus quā diu legatus est: quando autē maior fit, neque seruus est neque legatus. Beati ergo eritis non modo quia creditis, sed si imitantes exemplū meum, feceritis ea, meis obtemperando iussis. Non enim magnum, virtutem agnoscere, sed studiosē agere maximum. Luc. 12. Seruus sciens volūtatem domini sui, & non faciēs, plagis vapulabit multis. Mat. 11. Discite à me, quia mitis sum & humilis corde. & apostolus. 1. Cor. 4. Imitatores mei estote, sicut & ego Christi. Iaco 1. Estote factores verbi, & non auditores tantum, fallentes vosmetipsos. Chrysofost. Non priusquā discumberent, sed post omnium accubitum surgit à cœna, ponit vestimenta, lauit linteo præcinctus; nec his cōtentus, ipse peluim impleuit, ipse à nemine iusso omnia fecit: exemplo docens, non remisse & frigidè bona opera, sed quā diligentissimè faciēda per nos ipsos, & non aliis vti ministris. Vtergo munda sint opera nostra, necesse est vt habeant rectitudinem intentionis. Mat. 6. Si oculis tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit. Strenuitatem executionis. Psal. 30. Viriliter agere, & confortetur cor vestrum omnes qui speratis in domino. Puritatē operationis, ne sint permixta malis. Iac. 4. Emundate manus peccatores, & purificate corda duplices animo. Esa. 1. Lauamini, mundi estote, auferre malum cogitationum vestrarum.

DE SACRAMENTI INSTITUTIONE, Matthæi xxvi. Marci. xiiii. Lucæ. xxii.

Mat. 16.
F

Coenantibus autem eis, accepit Iesus panē & benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, & ait: Accipite & comedite. hoc est corpus meū. Et accipietis calicē,

gratias egit, & dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes. Hic est enim sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effundetur, in remissionem peccatorum.

Greg. Finitis veteris agni cæremoniis, transit ad institutionem noui & veri agni, quem in memoriam suæ passionis, & nostræ redemptionis frequentari instituit. Chrysofostomus: Vide o homo quali sis à Christo honore honoratus, quali & mensa potiris, quod angeli videntes horrescunt, nec sine reuerētia respicere audent, propter eam quæ intus fertur coruscationem. Lucæ. 22. Hoc est corpus meum quod pro vobis datur. Hoc facite in meam commemorationem. Hoc est, inquit, non significat vt manna, Exo. 16. 1. Cor. 10. Omnes eandem escam spiritualem manducauerunt. Vnde subdit quod pro vobis datur, hoc est, passioni & morti iam exponitur, proditore tradente, & me sponte ad passionē accedente. Hæc omnia quæ lex habuit carnalia, spiritualiter exhibebuntur: sufficit enim vnica victima pro peccatis omnium seculorum. Sed vos vobis huius mææ erga vos charitatis memoriam renouabitis, quod nunc à me videtis fieri. Sicut enim legale pascha fuit figuratiuum futuri, sic euangelium istud est rememorationem præteriti. Luc. 22. Similiter & calicem postquam cœnauit, dicens: Hic est calix noui testamenti in meo sanguine, qui pro vobis fundetur. Quemadmodum vetus testamentum sanguinis aspersione confirmatum fuit, Exo. 24. ita & nouum, vt pulchrè ostendit Aposto. Heb. 5. Testamentum in mortuis confirmatum est, alioqui nondum valet dum viuunt qui testatus est. Vnde nec primum quidem sine sanguine dedicatum est. Effusus est pro electis, quantum ad sufficientiam & efficaciam: sed pro omnibus quo ad sufficientiam: quia passio ipsius est sufficientiens omnes saluare. Sed nemo huius abolitionis peccatorum particeps euadit, nisi qui crediderit, & sacris ecclesiæ mysteriis submiserit sese. Hoc est enim participem fieri redemptionis semper stantis, credere videlicet, & sacramentis ecclesiæ quemlibet rite initiari. Leo: Sanguinē quem Iudas vendidit, Christus ei obtulit, vt haberet remissionem peccatorum si vellet. Nec enim Iudam proditorem ab hoc sacrosancto symbolo semouit clementissimè

mus dominus, vt hac tãta lenitate corrigeretur. Sed quoniam ille fœderis signum accepit, quum proditorem ageret in animo, impurius diceſſit quàm venerat. Marci. 14. Et accepit calice, gratias agens dedit eis. Et biberunt ex illo omnes. Claret ergo quòd & Iudas, quia duodecim cum ipſo diſcubuerunt apoſtoli; Luc. 22. Tria hic obſeruanda. Primum, huius ſacramenti perfectio, Heb. 7. Nihil ad perfectum adduxit lex. Roma. 10. Finis enim legis Chriſtus, ad iuſtitiam omni credenti. Hinc ſacrificia veteris legis non fuerunt deo accepta, niſi in fide offerentium, quia figurabant plenum & perfectum Chriſti ſacrificium in cruce. Et ſic ſolum fuit figuratiuum. 1. Cor. 10. Omnia in figura contingebant illis, Hebr. decimo, Umbram habens lex futurorum bonorum, non ipſam imaginem rerum, Chriſti ſacrificium perfectum. Heb. 10. Impoſſibile eſt ſanguine taurorũ aut hircorum auferri peccata, idẽ ingrediens mundum dicit (Chriſtus) Hoſtiam & oblationem noluiſti, corpus autem aptaſti mihi: holocaustomata, & pro peccato tibi non placuerunt, tunc dixit, ecce venio. In capite libri ſcriptum eſt de me, vt faciam deus voluntatem tuam. ſequitur, In qua voluntate ſanctificari ſumus per oblationem corporis Chriſti ſemel, Ioan. 1. Ecce agnus dei, ecce qui tollit peccata mundi. Eccleſiæ ſacrificium, dicitur repræſentatiuum illius quod in cruce factum eſt, in quo verus agnus non iam in cruce mortalis, ſed ſub ſpeciebus panis & vini impaſſibilis offertur. Heb. 7. Tranſlato ſacerdotio, neceſſe eſt vt & legis tranſlatio fiat. ſequitur: Et amplius adhuc manifeſtum eſt, ſi ſecundum ſimilitudinem Melchifedech exurgat alius ſacerdos, qui non ſecundum legem mandati carnalis factus eſt, ſed ſecundum virtutem vitæ inſolubilis. Conteñtatur enim, quoniam tu eſ ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchifedech, Pſal. 109. Quibus conſtat, legis tranſlationem concomitari & ſacerdotij tranſlationem non eius ſacerdotij, quo ordine Aaronico immolabant crudas carnes brutorum, quum hunc immolandi ritum Chriſtus ſemel in ſe tranſulerit, ſeipſum offerens ſemel ad multerũ exhaurienda peccata. Heb. 9. Cõſequitur ergo neceſſariò hanc tranſlationem ſacerdotij, ſacerdotes eſſe ſecundum ordinem Melchifedech, qui pa-

Tria hic
notanda,

nem & vinum obtulit. Genef. 14. erat enim ſacerdos dei altiſſimi. Hinc dominus panem & vinum in corpus & ſanguinem conſecrãdo diſcipulis tradidit, ac idem in ſui memoriam faciendum mandauit. 1. Cor. 11. Ego accepi à domino, quod & tradidi vobis, quoniã dominus leſus in qua nocte tradebatur, accepit panẽ: & gratias agens, fregit & dixit: Accipite & mãducate, hoc eſt corpus meũ quod pro vobis tradetur: hoc facite in meã cõmemorationẽ. Similiter & calicem poſtquã cõmnavit, dicẽs: Hic calix nouum teſtamentum eſt in meo ſanguine. Hoc facite, quotieſcũque bibetis, in meam cõmemorationem. Claret ergo quòd Chriſtus nõ panem & vinum, ſed corpus & ſanguinem diſcipulis tradidit. Vnde quũ idem diſcipulis faciendũ præceperit, manifeſtum eſt poſt verba conſecrationis prolata à ſacerdote, non panem, ſed corpus eſſe Chriſti, atque iam veram tranſubſtantiationẽ, poſt vltimum verborum inſans, vbi completur ſenſus. Non enim virtute miniſtri, ſed dei fit tranſubſtãtiatio. 1. Per. 4. Qui miniſtrat, tanquam ex virtute quam adminiſtrat deus. Ipſe enim a deſt ſacris verbis, modo adũt legitimus miniſter, forma præſcripta, fides eccleſiæ. Si enim verba Chriſti quibus ipſa conſecratio fit, aliquid efficiũt, tum id quod præ ſe ferunt, nepe præſentiſſimũ eſſe corpus Chriſti & ſanguinem, atque ita præſentẽ materiã quo ad ſubſtãciam deſiſſe, ſolãſque ſpecies remãſiſſe. Sin nihil efficiunt, mẽtus eſt Chriſtus, qui ait, Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur. Efficiũt igitur verba à miniſtro prolata, legitimo ritu, non in ſigno, nec in ſola memoria id quod illa verba indicãt, quod pro vobis tradetur: item qui pro vobis effundetur, quæ non de ſigno aliquo, ſed de carne & ſanguine Chriſti intelliguntur. Illa enim ſunt, quæ pro totius humani generis ſalute tradita ſunt & oblata. Quanquã ſpecies illæ, quæ & ſacramenti nomine ceñſentur, viſibile ſignum dici poſſint, ſub iis tamẽ cõtinentur verũ corpus & verus ſanguis, vera anima & deitas Chriſti, atque proinde eodem quo ad dexteram patris ſedens, cultu adorandus. Quod autẽ panis aliquoties nominatur, vt claret in actis, more fit ſcripturæ, quæ aliquando ſolet nominare quiddam, nõ id quod eſt, ſed quod fuit, vt cũ virga Aarõ dicitur deuorãſſe viſ-

Transſub-
ſtãtiatio af-
ſeritur.

*Tria hic
notanda,*

mus dominus, vt hac tâta lenitate corrigeretur. Sed quoniam ille fœderis signum accepit, quum proditorem ageret in animo, impurius diceſſit quàm venerat. Marci. 14. Et accepit calice, gratias agens dedit eis. Et biberunt ex illo omnes. Claret ergo quòd & Iudas, quia duodecim cum ipſo diſcubuerunt apoſtoli, Luc. 22. Tria hic obſeruanda. Primum, huius ſacramenti perfectio, Heb. 7. Nihil ad perfectum adduxit lex. Roma. 10. Finis enim legis Chriſtus, ad iuſtitiam omni credenti. Hinc ſacrificia veteris legis non fuerunt deo accepta, niſi in fide offerentium, quia figurabant plenum & perfectum Chriſti ſacrificium in cruce. Et ſic ſolum fuit figuratiuum. 1. Cor. 10. Omnia in figura contingebant illis, Hebr. decimo, Vmbra habens lex futurorum bonorum, non ipſam imaginem rerum. Chriſti ſacrificium perfectum. Heb. 10. Impoſſibile eſt ſanguine taurorũ aut hircorum auferri peccata, idẽ ingrediens mundum dicit (Chriſtus) Hoſtiam & oblationem noluiſti, corpus autem aptaſti mihi: holocaustomata, & pro peccato tibi non placuerunt, tunc dixit, ecce venio. In capite libri ſcriptum eſt de me, vt faciam deus voluntatem tuam. ſequitur, In qua voluntate ſanctificari ſumus per oblationem corporis Chriſti ſemel, Ioan. 1. Ecce agnus dei, ecce qui tollit peccata mundi. Eccleſiæ ſacrificium, dicitur reſpreſentatiuum illius quod in cruce factum eſt, in quo verus agnus non iam in cruce mortalis, ſed ſub ſpeciebus panis & vini impaſſibilis offertur. Heb. 7. Tranſlato ſacerdotio, neceſſe eſt vt & legis tranſlatio fiat. ſequitur: Et amplius adhuc manifeſtum eſt, ſi ſecundum ſimilitudinem Melchizedech exurgat alius ſacerdos, qui non ſecundum legem mandati carnalis factus eſt, ſed ſecundum virtutem vitæ inſolubilis. Conteſtatur enim, quoniam tu eſ ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchizedech, Pſal. 109. Quibus conſtat, legis tranſlationem concomitari & ſacerdotij tranſlationem, non eius ſacerdotij, quo ordine Aaronico immolabant crudas carnes brutorum, quum hunc immolandi ritum Chriſtus ſemel in ſe tranſulerit, ſeipſum offerens ſemel ad multerũ exhaurienda peccata. Heb. 9. Cõſequitur ergo neceſſariò hanc tranſlationem ſacerdotij, ſacerdotes eſſe ſecundum ordinem Melchizedech, qui pa-

nem & vinum obrulit. Genef. 14. erat enim ſacerdos dei altiſſimi. Hinc dominus panem & vinum in corpus & ſanguinem conſecrãdo diſcipulis tradidit, ac idem in ſui memoriam faciendum mandauit. 1. Cor. 11. Ego accepĩ à domino, quod & tradidi vobis, quoniã dominus Ieſus in qua nocte tradebatur, accepit panẽ: & gratias agens, fregit & dixit: Accipite & mãducate, hoc eſt corpus meũ quod pro vobis tradetur: hoc facite in meã cõmemorationẽ. Similiter & calicem poſtquã cõnauit, dicẽs: Hic calix nouum teſtamentum eſt in meo ſanguine. Hoc facite, quotieſcũque bibetis, in meam cõmemorationem. Claret ergo quòd Chriſtus nõ panem & vinum, ſed corpus & ſanguinem diſcipulis tradidit. Vnde quũ idem diſcipulis faciendũ præceperit, manifeſtum eſt poſt verba conſecrationis prolata à ſacerdote, non panem, ſed corpus eſſe Chriſti, atque iam veram tranſubſtantiationẽ, poſt vltimum verborum inſtans, vbi completur ſenſus. Non enim virtute miniſtri, ſed dei fit tranſubſtãtiatio. 1. Per. 4. Qui miniſtrat, tanquam ex virtute quam adminiſtrat deus. Ipſe enim a deſt ſacris verbis, modo adſit legitimus miniſter, forma præſcripta, fides eccleſiæ. Si enim verba Chriſti quibus ipſa conſecratio fit, aliquid efficiũt, tum id quod præ ſe ferunt, nõ præſentiſſimũ eſſe corpus Chriſti & ſanguinem, atque ita præiacentẽ materiã quo ad ſubſtãciam deſiſſe, ſolãſque ſpecies remãſiſſe. Sin nihil efficiunt, mêtus eſt Chriſtus, qui ait, Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur. Efficiũt igitur verba à miniſtro prolata, legitimo ritu, non in ſigno, nec in ſola memoria id quod illa verba indicat, quod pro vobis tradetur: item qui pro vobis effundetur, quæ non de ſigno aliquo, ſed de carne & ſanguine Chriſti intelliguntur. Illa enim ſunt, quæ pro totius humani generis ſalute tradita ſunt & oblata. Quanquã ſpecies illæ, quæ & ſacramenti nomine cenſentur, viſibile ſignum dici poſſint, ſub iis tamẽ cõtinentur verũ corpus & verus ſanguis, vera anima & deitas Chriſti, atque proinde eodem quo ad dexteram patris ſedens, cultu adorandus. Quod autẽ panis aliquoties nominatur, vt claret in actis, more fit ſcripturæ, quæ aliquando ſolet nominare quidpiam, nõ id quod eſt, ſed quod fuit, vt cũ virga Aarõ dicitur deuoraſſe vir-

*Transsub-
ſtãtiatio af-
ſeritur.*

gas Magorum, Exo. 7. quæ tūc non erāt virgæ, sed serpēs. vel quia vocabant id quod specie præ se ferebāt, quum satis haberent rudem adhuc populū in fide, lacte pascere: nec primum aliud exigere, quā vt quocūque modo crederēt in sacramēto esse corpus Christi, postea solidiori cibo pasturū paulatim, postquā adoleuissent in domino. 1. Cor. 3. Ego fratres non potui vobis loqui quasi spiritalibus, sed quasi carnalibus, tanquā paruulis in Christo lac vobis potum dedi, nō escam, nondum enim poteratis, sed nec nunc quidē potestis. Heb. 5. Facti estis quibus lacte opus est, non solido cibo. Ex quibus claret, Paulum non omnia satis aperte dixisse, non quod dicenda non erant, sed quod plebs adhuc in fide rudis, mysteria capere non valuerit: & quia panis speciem præ se ferebat, panem appellabant. Oportet ergo nos indubitatum retinere fidem, nec quarere quomodo, vt Iudæi, Ioan. 6. Quomodo potest hic nobis dare carnem suam ad manducandum? alioqui nunquam intelligemus. Esā. 7. Nisi credideritis, non intelligetis: sed in captiuitatem redigendo intellectum in obsequiū Christi. 2. Cor. 10. Animalis enim homo, qui humanas sequitur cogitationes & animales, non percipit ea quæ sunt spiritus dei. 1. Cor. 2. non enim est capax eorum quæ sunt supra naturam. Stultitia enim illi videtur, & non potest intelligere, quia spiritualiter examinatur, vides infantulum aquis immergi, paucis recensitis verbis: sed quādo aptus sensus, aut ratio docet animam illius intrinsecus explari, huic profectō credulitati & sensus & ratio reluctantur, donec certa persuasione de verbis Christi concepta per donum ipsius, hoc ipsum nobis clarè testatum sit. Quamobrem sicut Paulus de Abraham dicit Romā. 4. quod ad promissionem dei nihil dubitauit ob impossibilitatem, sed robustus factus est, tribuens gloriam deo, certissimè sciens quia is qui promiserat, potēs esset & præstare: sic & cuius alteri faciendum, qui vestigijs fidei Abraham meditatur incedere, fidem firmam Christi verbis adhibeat, nec hæstet quicquam illum abundè præstare posse quod affirmarat, nimirū in hoc sacramēto verum corpus Christi esse, atque ita Christo gloriā dabit: alioqui mendacii ipsum arguit, quod esset blasphemia, quum sit veritas ipsa. Ioan. 14.

Ego suam via, veritas, & vita, Secundum; operatio. Nam huius virtute sacramenti purgamur à vitis, gratia impingamur & confortamur, & ad gloriam perducimur. Est enim mutua dilectionis in nobis confœderatiuū, nō significatiuum solū, Teste Augustino, significant species panis & vini, communionem charitatis inter Christianos esse debere: vt sicut ex multitudine granorū panis, & vuarum multitudine viniloquior vnus profluit: sic Christianorum vniuersa multitudo sibi inuicem mutua dilectione solidissimè cōnectatur, ac verè fiat corpus vnum. 1. Cor. 10. Quoniam vnus panis & vnū corpus multifumus, omnes qui de vno pane & de vno calice participamus. Ceterū quoniam hanc vnionem potissimū præstat & efficit vnitas capitis, idcirco Christus huius corporis caput, præsens est in hoc sacramento, vt nō modo significetur ista communio, verū etiam efficaciter præstetur iis, qui se idoneos reddunt. Sicut enim à capite nerui suam originem sortiuntur, quibus tum caput ipsum membris, tum membra singula sibi colligantur: sic ab hoc capite Christo nerui charitatis diffunduntur per huius sacramenti sumptionem & ad singula membra, spiritūque Christi transformat, viuificat, & connectit ea, tam inter se, quā ipsi capiti, per esum ipsius corporis, & potum sanguinis. Ephesios. 5. Veritatem autem facientes, in charitate crescimus in illo per omnia quæ est caput, Christus, ex quo totum corpus compactum & cōnexum per omnem iuncturam submistrationis secundum operationem, in mensuram vniuscuiusque membri augmentum corporis facit in ædificationem sui in charitate. Non vertitur iste cibus ad modum cibi communis in substantiam nostram, sed nos magis vertit & incorporat Christo. Ioā. 6. Sicut misit me viuēs pater, & ego viuo propter patrem: & qui manducat me, & ipse viuet propter me. Vnde est & vnio futuræ vnionis in patria præuia. Quid istac charitate, liberalitate, dignatione sublimius, quā nos tā preciosissimo alimento fouere, & tā intimè vniri nobis dignatur? Tertiu, frequentatio. Quoniam mors Christi nō erat iteranda, nequādo tantum beneficium elabi posset à mentibus hominum, bene sacrosancti cœderis in iti semel, cū salutis suæ authore pos-

sent obliuisci, instituit vt crebra communionē sacri panis & calicis memoria renouaretur inter euangelicæ legis professores, donec veniat, nō iam seruator, sed iudex. Interim non expectanda alia hostia pro peccatis, quādoquidem hæc vnā sufficit pro abolendis peccatis totius mundi. vt ergo sit nobis quod offeramus acceptabile sacrificium, quo nobis respicientibus conciliatum & placatum certō sciamus patrem, id nobis facere in sui memoriā præcepit, Lucæ vigesimosecundo, 1. Corinthi. vndecimo, Quotiensconque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem domini annuntiabitis donec veniat. Chrysostomus super illud. 2. Timoth. tertio: volo quidem adicere planè mirabile, & nolite mirari neque turbemini. Quid vero est istud? Sacra oblatio ipsa, siue Petrus, siue Paulus, siue cuiuslibet meriti sacerdos offerat, eadē est, quam Christus dedit discipulis, quæque sacerdotes modo faciunt, nihil habet ista quàm illa minus. Cur id est? quia non hæc sanctificant homines, sed Christus, qui antè sacrificauerat. Quemadmodū enim verba quæ loquutus est Christus, eadem sunt quæ sacerdos nūc quoque pronunciat, ita & oblatio eadē est, sequitur: Et hoc igitur Christi corpus, & illud. Qui autē hoc illo min⁹ habere aliquid putat, ignorat Christū esse, qui nūc etiam adest & operatur. De hoc sacrificio dominus Malach. primo. postquā crassæ legis reprobauit holocausta & hostias, mox istud statuit, toto orbe terrarum offerendum. Ab ortu solis, inquit, vsque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum est nomen meū in gentibus. Et paulō post de Christi aduentu, deque ecclesia loquens ait Malac. tertio: Et placebit domino sacrificium iuda & Hierusalē sicut dies seculi, & sicut anni antiqui. Patet ergo quod antiquata lege, aliud sacrificium multo sacratius à vero Melsia institutum sit, quod non iam in Hierusalem, sed in omni loco eius nomini dicato à veris Israelitis offerendum est. Institutum est autem his verbis, Lucæ vigesimosecundo. Hoc facite in meam commemorationem. Vbi planè mandauit, vt eadem faceremus quæ ipse in cœna, panem & vinum in corpus & sanguinem consecrando, quæ planè

cum non sint prophana, sed sacra, & nos eius iussu sacra facimus, omninoque sacrificium agimus. Confirmat id Paulus Hebræo. 5. Omnis pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus cōstituitur in his quæ sunt ad deū, vt offerat dona & sacrificia pro peccatis: propterea debet quemadmodum pro populo, ita etiam pro semetipso offerre pro peccatis. Obserua quod offerendum hoc sacrificium pro peccatis, sic & alibi legimus offerendum pro gratiarū actione, pro regibus, & cætera. primè ad Timoth. secundo. Obsecro primū omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus, pro regibus & omnibus qui in sublimitate constituti sunt, vt quietam & tranquillā vitam agamus, in omni pietate & castitate. Hic ritus celebrandi paucis indicatur. Sicut paschalis agni cæremonia seu religio, quæ sanè non paucas res exigebat, pasce vocabatur. 1. transitus, sic & eucharistiæ conficiendæ cæremonia, missa dicta est.

*Phase.
Missa.*

DE PRÆVNCLATIONE proditiōis Iudæ, & negationis Petri, Matth. vigesimo-sexto. Marc. xiiii. Luc. xxii. Ioan. xiii.

ARTICVLVS XXVII.

Hæc cum dixisset Iesus, turbatus est spiritu, & protestatus est, & dixit: Veruntamen manus tradentis me, mecū est in mēsa, Non de omnibus vobis dico: (ego scio quos elegerim.) sed ut adimpleatur scriptura, qui manducat mecum panem, leuabit contra me calcaneum suū. Amodo dico vobis priusquam fiat, ut cum factum fuerit, credatis quia ego sum.

Ne improbitus & nescius existimaretur traditus & passus, traditionem prædixit sicut & passionem, occultè

tamen, non prodendo proditorem, quò diuinitatem, su-
tura prædicendo, suam ostendit. Deberet, inquit, amor
esse reciprocus: sed tamen est hic nobiscum in mensa, qui
me proditurus est his qui me quarunt ad mortem. O
quot in mensa domini immundas habent manus. Sic pro
familiaritatis officio plus quàm hostilia redditurus, quàm
panis & salis communio soleat etiam ignotos amicitie
fœdere iungere. Volebat dominus Iudam ad pœnitentiam
reducere, & ideo relictis omnibus beneficiis aliis,
quæ in illum contulerat, posuit hoc quod maximè facie-
bat ad confundendum eum. Elegit dominus & Iudam.
Ioan. 6. Nónne duodecim vos elegi: sed cum bonus esset,
vt Saul. Reg. 15. sed ipse liberi existens arbitrij, muta-
tus est. permittit enim dominus vnicuique sicut vult o-
perari, non enim aufert liberum arbitrium. Calcaneum,
inquit, leuaui, hoc est, dolum & deceptionem cõtra me
composuit. Credatis quia ego sum. Ioan. 8. Si non credi-
deritis quia ego sum, moriemini in peccatis vestris. An-
tequam Abraham fieret, ego sum qui sum.

*Amen amen dico uobis, qui accipit si quem misero,
me accipit: qui autem me accipit, accipit eum. qui me
misit. Cum hæc dixisset Iesus, turbatus est spiritu, &
protestatus est, & dixit: Amen amen dico uobis, quia
unus ex uobis tradet me.*

Quemadmodum ego patris apostolus non aliud ago
quàm ex voluntate patris, ita & vos qui mei estis apo-
stoli, si bona fide vobis mandatum exequemini, sic à pijs
recipiemini, veluti me per vos loquente, quemadmodum
pater per me loquitur, nihil aliud docetẽm quàm quod
ille præscripsit. 2. Corin. 13. An experimentum queritis
eius qui in me loquitur Christus? Qui ergo me in mem-
bro meo suscipit, & patrem suscipit & honorat. Turba-
tus fuit in anima, veluti exhorrens exitum illius, qui
suapte malitia sibi mortem æternam tendebat accerse-
re. Augustinus: Deslet casum Iudæ, & mentis obstinatæ
peruersitatem, & pœnæ æternæ debitæ immensitatem,
quare ei misericorditer compatitur. Sic Paulus iugebat
eos qui peccauerant, & non egerant pœnitentiam lupere

immunditia, & fornicatione, & impudicitia. 2. Corin. 12.
Fuit hæc turbatio non inordinata, nec rarionem præue-
niens aut subruens, sed potestatiuè assumpta. Quum au-
tem passiones naturales sint in appetitu sensitiuò, & cõ-
munes animæ & corpori, faciliter in vultu apparentes,
pœnosum fuit discipulis sic turbatum videre magistrum
summè dilectum. Replicatio amen, certitudinis erat si-
gnum, & excitatio mentis ad audiendum. Marc. 14. A-
men dico vobis, quia vnus ex vobis tradet me, qui man-
ducat mecum. At illi cœperunt contristari. Matth. 26. Et
contristati valde, cœperunt singuli dicere: Nunquid ego
sum dominus? Hoc audito sermone, mœror ingens cepit
animos omnium, Hieronymus: Quum enim nullus præ-
ter Iudam huius rei conscius sibi esset, & magistri sui ver-
ba indubitata haberent, quilibet sibi ob humanam ti-
muit fragilitatem. Cupientes ergo hac mœstitudine li-
berari, rogare cœperunt singuli. Marc. 14. Qui ait illis: V-
nus ex duodecim qui inringit mecum manum in cati-
no, Matth. 26. hic me tradet. Luc. 22. Et filius quidem ho-
minis secundum quod definitum est, vadit, Matt. 26. si-
cut scriptum est de illo. Væ autem homini illi per quem
filius hominis tradetur. Bonum erat ei si natus non fuisset
homo ille. Non hæc fient fortuito, sic definitum est
consilio diuino. Hinc Petrus Actu. 2. Hunc definito con-
silio & præscientia dei traditum per manus iniquo-
rum affigentes cruci interemistis. Non prodidit Iudam,
sed frequenter illius pupugit conscientiam, vt respisceret.
Et sciebat futurum vt ille non respisceret: nos inter-
rim docens, vt erga peccatores summa lenitate vtamur,
quibus certum esse non potest, an aliquando redituri sint
ad se. Abusa quidem fuit illius impietate diuina sapien-
tia ad salutem humanam, sed ideo non minus nocēs il-
le, qui sua malitia ad hoc facinus perductus est, nec om-
nibus beneficiis reuocari potuit. Itaque manet illum pro-
festo tam impio pœna crudelissima, ni respiscat, vt præ-
stiterit illi, omninò natum non fuisse. Hieronymus: Sed
& hodie & in æternum væ illi, qui ad mensam domini
malignus accedit: etenim ille velut Iudas filium homi-
nis tradit, non quidem peccatoribus Iudæis, sed mem-
bris, Matth. 26. Respondens autem Iudas qui tradidit eum,

dixit: Nunquid ego sum rabbi? Ait illi: Tu dixisti. Nō fuit pudore, neque beneficij exhibitione, aut penæ comminatione à tanto flagitio deterritus, neque correctus, vt impudentiam adderet sceleri, quasi nullius mali sibi conscius interrogans dominum. Nec hic tamen suæ lenitatis oblitus dominus, respondit: tū dixisti, indicans eum magis esse quàm explicans, atque suspicionem simular, dissimulans scientiam. Quod faxum, quem adamantem non emolliret tanta mansuetudo hominis, qui nutu poterat lædere? Sed nec tanta domini mansuetudinē, nec terrore denunciati supplicij correctus est animus Iudæ. Tanta est pestis, amor pecuniæ. Bern. Si nec in regno mæstatis, nec in paradiso voluptatis, nec in collegio unitatis, Christi videlicet, defuit casus, quis poterit esse securus in loco horroris & vastæ solitudinis? Melius esset non esse simpliciter, quàm semper esse in malo culpæ & penæ. Luc. 22. Et ipsi cœperunt quarere inter se, quis esset ex ipsis qui hoc facturus esset. Quauis singuli bene sibi conscij essent, de nullo malo arguente eos conscientia, sermonem tamen domini veridicem suis cogitationibus existimabant, vnde hæsitabant & tristabantur inuicem, & à domino quærentes. Basilius: Sicut in corporalibus passionibus multæ sunt quas non sentiunt patientes, sed magis adhibent fidem coniecturæ medicorum: sic & in animæ passionibus si quis peccatum in se non sentiat, credere debet his, qui plures peccatorum habent cognitionem.

Aspiciant autem ad inuicem discipuli, hæsitantes de quo diceret. Erat ergo recumbens unus ex discipulis eius in sinu Iesu, quem diligebat Iesus. Inuenit ergo huic Simon Petrus, & dixit ei: Quis est de quo dicit? Itaque quum recubuisset ille supra pectus Iesu, dixit ei: Domine, quis est? Respondit Iesus: Ille est cui ego intinctum panem porrexero. Et cum intinxisset panem, dedit Iudæ Simonis Iscariota. Et post bucellam introiuit in eum satanas, & dixit ei Iesus: Quod facis, fac citius. Hoc autem nemo scivit discum-

mentium, ad quid dixerit ei. Quidam enim putabāt quia loculos habebat Iudæ, quod dixisset ei Iesus, eme nobis ea quæ opus sunt nobis ad diem festum: aut e genis ut aliquid daret. Cum ergo accepisset bucellam, exiuit continuo: erat aut. in nox.

Amicabiliter brachio in sinum Iesu demisso, super pectus domini capite inclinatus erat. Hac familiaritatis indulgentia, moerentem atque exanimatum ob instantem mortē ipsius, dominus consolatus est ac refouit. Si vis ad Iesum recumbere, & in pectus eius cadere, & mystica ab eo discere, da operā, vt propter simplicem & bonā mentem ab eo diligaris. Etenim cui theologiæ beneficium concreditur, & proditor verbi; qui non rectam tenet fidem, manifestus est. Domine, inquit, quis est qui tantum audebit facinus? Is est, ait, cui osculam intinctam porrexero. Ioannes tamen non prodidit Petro, ne in mensa pacis, grandis oriretur turbatio. Nam Petrus se non contuissit ab inuisione ipsius. Vbi autē dominus dedit bucellam Iudæ, si fortē recogitaret amicitiam mensæ & panis, & à prodicione desisteret. Iudas autem cum nec sic emendatus fuisset, plenè factus est satanæ vt inemendabilis. Ingressusque in interiora cordis eius, occupauit animam eius, prius enim per auaritiam foris turbabat. tunc autem perfectè eum comprehendit. Cyrillus: Tritum est diabolo illuc magis implere, quò inclinari respicit hominem. ita infirmitatem nostram ad arma nequitie suæ conuertit, & ingenij nostri morbo aduersus abutitur. Rom. 6. Etsi potestatis nostræ non sit, facere ne gnum sitales cogitationes in mentem nostram ascendant: possumus tamen quod ascenderit eiicere, nec committere cessarium. vt magis propter negligentiam nostram radices agat. Verum qui consentiunt malo, hos ferè cogere videtur. Iesus videns destinatam Iudæ malitiam, nec pudore, nec metu flecti (iam enim penè proditus erat, nec abfuisset à periculo si illum prodidisset) ablegat eum à conuiuio, & patrandi facinoris, quod iam certa voluntate concepta pararat, potestatem facit. Non desiderabat festinatam Iudæ malitiam, sed celerem humani generis redemptionem.

Not. tu di-
gnum si-
tales
mul. & ne-
cessarium.

nem, & quia hora erat passioni proxima. Id dictum solus Iudas sibi conscius intellexit. Nam ut est minime suspiciosa probitas, non poterat hæc suspicio descendere in peccus cuiusquam, illum cui Iesus tot argumenta amoris præbuisset, tam immane facinus aufurum. Nam & hoc frequenter solitus erat illi mandare Iesus, nos interim ad benignitatem in pauperes instituens & extimulans. Ad hæc enim duos loculos habuit dominus, ut sibi suisque, prouideret de necessariis, & egeat de elemosynis. Exiit mentaliter, & sensibiliter à saluatore, de societate angelorum ad societatem dæmonum, de luce ad tenebras. Erat nox, tempus arguens mentem illius auaritiæ tenebris excæcatam, qui se subduceret à luce, & ad opus principis tenebrarum festinaret, quia nec tempus illum prohibuit, sed nocte dolam stuit.

Cum ergo exisset, dixit Iesus: Nunc clarificatus est filius hominis, & deus clarificatus est in eo. Si deus clarificatus est in eo, & deus clarificabit eum in semetipso, & continuo clarificabit eum.

Per recessum filij perditionis, boni remanserunt, & per miracula in cruce glorificatus est, non est per angelos, sed per deum. Continuo agit, quia in ipsa cruce, & iterum post tres dies quum resuscitauit, & post dies quadraginta, suppeditata gratia spiritus sancti discipulis. Act. 3. Deus patrum nostrorum glorificauit filium suum Iesum, quem vos quidem tradidistis, & negastis ante faciem Pilati, iudicante illo dimitti. Glorificabit olim totum filium suum in aduentu supremo, coram vniuersis terrarum ac cælorum incolis. Matth. 28. Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra.

3 *Etilioli, adhuc modicum uobiscum sum. Queretis me, & sicut dixi Iudæi, quò ego uado, uos non potestis uenire. Mandatum nouum do uobis, ut diligatis inuicem sicut dilexi uos, ut & uos diligatis inuicem. In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem.*

Quoniam paulò post passurus erat grauià, ea nunc prædicat

prædicat eis, ut habeant in memoria, & præparent se ad ea. Expediit uobis, ut hoc corpus mortale uestris oculis subducatur. Multa sunt Mosaicæ legis præcepta, ego discessurus, unicum & nouum uobis præceptum mando. Nouum dicitur, quia animam à uetustate peccati purgat, & spiritaliter innouat. Sicut ego gratis dilexit uos, nullis bonis meritis uestris præcedentibus, sed & cum inimica humana esset natura, eam suscepi sanctificauique: ita & uos gratis diligite inter uos: etiam si offenderit te frater, ne recorderis. Rarum est hoc inter mortales, sed hic est fructus bonæ arboris, quo discernitur. 1. Timo. 1. Finis præcepti est charitas de corde puro, conscientia bona, & fide non ficta. Roma. 13. Qui diligit proximum, legem impleuit. Ponit discipulatus sui insignia. Non ait, si miracula feceritis, si linguas gentium noueritis, uel alia dona, æquè bonis & malis obuientia habueritis, sed dilectionem, non carnalem, uel naturalem, sed spirituale & diuinam. 1. Pet. 4. Ante omnia mutuam in uobismetipsis charitatem continuam habentes, quia charitas operit multitudinem peccatorum. 1. Corin. 13. Si linguis hominum loquar & angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum uelut æs sonans aut cymbalum tinniens. Etsi habuero prophetiam, & nouerim mysteria omnia, & omnem scientiam: & si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum. Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.

Dixit eis Simon Petrus: Domine, quò uadis? Respondit Iesus: Quò ego uado, non potest me sequi modò, sequeris autem postea. Dixit ei Petrus: Quare non possum te sequi modò? Animam meam pro te ponam. Respondit ei Iesus: Animam tuam pro me pone? Amen amen dico tibi, non cantabit gallus, donec ter me neges.

Cruciabat animum amantis, quòd cum ille diuelleretur ab amicis, negaretur sequendi facultas. Est enim ingens solatium, si quem uerè diligas, in omnem fortunam

quoquò terrarū se verterit, persequi. Non directè dominus respondit Petro, sed cogitationi eius occurrit, præsumptionemque reprimit. Sequeris postea, non modò. Nam domino comprehenso fugit, sed post propter ipsum cruci affixus fuit. Petrus necdū satis sibi notus, fortiora viribus suis quamquam sincero expressit affectu. Quid ais Petre? ait dominus, quā magnifica nobis de te polliceris? Dixi quod non possis, contradicis. Tu mihi vitam impendes? Per negationem discēs manifestè quod dico. Nec procul abest experimentum, antequā gallus canter, ter me negabis: tantum abest vt tua vita meam redimas. Per galli cantum, totū in cantando negocium accipiendum, vsque ad consummationē, hinc variè loquuntur euangelistæ. Vide quomodo occiderit non semel, sed ter: sic derelictio dei nostram arguit infirmitatem, qui hoc attendit, inuenit beneficium. Nullus ergo inaniter gloriatur de se præsumendo: sed qui stat, videat ne cadat. 1. Corinth. 10.

Luc. 22.
H

Facta est autem et contentio inter eos, quis eorum uideretur esse maior. Dixit autem eis: Reges gentium dominantur earum: et qui potestatem habent super eas, benefici uocantur.

Ostendit quibus mediis ad veram & æternam pertingatur gloriam. Quoniam dominus in coena meminerat de regno dei, incidit rursus inter discipulos adhuc infirmos & carnem ex parte sapientes contentio, quis à morte domini primatum haberet in regno dei. Viderant præ cæteris Petro, Ioanni, & Iacobo familiarem se præbuisse dominum, vt in puellæ suscitatione, Marc. 5. Non admittit quenquam sequi, nisi Petrum & Iacobum & Ioannem fratrem eius. Sic in transfiguratione, Matth. 17. Inter hos verò Petro non nihil excellentiæ contulit, clauis regni caelorum dando, tributum soluendo, Matth. 17. & 16. Quum antea fuerint à domino de huiusmodi praelationis ambitu increpati, Mar. 10. Luc. 9. & ad humilitatem amplectendā inducti, videtur quòd humilitate magis quàm ambitione contenderint. Philip. 2. Nihil per cõtentionem, vel inanem gloriam, sed in humilitate superiores sibi inuicem arbitantes, non quæ sua sunt singuli

considerantes, sed quæ aliorum. 1. Pet. quinto, Omnes inuicem humilitatem insinuate, quia deus superbis resistit, humilibus dat gratiam. Aut certè quasi suspicantes eum in domino moliri mortem, qui ad primatum aspiraret. Vnde Lucas præmisit, Luca vigesimo secundo: Et ipsi coeperunt querere inter se, quis esset ex his qui hoc facturus esset. Verum qualibet ex causa contenderint, nos potius, non quòd carnales adhuc discipuli gesserint, sed spiritualis magister quid iusserit, videamus. Somniant temporale regnum, quam opinionem dominus excludens, ad humilitatem inducit. Nolite, inquit, quidpiam imaginari in regno caelorum, quale videris in regnis mundanis: longè aliud regni genus est, quod beneficiis constat, non vt: spiritualibus præsiidiis obtinetur ac defenditur, non violentia: persuasione dilatatur, non necessitate. Fuerunt qui hinc occasionem arriperent erroris, dicentes Christianos atque liberos per Christum nulli hominum subiici debere, quemadmodum & quidam Iudæorum tributum non pendendum Cæsari censuerint, Mat. 22. Sed hunc dominus errorem corrigit, dicēs. Mat. 22. Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari: & quæ sunt dei, deo. Nulla enim cõmunitas sine rectore stare potest. Pro. 11. Vbi non est gubernator, populus corruet. Vnde Iudic. 17. In illis diebus non erat rex in Israel, sed vnusquisque quod sibi rectum videbatur, hoc faciebat. Duo autem hic facit. Reiecit dominationem tyrannicam. Reges, inquit, gētium. Ose. 8. Ipsi regnauerunt, & non ex me: principes extiterunt, & nō cognoui. Dominātur: Genesis decimo. Nemrod ipse cœpit esse potens in terra, & erat robustus venator coram domino. Sopho. tertio: Principes eius in medio eius, quasi leones rugientes. Siquidē principes huius mundi dominatum exercent in eos in quos habent magistratum, non enim persuadent vt ament honesta, sed metu suppliciorum deterrent à maleficiis. Roma. 13. Principes non sunt timori boni operis, sed mali, & honorem exigunt à suis, etiam si non promereantur: imò quo propius accedunt ad tyrannidem, hoc plus honoris exigunt à suis, & interim magnificis titulis honorātur. Vocantur principes, patres patriæ, seruatores, consules, quo d potestate sua premant inferiores. Tale est regnum gentium.

*Duo quæ
dā ex Chri
sti responsō
notanda.*

Prou. 28. Leo rugiens & vrsus esuriens, princeps impius super populum pauperem. Veruntamen non impud. Eccle. 8. Interdum dominatur homo homini in malum suum. Esa. 10. Vae qui condunt leges iniquas, & scribentes iniustitiam scripserunt, vt opprimerent in iudicio pauperes, & vim facerent cause humilium populi mei, & vt essent viduæ præda eorum, & pupillos diriperent. Quid facietis in die visitationis & calamitatis de longe venientis? ad cuius confugietis auxilium? & vbi derelinquetis gloriam vestram? Hinc dominus regi Iuda ait, Hie. 22. Pater tuus nunquid non comedit & bibit, & fecit iudicium & iustitiam, tunc cum bene erat ei? Iudicauit causam pauperis & egeni, in bonum suum. Nunquid non ideo, quia cognouit me, dicit dominus? Tui verò oculi & cor ad auaritiam & ad sanguinem innocentem fundendum, & ad calumniam, & ad cursum mali operis. Propterea hæc dicit dominus ad Ioachim filium Iosæ regem Iuda: non plangent eum, vae frater & vae soror, non concrepabunt ei, vae domine, & vae inclite, sepultura asini sepelietur, putrefactus & proiectus extra portam. Secundo modum præscribit prælationis Christianæ.

Vos autem non sic: sed qui maior est in vobis, fiat sicut minor: & qui præcessor est, sicut ministrator. Nam quis maior est, qui recumbit, an qui ministrat? Nonne qui recumbit? Ego autem in medio vestrum sum sicut qui ministrat.

Pius magister non inita contentionis arguit, sed formam quam sequantur humilitatis, modesta ratione describit, ne scilicet gentium more dominari subiecti velint, seque ab eis gaudeat superuacuis laudibus attolli: sed ad exemplum regis æterni, quasi iuniores eis quibus regendis præsent, efficiantur ac ministri. Chrylost. Principes mundi ideo sunt, vt dominantur in minoribus suis: principes ecclesiæ, vt seruiant minoribus suis, vt proprias utilitates negligant, & illorum procurent, nec mori timeant pro salute ipsorum. Heu domine, contrarium prædicatur. Basi. Nō ergo extollat præidentem dignitas, ne ab humilitatis beatitudine corruat: illud autem nouerit, quod

*Principum
ecclesiæ
officium.*

humilitas vera ministerium plurium est. Sicut enim qui pluribus ministrat vulneratis, abstergens cuiuslibet vulneris saniem, non sumit ex ministerio illo causam elationis: sic multo minus cui commissæ sunt curæ fratrum languorum, vt omnium minister redditurus pro omnibus rationem, humilis esse debet atque sollicitus. Eccle. 32. Rectorem te posuerunt? noli extolli, esto in illis quasi vnus ex ipsis. Curam illorum habe, & sic considera, & omni cura tua explicita recube, vt lateris propter illos, & ornamentū gratiæ accipias coronam, & dignationem consequaris coronationis. Quemadmodum ergo periculum ipsis imminet, si non bene præsent: sic subditis, si nō humiliter subsint. Heb. 13. Obedite præpositis vestris, & subiaccere illis: ipsi enim peruigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri, vt eam gaudio hoc faciant, & non gementes. hoc enim non expedit vobis. Rom. 13. Ideoque necessitati subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam. Non enim est potestas nisi à deo. Prouerb. 8. Per me reges regnant, & legum conditores iusta decernunt. Per me principes imperant, & potentes decernunt iustitiam. Rom. 13. Omnis animæ potestatibus sublimioribus subdita sit. Qui potestati resistit, dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. Pet. 2. Subiecti igitur estote omni humanæ creaturæ propter deum, siue regi quasi præcellenti, siue duobus tanquam ab eo missis, ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum. Deum time, regē honorificate. Serui, subditi estote in omni timore dominis: non tantum bonis & modestis, sed etiam dyscolis. Nā Iob. 34. Qui regnatē facit hominē hypocritam propter peccata populi. Petr. 2. Hæc est enim gratia, si propter dei conscientiam sustinet quis tristitias, patiens iniustè. Quasi liberi, & non quasi velamē habentes malitiæ libertatē, sed sicut serui dei. Ecce quod seruitus dei humanam non sustulit seruitutem, sed promouit. vt volentes, & non vt coacti timore pœnæ, præstemus quæ præstanda sunt. Sic & prælati non ambitioni vel luxui, sed subditorum utilitati inseruiant propter deum. Quo ergo quisque maior est, hoc minus sibi vindicare debet, violentiæ, potestatis, & gloriæ. Nec enim huc spectabit, vt

suis dotibus quas accepit à deo, premit inferiores, sed prosit ac subleuet: nec sibi vindicabit honorem, sed deo totum trāsferbet: non quòd non sit in hoc regno futurus ordo, sed quòd is qui delectus est ad primatū, vt aliis dux sit ad pietatem, adeò seruiet omnium commodis, vt videatur minister potius esse quàm princeps. Faurem non ambiet, sed promerebitur animus ad benefaciendū omnibus promptissimus: autoritatē tuebitur vitæ integritas, nō supercilium aut fastus. Nūc ad verba exhortationis, sumet exēplū adiungit humilitatis. Nam in cœna pedes lauit, corpus & sanguinem in cibum & potum ministravit, nec non opima fereula gratiæ in presenti, & gloriæ in futuro administrat. *Glof.* Necesse est ergo vt rectoris subditis disciplina patrem, & pietas matrem, & humilitas seruum exhibeat, ne aut discrietio rigida, aut pietas sit remissa, sed vtrobique seruetur discretio.

Vos autem estis qui permansistis mecum in tentationibus meis, & ego dispono uobis, sicut disposuit mihi pater meus, regnū: ut edatis & bibatis super mensam meam in regno meo, & sedeat is super thronos, iudicantes duodecim tribus israel.

Ostendit viam ad gloriam. vos, inquit, de præmio securi, tantum de officio cogitate: meum erit de dignitate prospicere. si fueritis imitatores humilitatis meæ, eritis & gloriæ cōsortes: si fueritis afflictionum socij, eritis & consolationum ac immortalitatis. Quòd si præstiteritis istud animo, nec vos piguerit interim imitari meā humilitatem, quo magis prostris omnibus, ego vicissim efficiam vt olim sitis participes gloriæ regni mei. *Luc. 24.* Oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam, *2 Corin. 1.* Sicut socij passionem estis, ita & consolationis eritis, Permansistis, ait non enim initia, sed perseuerantia exquiritur. Nam Iudæ bonū initium, sed malus exitus fuit. Contrā Paulus malè cœpit, benefiniuit, sic & quidam discipuli retrò abierunt, dicentes: Durus est hic sermo, & quis potest eum audire? *Ioan. 6.* & iam non cum domino ambulabant. Petrus verò ait: Domine, ad quem ibimus: verba vitæ æternæ habes. *Luc. 9.* Nemo mittēs

manum ad aratrum, & aspiciens retro, aptus est regno dei. *Hinc. Matth. 10.* Qui autem perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. Si dura hæc videntur, attende præmium. Ego dispono, passionis meæ merito. *Ioannis. 14.* Vado parare vobis locum. & si abiero & præparauero vobis locum, iterum venio & accipio vos ad me ipsum; vt vbi sum ego & vos sitis. *Lu. 14.* Beatus qui mādūcabit panē in regno dei. *Psal. 35.* Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos. Quis hanc gloriam exprimere, quæ mens excogitare possit? Verè id quod in presenti est momentaneum & leue tribulationis nostre, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia sunt: quæ autem non videntur, æterna. *2. Corin. 4.* Hæc ergo mutatio dexteræ excelsi, vt qui nunc humiles gaudent ministrare conseruis, tunc super domini mensam sublimes vitæ perpetuæ dapibus alantur: & qui hic in tentationibus iniuste iudicati, cum damno permanent, illic cum domino super tentatores suos iusti iudices veniant: & quantò huic mundo magna humilitate despecti sunt, tantò nūc acceptis sedibus, maiori culmine potestatis exerceant. *1. Cori. 6.* An necitis quia angelos iudicabimus?

Ait autem dominus Simoni: Simon, ecce satanas expetuit uos, at cribraret sicut triticum: ego autem rogauit pro te, ut non deficiat fides tua: & tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos. Qui dixit ei: Domine, tecum paratus sum & in carcerem & in mortem ire. At ille dixit: Dico tibi Petre, non cantabit hodie gallus, donec ter abneges nosse me.

Itaq; vertit sermonem ad petrum, vt per hunc institueret & castigaret oēs. Sciebat enim hunc esse ceteris prioris animi, sibiq; plurimum fidere, pio quidē in affectu, sed humano. Ecce satanas, qui nihil intentatū relinquit quo perdat, studiosè quasiuit potestatem à deo, quo tentationis suæ impulsu agitaret, concuteret, & velut triticum excuteret, dissipaturus si posset. Et facturus erat, si

*Ecclesiam
Petri nun-
quam de-
fecturam.*

propria imbecillitati fuissetis reliqui. Nihil autem potest nisi permissus. Hinc Job .1. Dixit dominus ad satan: Ecce uniuersa quae habet, in manu tua sunt. tantum in eum extendas manum tuam. Sic & post in corpus potestatem accepit. Job. 2. Ecce in manu tua est veruntamen anima illius serua. Sic potestatem expetiit inuadendi porcos, Matth. 8. Vnde sicut in cribro paleae remanent, & farina transit: sic Iudas ut furfur remansit diabolo, ceteri uero apostoli transferunt ad gloriam. Patet quod ecclesia per Petrum fundata, nunquam deficiet: nam Petrus post casum fortior surrexit, nec morte ipsa postea diuellendus. Confirmata, inquit, fratres: misericordiam tibi impensam & alios fac sentire. Ioan. 21. Pasce oues meas, Gal. 6. Fratres, si praecipuus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis, consideras te ipsum, ne & tu teteris. Petrus necdum sibi plene notus, ait: Quae admodum haecenus non deserui te, ita nec posthac unquam sum deserturus, ita ut paratus sim tecum extremum adire capitis periculum, siue eundem sit in carcerem, siue etiam in mortem. Hunc sermonem a pio quidem & simplici profectum animo, sed nondum sibi satis noto, dominus illico repressit. Non cantabit gallus noctis uigilias consummando. Theoph. Haurimus doctrinam, non sufficere humanum propositum sine auxilio diuino. Ioan. 15. Sine me nihil potestis facere.

Et dixit eis: Quando misi uos sine sacculo & pera & calceamentis, nunquid aliquid defuit uobis? At illi dixerunt: Nihil. Dixit ergo eis: Sed nunc qui habet sacculum, tollat, similiter & peram: & qui non habet, uendat tunicam suam, & emat gladium. Dico enim uobis, quoniam adhuc hoc quod scriptum est, oportet impleri in me. Et cum iniquus deputatus est: etenim ea quae sunt de me, finem habent. At illi dixerunt: Domine, ecce duo gladii hic. At ille dixit eis: Satis est.

Postquam exemerat illis sui fiduciam, rursus inculcat quod saepe docuerat, ne se comearum praemunirent aduersus necessitatem, aut humanis praesidiis armarent aduersus

malorum violentiam, quod in solo deo esset spes eorum. Natura enim modicis est contenta, sed humanae uoluptatis abusus multa querit superflua, cito conqueritur. quanquam ultra naturalem habeat necessitatem & utilitatem. Accipiebant enim necessaria ab iis quibus euangelizabant. 1. Cor. 9. Dominus ordinauit his qui euangelium annunciant, de euangelio uiuere. Amb. Cur gladium emere iubes, qui ferire prohibes? cur haberi praecipis, quae extrahi uetas? nisi forte ut parata sit defensio, non necessaria ultio: & videaris vindicare potuisse, sed noluisse. Nunc quum Petrus reprehensus sit quod aduersus impios & sceleratos pro innocentissimo Iesu strinxerit ferrum, quae poterit posthac esse causa, ut homo Christianus iniuriam iniuria repellat? Res ad extrema peruenit: non enim solum mihi manus iniicient uolentia, uerum etiam oportet perfici quod de me praedixit Esa. 53. Et cum sceleratis deputatus est. Si graue est occidi, quanto magis grauius inter facinorosos infami supplicio afficit? Eadem nocte tanquam latro captus, & die sequenti inter latrones crucifixus est, Luc. 23. Hunc sermonem, quum non intelligerent apostoli, suspicarenturque dominum admonuisse, ut gladium haberent paratum ad depellendam vim imminentem: quum Christus sentiret de spiritali pugna aduersus mundum & sataniam, in qua uictoria contingit ex animo ab omnibus cupiditatibus terrenis expedito, soloque gladio doctrinae caelestis armato. Ea quae constat ueteris ac noui testamenti scriptura irrefragabili, ut duos possis intelligere gladios, sed ab eodem spiritu porrectos. Eph. 6. Et gladium spiritus, quod est uerbum dei.

SERMO POST COENAM, Ioannis decimoquarto.

ARTICVLVS XXIX.

ET ait discipulis suis: Non turbetur cor uestrum. Ioan. 14. **C**redidit in deum: & in me credite. In domo patris mei mansiones multae sunt. Si quo minus dixis-

sem uobis: quia uado parare uobis locum. Et si abiero, & preparauero uobis locum, iterum uenio & accipia uos ad meipsum, ut ubi sum ego, & uos sitis. Et quod ego uado, scitis, & uia scitis. Dixit ei Thomas: Domine, uescimus quod uadis, & quo possumus uia scire? Dixit ei Iesus: Ego su uia, ueritas, & uita. Nemo uenit ad patrem nisi per me.

Ostendit electos, quum aeterno donandi sint premio, ob nihil aliud nisi peccatum, quod separat a deo, deiecto esse debere animo. Quoniam nouerat discipulorum, animos uehementer desolatos, quoniam se moriturum praedixit, & ab vno discipulorum tradendum, Petrumque se negaturum: consolatur ipsos, sedans passionem eorum. Erunt, inquit, quidem haec omnia quae praedixi: uerum non est quod ob ea despondeatis animum, aut perturbemini. Atrocia sunt quae fiunt in me, quaeque post edatur in uos: neque me fugit quanta sit imbecillitas humanae naturae: sed si omnem uestram fiduciam collocaueritis in deo, & in me, non est quod uillos hominum impiorum insultus formidetis. Dixerat supra, 12. Nunc anima mea turbata est, hic iubet non turbari. Sed est turbatio ex spiritu & ratione proueniens contra peccatum. 2. Corin. 7. Quae secundum deum tristitia est, poenitentiam in salutem stabilem operatur. Altera ex passione, abducens a rectitudine rationis, haec per ueram & stabilem patientiam ableganda, & internae paci studendum. Psal. 12. Non contristabit iustum quicquid ei acciderit. Non ergo de morte mea tristari debetis, me mala formidare imminentia: Omnes enim uestri labores soluentur, & turbatio sedabitur per fidem in deum & in me. Nullus enim potest in deum patrem credere, nisi credatis & in filium. Ioan. 5. Qui non honorificat filium, non honorificat patrem qui misit illum. 1. Ioan. 5. Et omnis qui diligit eum qui genuit, diligit & eum qui natus est ex eo. Aug. Consequens est enim, si in deum creditis, ut & in me credere debeatis: quod non esset consequens, si Christus non esset deus. Iam in domo patris mei multae mansiones paratae sunt uictoribus. Nunc quoniam certo scio suam cuique mansionem paratam in regno patris, de premio non est cur sitis solliciti, tantum illud agendum, ut fortiter certetis. Aug. Licet alius sit alio fortior, alius alio sapientior, alius alio sanctior, alius alio

Turbatio duplex.

fortior, nullus eorum alienabitur a domo illa, ubi mansionem pro suo quisque accepturus est merito. Denarius quidem ille aequalis est omnibus, quem paterfamilias eis qui operati sunt in uinea, iubet dari omnibus, non in eo discernens qui minus & qui amplius laborauerunt. Beatitudo considerata per comparationem ad obiectum quod est deus, sic una & indistincta est omnibus. Mat. 20. Acceperunt singulos denarios. Sed quo ad subiectum quod *Beatitudinis distinctio.* est mens creata deo unita, distincta. Aug. Hoc utique denario uita significatur aeterna, ubi nemo amplius uiuit alio, quia uiuendi non est alia in aeternitate mensura: sed multae mansiones, diuersas meritorum in una uita aeterna significat dignitates. Alia enim gloria solis, alia lunae, alia stellarum. Stella enim differt a stella in claritate. 1. Corin. 15. Tanquam stella, sancti diuersas mansiones diuersae claritatis, tanquam in caelo, sortiuntur in regno: sed propter unum denarium nullus separatur a regno, atque ita deus erit omnia in omnibus, ut quonia deus charitas est, per charitatem fiat ut quod habent singuli, commune sit omnibus. Sic enim quisque etiam ipse habet, quod amat in altero quod ipse non habet. Sed quomodo sunt mansiones si adhuc paranda, nisi sicut discipulos elegit, quos tamen elegit ante mundi constitutionem? Ephes. 1. tamen secundum euangelium tunc elegit quando uocauit. Elegit ergo ante mundi constitutionem, praedestinando elegit ante mundi consummationem uocando. Quia quos praedestinauit, hos & uocauit, Roman. 8. Sic & mansiones preparauit. Mat. 25. Possidete paratum uobis regnum a constitutione mundi. Preparauit etiam impedimenta per passionem tollendo, spiritum sanctum mittendo. Preparat quotidie mansionibus parando manfiores, fide purificans corda ipsorum, Actu. 15. Mat. 5. Beati mundo corde, quonia ipsi deum uidebunt. Si ergo terret tribulatio, mulceat retributio. Lu. 22. Vos estis qui permanistis mecum in tentationibus meis, & ego dispono uobis sicut disposuit mihi pater meus regnum, ut edatis & bibatis super mensam meam in regno meo. Rursus ad uos uenturus sum, ut uos totos ad me recipiam, nunquam posthac a me distrahendos, ut iam ubique sum ego, sitis & uos. Offenderunt hic non nulli in lapidem offensionis, & in petram scandali, di-

Mansiones multae quid

Heresis dormi-

*stione ani-
marum vs-
que iudiciū
extremum.*

centes animas sanctorum in diem vsque iudicij obdor-
mientes reseruari, ac tum cum corpore glorioso in caelo
beatificandas, accipientes pro cōfirmatione illud Actu. 1.
Hic Iesus qui assumptus est in caelum, sic veniet quemad-
modum vidistis eum euntem in caelum. Sed reclamat
Apostolus Philip. 1. Desiderium habens dissolui & esse
cum Christo, multo magis melius. & 2. Corinthio. 5. Sci-
mus quoniam si terrestris domus nostra huius habitatio-
nis dissoluatur, quod aedificationem ex deo habemus, do-
mum non manufactam, sed aeternam in caelis: sciētes quo-
niam dum sumus in hoc corpore, peregrinamur a domi-
no. Per fidem enim ambulamus, & non per speciem. Au-
demus autem & bonā voluntatem habemus magis pe-
regrinari a corpore, & praesentes esse ad dominū. Venit
ergo primū ad redimendum. Lu. 19. Venit filius hominis
quaerere & saluum facere quod perierat. Venit haud du-
biē quotidie ad electos suos. Ioan. 14. Ad eum veniemus,
& mansionem apud eum faciemus, qui scilicet fidem ha-
bet per dilectionem operantem; Galat. 5. quos secum assu-
mit, vt sint vbi ipse est. Veniet domum ad perfectam bea-
titudinis consummationem in anima & corpore. Phil. 3.
Nostra autem conuersatio in caelis est: vnde & saluatore
expectamus dominū nostrū Iesum Christum, qui refor-
mabit corpus humilitatis nostrae, cōfiguratū corpori cla-
ritatis suae. Non habet igitur rationē quod turbamini, si-
quidem mecū eritis. Hoc aenigmate dominus subiudica-
uit se proficisci ad patrem, sed per mortem crucis. Opta-
bili erat quod adibatur, sed iter videbatur inamabile.
Hoc discipuli nescire non poterant toties auditū a domi-
no: sed mœror & obliuio faciebant, vt quod sciebāt, nesci-
rēt. Itaque Thomas audis certō cognoscendi quonā
esset abiturus dominus, rogat. Augustinus: Vtrunque il-
los dominus dixerat scire, vtrunque iste dixit nescire: &
locum quod itur, & viam qua itur. Sed nescit ille mentiri:
ergo isti sciebant, & se scire nesciebant. Licet enim sci-
rent patrem, & filij diuinitatem & humanitatem, tamen
nesciebant quod hoc vocaret viam & terminū viæ. Co-
gnitio enim viæ dependet ex termini cognitione, sed lucē
in habitat inaccessibilem. 1. Timoth. 6. Idcirco inue-
stigabiles viæ eius, Roma. 11. Dominus ostendens quod

facile & non molestum sit se sequi, declarat, & quod vadat,
& quæ sit via. Qui sit Thoma, ait, vt neges te nosse
viam, nisi fortē me totum adhuc ignoras? Siquidem ego
sum via, veritas, & vita. Cyril. Tribus rebus superiores
consequimur mansiones: per actionem virtutis variam,
per fidem rectam, per spem vitæ, quorum omnium Chris-
tus largitor est, & solus ipse. Iam, inquit, dixi me redire
ad patrem, et hunc aditum solus aperio. Hebr. 10. Hab-
tes fratres fiduciam in introitu sanctorum in sanguine
Christi, qui initiavit nobis viam nouam & viuentem,
per velamen, id est, carnem suam. Et quoniam ad hunc
factis deo dignis peruenitur, in me habetis exemplum. 1.
Ioannis. 2. Qui dicit se in Christo manere, debet sicut ille
ambulauit, & ipse ambulare. Sed quoniam sine fide im-
possibile est placere deo. Hebræorum vndecimo, ex me
didicistis veritatem. Ioannis decimo octauo: ego in hoc
natus sum, & ad hoc veni in mundum, vt testimonium per-
hibeā veritati. Ideo meritō confiditis quod non decipia-
mini. Quod si interim perturbat animos vestros formi-
do mortis, scitote certam immortalitatē esse vobis, quum
ego sim vita. Coloss. 3. Cū Christus apparuerit vita ve-
stra, tunc & vos cum ipso apparebitis in gloria. Duplicem
per ipsum vitam consecuti sumus. Quia enim filius, per
ipsum creati. Ioannis. 1. Omnia per ipsum facta sunt. He-
bræo. 1. Per quem fecit & secula. Actu. 17. in ipso viuimus
mouemur, & sumus. Quia mediator, recreati. Romano-
rum. 5. Sicut per vnus delictum in omnes homines in cō-
demnationem, sic & per vnus iustitiam in omnes homi-
nes in iustificationem vitæ. Et sicut regnavit peccatum
in mortem, ita & gratia regnet per iustitiam in vitam
aeternam, per Iesum Christum dominum nostrum. Ipse
est ergo via ducens, veritas dirigens, vita perficiens. Qui
ergo extra viam istam incedit, errat. Prouerbio. 12. In se-
mita iustitiæ vita, iter autem deuium ducit ad mortem.
Si extra veritatem, fallitur. Sapientia. 5. Errauimus a via
salutis, & iustitiæ lumen non luxit nobis, & sol intelligē-
tiæ non est ortus nobis. Extra vitam, tendit ad mortem.
Prouerborum. 14. Est via quæ videtur homini recta, &
nouissima eius ducunt ad mortem. Si ergo moriamini
corporaliter, non prohibet mors quo minus ad patrem

*Duplex no-
bis per
Christum
adepta
ta vita.*

veniatis. Bene ergo fidei: per me enim veniunt omnes ad patrem. Pater autem trahit ad filium. Ioannis sexto. Nemo potest venire ad me, nisi pater qui misit me, traxerit eum. Igitur æqualis est patris & filij potestas: nam & vna operatio. Romanorum decimo: Finis legis Christus, ad iustitiam omni credenti. Vnus enim mediator dei & hominum, homo Christus Iesus, primæ Timoth. secundo.

Si cognouissetis me, & patrem meum utique cognouissetis, & amodo cognoscetis eum, & uidistis eum. Dixit ei philippus: Domine, ostende nobis patrem, & sufficit nobis. Dixit ei Iesus: Tanto tempore uobiscum sum, & non cognouistis me? Philippe, qui uidet me, uidet & patrem. Quomodo tu dicis, ostende nobis patrem? Non credis quia ego in patre, & pater in me est? Verba que ego loquor uobis, & in me ipso non loquor. Pater autem in me manens, ipse facit opera. Non creditis quia ego in patre, & pater in me est? Alioqui propter opera ipsa credite.

Inquit quod neutrum perfectè cognoscebant, qui enim cognoscit filiationem, cognoscit & paternitatem. Data enim spes cognoscendi, quia post resurrectionem aperuit illis sensum, ut intelligerent scripturas. Lucæ. 24. & spiritus ueritatis omnem ipsos docuit ueritatem, Ioan. decimo sexto. Sed in patria plenius cognosceretur. 1. Ioan. 3. Videbimus eum sicuti est. 1. Corin. 13. Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Hoc ænigmate dominus Iesus submonuit suos, patrem quidem inuisibilem esse, nec inuisibilem tantum oculis corporeis, uerum etiam nec animo iuxta suam naturam percipi posse: sed tamen quodam modo uisum fuisse in filio, dum illum in filio conspiciunt uentis imperantem & mari, imperantem dæmonis, uerbo propellentem morbos quamlibet immedicabiles, uerbo mortuos ad vitam euocantem. Ioan. 1. Vidimus gloriam eius, gloriam quam unigeniti à patre. Philippus audiens se patrem uidisse, credidit patrem oculis corporalibus cerni posse, sicut si-

lius, quannis nec filius sic uerè cognosceretur; auidus uisendi, audiuius, inquit, multa de eo, tantum superest aspectus. Nam eius uisio finis omnium est desideriorum. Psalm. 16. Satiabor cum apparuerit gloria tua. Psalm. 15. Ad implebis me lætitia cum uultu tuo. Christus docēs Philippum quod non sit possibile deum uideri corporalibus oculis, ait: Tanto &c. Videt, hoc est, cognoscit. Nō ergo dixit, & non uidistis me, sed cognouistis, de substantia loquens diuina. Quum ergo uia substantia, scientia quoque uia est. Propterea increpat discipulum, quod tanto tempore sequatur se, uideritque signa ac deitatis opera, nondum agnouerit eum ut deum, quod per ipsum & patrem cognosceret. Ioannis. 8. Si me sciretis, & patrem meum sciretis. Augustinus: Ideo magister discipulum arguebat, quoniam cor postulantis uidebat, tãquam enim melior esset pater quàm filius, sic patrem uisere cupiebat: & ideo nec filium sciebat, quo esse melius aliquid credebat. An non credis, inquit, quod inseparabili naturæ, uoluntatis & uirtutis consortio, pater in me est, & ego in patre? In tribus enim personis uia est essentia: ideo singulæ earum in singulis sunt. Semper itaque sum in illo, propter indiuuam naturæ uoluntatisque societatem, & ille semper in me, per me loquens, per me miraculis suam declarans uirtutem. Nec enim ex me loquor quicquam, quod idem non loquatur per me, nec ex me facio quicquam, quod ille per me non simul operetur. Augustinus: uerum sic æqualis alter alteri, ut tamen alter ab altero sit, & ideo non loquitur à seipso, quia non est à seipso. Ideo pater in illo manens facit opera, quia per quem, & cum quo facit, non est nisi ab ipso. Si dicis meis parum haberetis fidei, certè facta quæ uidistis deo digna, & homine maiora, uobis fidem facere debuerant. Augustinus: Neque enim si separati essemus, inseparabiliter operari possemus uia ratione. Eadem ergo nobis mens, eadem uoluntas, eadē uis & natura. Hoc credite, hoc tenete, hoc animis uestris infixum habere: quod si feceritis, nihil detrimenti afferet huius corporis subductus conspectus: oculis fidei melius cernetis absentem.

3 Amen amen dico vobis, qui credit in me, opera que ego facio, & ipse faciet: & maiora horum faciet, quia ego ad patrem uado. Et quodcumque petieritis a patre in nomine meo, hoc faciam, ut glorificetur pater in filio. Si quid petieritis me in nomine meo, hoc faciam.

Ostendit suam deitatem & æqualitatem cum patre, per opera quæ ipse facit: idem nunc declarat per opera quæ aliis facere contulit. Quod nunc, inquit, videtis patrem per me agentem, cui modis omnibus inhero, idem agam per vos, si mihi per fidem & dilectionem inhaeritis. Imò clarius etiam exeram vim meæ diuinitatis, potestatem hanc infirmitatis speciem vobis subduxero, Augustinus: Ergo illa maiora opera seipsum facturum promissit: fecerunt enim maiora non ipsi, sed ille per ipsos. Nam ipse tactu simbriæ sanguis suam sanauit, Matth. 9. Ex Petri umbra infirmi curabantur. Act. 5. Vides ergo quanta sit virtus vnigeniti, vt etiam aliis dare possit, quod faciant maiora quam ipse fecerit. Rationem insinuat, Quia ego ad patrem vado, inde missurus spiritum ad roborandum vos & docendum. 1. Cor. 12. Diuisiones gratiarum sunt, idem autem spiritus. Ioan. 7. Nondum erat spiritus datus, quia nondum Iesus erat glorificatus. Insinuat inestimabilem fidei potestatem, si fuerit perfecta. Marc. 9. Omnia possibilis sunt credenti. Ostendit cõpendium operationis miraculorum, per petitionem & nominis eius inuocationem. Hinc ait Petrus, Act. 3. claudo: Argentum & aurum non est mihi, quod autem habeo, hoc tibi do: In nomine Iesus Nazareni surge & ambula. His discipulos consolatus est, ostendens quod non periret nec obsecraretur moriendo, sed tum maximè eis affuturus sit ad omnia, quæ faciunt ad veram salutem. Augustinus: Magnam spem dominus promissit suis orantibus. Sic ergo perrexit ad patrem, vt non relinqueret indigentes, sed exaudiret petentes. Sed quum videamus fideles, imò & ipsos apostolos petisse, & tamen non consecutos intentum, quomodo dicit, quodcumque: Euigila ò homo fidelis, & vigilanter attende quod illic positum est, in nomine meo. Quis est qui tam magnum promissit beneficium!

ficiunt: Iesus, hoc est, saluator. Ideò quodcumque petimus aduersus salutis vtilitatem, non petimus in nomine saluatoris. Et tamen ipse saluator est, non solum quando facit quod petimus, verum etiam quando non facit: quoniam quod videt peti contra salutem, non faciendo se potius exhibet saluatorem.

Si diligitis me, mandata mea seruate: & ego ro- *Ioan. 14.*
gabo patrem, & alium paracletum dabit vobis, ut ma-
neat uociscum in æternum, spiritum ueritatis, quem mun-
dus non potest accipere: quia non uidet eum, neque scit
eum. Vos autè cognoscetis eum: quia apud uos manebit.

Ostendit electos suos, quæquam ab omnibus videantur despecti & derelicti, nunquam diuino destituendos solatio. Vnde consolatur suos de suo recessu, promittens eis si diligant, paracletum missurum, qui eos dirigat, nec auferatur vt ipse per mortem. Si me, inquit, diligitis, verè quemadmodum ego diligo patrem, ipsa re declarate charitatem erga me: declarabitis autem, si seruaueritis præcepta mea. 1. Ioan. 2. Qui dicit se nosse deum, & mandata eius non custodit, mendax est, & in hoc veritas non est: qui autem seruat verbum eius, verè in hoc charitas dei perfecta est. Vult dilectionem operibus comprobari. Primo, ne ipsam per negligentiam & torporem perdamus: sed per exercitationem nutiamus & conseruemus. Mat. vigesimo quinto: Euge serue bone & fidelis, quia in pauca fuisi fidelis, supra multa te constituam, intra gaudium domini tui. Inutilem autem seruum eiecit in tenebras exteriores. Ibi erit fletus & stridor dentium. Secundo, vt proficiamus: quia habendi dabitur, & abundabit. Matth. 13. Augu. Charitas mereatur augeri, vt aucta mereatur & perfici. Tertio, ne quis semetipsum fallat, credens diligere se deum, quum naturaliter & non gratuite neque meritorie, quia talis non pleno affectu Christo vnitur. Nam ad tempus credit, & in tempore tribulationis recedit, Luc. 8. Eph. 4. Veritatem facientes in charitate crescemus. Philip. 1. Et hoc oro, vt charitas vestra magis ac magis abundet in omni scientia & in omni sensu, vt probetis potiora, vt sitis synceres & sine offensa in diem Christi.

*Quot de
causis dile-
ctio operi-
bus compro-
banda.*

Spiritus sanctus unde datur.

Quid operetur.

Quibus in donis maneat nobiscum spiritus sanctus.

Quibus datur.

sti, repleti fructu iustitiae per Iesum Christum in gloriam & laudem dei. Sed quoniam ipse spiritus adiuvat infirmitatem nostram, Rom. 8. diligentibus hunc promittit. De quo multa hic ad consolationem ponit Primò, à quo datur. Ego inquit, rogabo patrem. Idem est qui rogat ut datur, & qui dat. Rogat, in quantum homo dat, in quantum deus. Ioà. 15. Cùm venerit paracletus quem ego mittam vobis à patre. Secundò, quid operetur, nempe consolationem. Solatur enim affectos luctu. Mat. 5. Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Alium, inquit, paraclētū, ostendens & se consolatorem. 2. Cor. 1. Sicut abundant passiones Christi in nobis, ita & per Christum abundant consolatio nostra. Est advocatus noster apud patrem. 1. Ioà. 2. Chrys. Ad excludendam carnalem quandam discipulorum suspitionem, qua suspicari possent, quòd sicut praedixerat sui ipsius mortem, sic & paracletus ille ad consolationem datus abiret, vel mortem pateretur sicut ipse, dicit mansurum cum eis. Hoc maximè probatur successio in ecclesia per vitalem spiritum Christi. Manet verò in illis donis semper, sine quibus deo placere non possumus, fide, spe, & charitate: secus in donis gratuitis. Hinc porta inferorum praevalere non possunt adversus ecclesiam, Matth. 16. Secundò, operatur illuminationem, quia spiritus veritatis. Ambro. Omne verum à quocunq; dicitur, à spiritu sancto est. Nemo enim potest dicere, dominus Iesus, nisi in spiritu sancto. 1. Corin. 12. Ducit etiam ad veritatem, charitatem infundendo. Rom. 5. Charitas dei diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum, qui datus est nobis. Tertio, libera à spiritu erroris, de quo 3. Reg. 21. Egrediar & ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum eius. f. Achab. unde. 1. Tim. 4. Spiritus autè manifestè dicit, quia in novissimis temporibus discedent quidam à fide, attendentes spiritibus erroris & doctrinis daemoniorum, in hypocrisis loquentium mendacium, & 1. Ioà. 4. Charissimi, nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex deo sint. Hinc dicitur spiritus veritatis, fugans nebulas omni ignorantie, hereses, gentilium falsam deorum culturam. Tertio, quibus datur: nam mundanis denegatur, quare non mirum quòd in errorum tenebris permanent. 1. Ioan. 5. Totus mundus in malig-

positus est. Causam, quare mundus cum non potest accipere, indicat: Ego, inquit, interim malis ac bonis memet exhibui communiter, ne quis excusare posset, non inuitatum ad salutem. Cæterum spiritum illum, quoniam calestis est & verax, mundus hic qui terrenis ac falsis bonis inhiat, non potest accipere. Quam ob rem non potest? Quia cùm habeat oculos crassos, qui non amant nisi crassa terrenaq; non videt illum, neq; nouit illum, ed q; inco prehensibilis sit eius substantia. 1. Cor. 2. Animals homo non percipit ea quæ sunt spiritus dei. 1. Ioà. 2. Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt. Siquis diligit mundum, non est charitas patris in eo. Nam amicitia huius seculi inimica est deo, Iaco. 4. Vos autem cognoscetis eum, quare? Quia non estis de hoc mundo. propterea capaces estis eius, & apud vos manebit. Ioan. 15. Quia verò de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus. Ecce quibus contingit spiritus hic veritatis, nempe non mundo deditis, sed ipsi exosis. Habent enim mundani spiritum suum, sed non sanctum. 1. Cor. 2. Nos autem non spiritum huius mundi accepimus, sed spiritum qui ex deo est, ut sciamus quæ à deo donata sunt nobis.

Non relinquam vos orphanos. Vado & venio ad uos. Adhuc modicum, & mundus me iam non videt. Vos autem uidebitis me: quia ego uiuo, & uos uiuetis. In illo die uos cognoscetis, quia ego sum in patre meo, & uos in me, & ego in uobis.

Vbiq; consolatur suos. Nec tamen, inquit, interea relinquam vos orphanos, meiq; solatio destitutos. Rom. 8. Non enim accepistis spiritum seruitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum dei, in quo clamamus, abba pater. Gala. 4. Quoniam autem estis filij dei, misit deus spiritum filij sui in corda uestra, clamantè abba pater. Veniam ad vos per resurrectionem, sensibilibiter apparendo. Ioan. 20. Luc. 24. Sic & per gratiam inhabitando. Ioan. 14. Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Mors mea & sepulchrum subtrahet me conspectibus mundanorum, nec post videbunt: vos autè videtis nunc, & post resurrectionem videbitis. Act. 20.

Dedit eum manifestum fieri non omni populo, sed testibus præordinatis à deo. Quia ego uiuo per diuinitatem sum enim vita, quare suscitare corpus mortuum possum, & sic me vobis iterum ostendere. Quemadmodum ergo mors mea facta est ad vitam, ita etiam si vos moriamini, viuetis tamè æternam vitam per me. Nolite ergo timere eos qui occidit corpus, animam autem non possunt occidere, Matt. 10. Tunc spiritu illustrati, cognoscetis identitatem naturæ meæ cum patre, quia ego & pater vnum sumus. Ioan. 10. Et vos in me, vt membra in capite: & ego in vobis, vt caput in membris, Ephe. 1. Et ipsum dedit caput super omnem ecclesiam, quæ est corpus ipsius. Est autem filius in patre, vt illi consubstantialis in apostolis, vt adiutor & cooperator: apostoli in eo, vt qui audiuntur, & cooperatorem habentes, & ab ipso fouentur. Phi. 4. Omnia possum in eo qui me confortat. Ioan. 15. Sicut palme non potest ferre fructum à semetipso, nisi manū ferit in vite, si nec vos nisi in me manseritis. Quid hæc promissione felicius, quod deus in nobis, & nos in deo? Si ergo deus pro nobis, quis contra nos? Romano. 8. Quis accusabit aduersus electos dei? Deus qui iustificat, quis est qui condemnet? Christus Iesus qui mortuus est, imò qui & resurrexit, qui est ad dexteram dei, qui etiam interpellat pro nobis. Quis ergo nos separabit à charitate Christi? Tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? Sicut scriptum est, Psalm. 43. Quoniam propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oues occisioni: Sed in his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos, Certus sum enim quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à charitate dei, quæ est in Christo Iesu. 3. Ioanis 4. Deus charitas est: & qui manet in charitate in deo manet, & deus in eo.

³ *Qui habet mandata mea, & seruat ea, ille est qui diligit me. Qui autem diligit me, diligetur à patre meo: & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum.*

Immensa ponit dilectionis præconia. Nō satis, inquit, est accepisse præcepta mea. Accepit enim Adam & transgressus est, mortem inducens super omne genus humanum, Gen. 3. Rom. 5. nisi quis meminerit: nec sufficit meminisse, nisi seruentur. Psalm. 102. Et memores sunt mandatorum ipsius ad faciendum ea, Psalm. 118. In corde meo abscondi eloquia tua, vt non peccem tibi, 1. Ioan. 5. Hæc est charitas dei, vt mandata eius custodiamus, & mandata eius grauiam non sunt. Hæc itaque qui pæstat, is verè diligit. Etenim quisquis me diligit, diligetur à patre meo: & ego diligam eum, nec vnquã illum destituam, sed reuisam eum. meque palam illi intuentum exhibebo, quod certius sit me non perisse supplicio crucis. Quid felicius quam diligi à patre? Dilectio dei considerata, prout est in dei voluntate, sic est æterna: sed secundum quod manifestatur in executione effectus temporalis, est & ipsa temporalis: & sic exprimitur per omnem differentiam temporis. Non enim ideo nos diligit deus quia eum diligimus. Hier. 31. In charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miserans. Ose. 11. In funiculis Adam traham eos, sin vinculis charitatis. 1. deo. 1. Ioan. 4. In hoc est charitas, non quasi nos dilexerimus deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos, & misit filium suum propiciationem pro peccatis nostris. Nos ergo diligamus deum, quoniam ipse prior dilexit nos. Et ego, inquit, diligam eum, dilectionis effectum ostēdēs, dando gratiam in præsentem, & gloriam in futuro. Ioan. 17. Hæc est vita æterna, vt cognoscāt te solum deum verum, & quem misisti Iesum Christum. O quam felix cui Iesus in morte manifestum se dederit, vt accipiat eum ad semetipsum, vt vbi ipse est, & ille cum ipso sit.

Dixit ei Iudas, non ille Scariothis: Domine, quid factum est, quoniam manifestaturus es te ipsum nobis, & non mundos?

Humilibus semper admirabilis exaltatio, si quando aliis præferantur. Vnde Iudas cognomento Lebbæus, domine, inquit, quid accidit, quod quum nunc omnibus sis conspicuus, tunc non sis appariturus mundo, sed nobis dumtaxat? Ideo, inquit, me non exhibebo mundo, quia non diligit me, nec seruat præcepta mea.

*Dilectio dei
quatenus
vel æterna
vel tempo-
ralis.*

Ioan. 14.
M

Respondit Iesus & dixit ei: Si quis diligit me,
sermonem meum seruabit: & pater meus diliget eum,
& ad eum ueniet, & mansione[m] apud eum faciet.
Qui non diligit me sermones meos non seruat. Et sermonem
quem audistis, non est meus, sed eius qui misit me patris.

Ostendit quam eximia bona operetur in nobis vera dilectio, quæ operibus comprobatur. Hinc suos hortatur ad seruandum mandata sua, scientes quod seruantibus illa manifestandus sit & pater. Si quis diligit me, uerè, dilectione non naturali tantum, quæ & reprobi diligunt, sed effectiue charitate increata, quæ est spiritus sanctus, & formaliter creata quæ est effectus spiritus sancti. Ro. 5. Charitas dei diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum, qui datus est nobis. Sunt enim qui ore solum appropinquant deo, cor autem ipsorum longè est ab eo. Esa. 29. Psalm. 77. Dillexerunt eum in ore suo, & lingua mentium sunt ei. Cor autem eorum non erat rectum cum eo. Amator enim uoluntatem suam uoluntati dilecti conformat. 1. Ioan. 5. Hæc est enim charitas dei, ut mandata eius custodiamus: & mandata eius grauiora non sunt. Augustin. Seruatur sermo Christi uiuendo sancta uita, facièdo præcepta, perseverando in bonis. Qui enim perseverauerit usque in finem, hic saluus erit. Matth. 24. Sed quia pauci sunt qui sic uerè diligunt, ideo dicit, Si quis. Nam omnes quæ sua sunt querunt, non quæ Iesu Christi. Phil. 2. Matth. 24. Quoniam abundabit iniquitas, refrigescet charitas multorum. De quibus. 2. Timo. 3. Hoc autem scito, quia in nouissimis diebus instabunt tempora periculosa, & erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, & c. voluptatum amatores magis quam dei, habentes speciem quidè pietatis, uirtutem autem eius abnegantes. Tales tamè in ueritate non se diligunt. Psalm. 10. Qui diligit iniquitatem, odit animam suam. Hoc etiam ostendit nemini præcludi uiam salutis, nisi uolenti. Act. 10. In ueritate compèri, quia non est acceptor personarum deus, sed in omni genere qui timet deum, & facit iustitiam, acceptus est illi. Ostendit fructum, nempe patris dilectionem. Quid autem sub-

Quibus seu
quomodo
Christi ser-
mo seruatur

limius quam diligit à patre? Dicit Sapiens Ecclesia. nono: Sunt iusti atque sapientes, & opera eorum in manu dei: & tamen nescit homo utrum amore an odio dignus sit, sed omnia in futurum seruantur incerta. Sed ueritas dicit, quæ nec falli nec fallere potest. Unde Prou. 8. Ego diligentes me diligo. Si timentibus deum nihil deest, Psalm. 33. diligētibus poterit quicquid deesse: Roma. 8. Scimus quoniam diligētibus deum omnia cooperantur in bonum. Nec inanis patris dilectio. Pater, inquit, egoque per comunem spiritum ad eum ueniet, nec ueniet tantum mox abituri, sed neque ab eo diuellemur unquam. Augustin. Dilectio dei sanctos discernit à mundo, quoniam facit unanimis habitare in domo, in qua pater & filius faciunt mansionem. Qui donat & ipsam dilectionem, quibus in fine donabit suam manifestationem. Veniunt autem non mutando locum, sed nouum infundendo effectum. Aug. Veniunt ad nos, dum nos uenimus ad ipsos: ueniunt subueniendo, uenimus obediendo: ueniunt illuminando, uenimus intuendo: ueniunt implendo, uenimus ut non sit in nobis externa uisio, sed interna, & eorum in nobis non sit transitoria mansio, sed æterna. Greg. In quorundam corda uenit, sed mansionem non facit: quia per compunctionem quidem, dei respectum percipiunt, sed tentationis tempore hoc ipsum quod compuncti fuerant, obliuiscuntur, sicque ad peccata perpetranda redeunt, ac si hæc minime plaxissent. Qui ergo deum uerè diligit, qui mandata eius custodit, in cor eius & dominus uenit & mansione[m] facit, quia sic eum amor diuinitatis penetrat, ut ab hoc amore tétationis tempore non recedat. Tanto enim quisque à superno amore seiungitur, quanto hic inferior delectatur. 1. Ioan. 3. Qui seruatur mandata eius, manet in illo, & ipse in eo. Qui autem non diligit, neque seruat. Quomodo enim seruaret, quum unus & quidè præcipuus sermonum sit, Diliges dominum deum tuum. Dep. 10. 1. Ioan. 3. Qui dicit quia diligo deum, & mandata eius non custodit, mendax est, Greg. Uerè diligimus, si mandata eius seruamus: uerè diligimus, si ad mandata eius à nostris uos uoluptatibus coarctamus. Nā qui adhuc per illicita desideria defluit, profecto deum non amat, quia ei in uoluptate contradicit. Sed quia quidam uerba ipsius ex persona pæ-

stantes, tanquam contemptibilia aspernabantur, vt patet Mat. 13. & Mar. 6. idēd omnia tam verba quā facta patri ascribens, ait: Quisquis autem negligit præcepta mea, negligit & dei præcepta. Siquidem id quod docui vos, nō est sic mea doctrina, vt non sit eadem patris, sed tam patris est quā mea, vnde proficitur quicquid possum aut docco, nihil agens nisi ex illius autoritate, à quo missus sum in mundum, vt hæc docerem quæ doceo. Ioannis. 7. Mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me. Hinc Luc. 10. Qui me spernit, spernit eum qui me misit. Nam Matth. 17. Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audite.

2. *Hæc locutus sum vobis, apud uos manens. para-*
pletus autem spiritus sanctus quem mittet pater in no-
mine meo, ille uos docebit omnia, & suggeret vobis
omnia quæcunque dixerō vobis.

Manens corporaliter & visibiliter. nam alia est quam promissit futuram, mansio, Mat. 28. Quoniam ex hoc extremo ipsos nouit desolatos, & penē exanimatos confortat, diuinæ consolationis assistentiam promittens. Paracletus, inquit, consolator, & quis sit indicat, d. spiritus sanctus, nō desinet vos in omni necessitate. Vnde Actuum 1. Et cōuescens, præcepit eis ab Hierosolymis ne discederent, sed expectarēt promissionem patris, quam audistis, inquit, per os meum. Luc. 24. Vos autem sedete in ciuitate, quoad usque induamini virtute ex alto. Vnde hac per spiritum induti, ibant gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habitu sunt pro nomine Iesu contumeliā pati, Act. 5. Nec mirum, quia Lu. 21. Ego dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere & contra dicere omnes aduersarij vestri. Mat. 10. Non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus patris qui loquitur in vobis. Hinc dicit hic, omnia illos docturum. Docuit enim quæcūque non dixerat Christus, vt pote portare non valentes: suggestit verō quæcūque dixerat quidem dominus, sed obscurius, vel quæ propter imbecillitatem rationis memoria comprehendere non valebant. Quanto vobis hic spiritus exoptandus & inquirendus est affectu, sine quo nihil possumus, impō nihil summus: Ro. 8. Qui spiritū Chri-

Quæ uel do-
euertit vel
suggestit
spiritus san.

si nō habet, hic nō est eius. Sed cuius tumē. Reg. 16. Spiritus autem domini recessit à Saul, & exagitabat eum spiritus dominimalus. Ideo Psalm. 142. Spiritus tuus bone *Quæ tria*
nūc deducet me in terram rectam. Tria ergo insinuat, *spiritus*
quæ operatur in nobis ad salutem necessaria. Primum *sanctus in*
est, rationalis illuminatio per boni cognitionem, vnde *nobis ope-*
spiritus dicitur veritatis. Gregorius: nisi spiritus cordi *retur.*
adit audientis, ociosus est sermo doctoris. vnde & Cain *retur.*
culpīs suis exigentibus, voce domini admonitus est for-
tis, non vnctio interius: audire verba dei potuit, sed *retur.*
seruare contempsit. 1. Ioan. 7. Et vnctio eius docet vos de
omnibus. Sic dominus aperuit illis sensum, vt intelligen-
rent scripturas, Luc. 24. De malis dicitur Esa. 9. Domi-
nus miscuit in medio eius, spiritum vertiginis, & errare
fecerunt Aegyptum in omni opere suo, sicut errat ebrius
& uomens. Hinc pullulant errores ex iis qui proprio
sensu metiuntur scripturas. 2. Petr. 3. Hoc primū
intelligentes, quōd omnis prophetia scripturæ propria
interpretatione non fit: non enim uolūtate humana al-
lata est aliquando prophetia, sed spiritu sancto inspirati,
locuti sunt sancti dei homines. Ideo apostolus Ephesi. 1.
Non cesso gratias agens pro vobis, memoriam vestri fa-
ciens in orationibus meis, vt deus domini nostri Iesu pa-
ter gloria, det vobis spiritum sapientiæ & reuelationis
in agnitionem eius, illuminatos oculos cordis vestri: vt
sciatis quæ sit spes uocationis eius, & quæ diuitiæ glo-
riæ hereditatis eius in sanctis. Ecce quantum & ad quæ
illuminat mentis oculos. Secundū, concupiscibilis recti-
ficatio. Multi enim bonum cognoscunt, sed non uero bo-
no afficiuntur. Gen. 8. Sensus & cogitatio cordis huma-
ni in malum prona sunt ab adolescentia sua. Hic autem
spiritus dulcescere facit cælestia. 1. Petr. 1. Si tamen gu-
stastis quoniam suavis est dominus. Sapient. 11. O quā
bonus & suauis est domine spiritus tuus in omnibus.
Ecclesi. 24. Spiritus meus super mel dulcis, & hereditas
super mel & fauam. Quo contra malignus spiritus car-
nales promittit, quas tamen non uerè præstat delicias.
Matth. 4. Hæc omnia tibi dabo, si procidens adoraueris
me. Ideo Psalm. 76. Renuit consolari anima mea: memor
sui dei, & delectatus sum. Tertium, irascibilis conforta-

rio, Rom. 7. Velle mihi adiacet, perficere autē nō inuenio. Marth. 26. Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma. Hinc Ro. 8. Similiter & spiritus adiuuat infirmitatem nostram. Merito ergo paraclētus, hoc est, cōsolator dicitur. Quæ enim maior cōsolatio, quā quod ex filiis iræ facti sumus filij dei? Rom. 8. Ipse enim spiritus reddit testimonium spiritui nostro, quod filij dei sumus. Cōsolatur etiā si quando ceciderimus peccādo, per peccatorum remissionem. Ioan. 20. Accipite spiritum sanctum: quorū remiseritis peccata, remittuntur eis. Sed ne temporalis tantum credatur cōsolatio, æternā præstat gloriā, quia pignus est hæreditatis nostræ, Eph. 1. Romo. 8. Quod si spiritus eius qui suscitauit Iesum à mortuis, habitat in vobis, qui suscitauit Iesum Christum à mortuis, viuificabit & mortalia corpora vestra, propter inhabitatē spiritum eius in vobis. Sed quibus hic spiritus contingit? Quem pater, inquit, mittet. Lucæ vñdecimo, Pater vester cælestis dabit spiritum bonum petentibus se. Obserua duo. Nempe quia pater. Gal. quarto, Quoniam estis filij dei, misit deus spiritum filij sui in corda vestra, clamantem, abba pater. Alterum, quod petentibus dat. Sic apostoli erant perseverantes in oratione vnanimiter cum mulieribus & Maria matre Iesu & fratribus eius. Sapientia septimo, Inuocaui, & venit in me spiritus sapientia. Est autem duplex missio: visibilis & aperta, sicut in die pentecostes, quando apparuit in linguis igneis, vt ignaros doctos, & frigidos inflammatos redderet, Actuum secundo. Inuisibilis, sic quotidie mittitur in mentes fidelium per infusionem donorum, & effectus quos causat in creatura rationali. Et quia sanctus non solum spiritus ac mentes sanctificat, sed & immundum refugit locum. Sap. 1. Spiritus enim sanctus disciplina effugiet fictū, & auferet se à cogitationibus quæ sunt sine intellectu, & corripietur à superueniente iniquitate. Marth. 6. Non enim mittunt vinum nouum in vtres veteres, alioquin rumpuntur vtres veteres, & vinum effunditur, & vtres pereūt. Sed vinum nouum in vtres novos mittunt, & ambo conseruantur. 1. Corint. 6. An nescitis quoniam mēbra vestra templum sunt spiritus sancti, quæ habetis ex deo, & nō ex vobis? Hic admonet Eph. 4.

Duplex
spiritus
et missio.

Nolite contristare spiritum sanctum dei, in quo singulari estis in die redemptionis. Tit. 3. Secundum misericordiā suam saluos nos fecit, per lauacrum regenerationis & renouationis spiritus sancti, quæ effudit in nos abundē, per Iesum Christum saluatore. Sic & in cōfirmatione. Act. 8. Orauerunt pro ipsis, vt acciperent spiritum sanctum. Nondum enim in quequā illorū superuenerat. sed baptizati tantum erant in nomine domini Iesu. Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant spiritum sanctum. Haud dubium in maiori plenitudine quā in baptisimo, qui sine spiritu sancto inefficax est, dicente domino, Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non potest introire in regnum dei.

Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis. Non quomodo mundus dat, ego do vobis. Non turbetur cor vestrum neque formidet. Audistis quia ego dixi vobis, uado & uenio ad uos. Si diligeritis me, gauderetis utique, quia uado ad patrem, quia pater maior me est. Et nunc dixi vobis, priusquam fiat, ut cum factum fuerit creditis. Iam nō multa loquar uobiscum. Venit enim princeps mundi huius, & in me non habet quicquam: sed ut cognoscat mundus quia diligo patrem, & sicut mandatum dedit mihi pater, sic facio.

Audientes discipuli dominum dicessurum, non parum turbabantur, cogitantes Iudæorum odia & machinationes in dominum, & subinde sibi ipsis imminentes, ideo eos cōsolatur. Solent homines suis relinquere temporalia & nonnunquam in perniciē animarum, & magnam occasionem discordiarum: sed dominus suis dat & relinquit pacem, quæ nihil hic melius, & sine qua hic omnia nihil. Qui meam, inquit, pacem habet, hunc nulla potest mundi tempestas subuertere. Habet mundus suam quandam pacem, & his quos amat, dat pacem suam: sed hæc infida pax est. Mea pax quam vobis do, vos conciliat deo, Quis autem noceat ei, qui deum habet protectorem? Pax quam relinquo vobis, mutua concordia cō-
glutinas vos inter vos. reddet sodalitiū vestrum inui-
a mun-

di pace
quàm dif-
ferat.

Quum, aduersus omnia quæ potest mundus, aut sathanas huius mundi princeps. Ostendit quantum distet pax sua, à pace quam mundus dat, quæ sæpe in malo fit, & planè stulta est. Augustinus: Mundani homines mundi amatores, propterea dant pacem sibi, vt sine molestia mundo perfruantur: quæ non est vera pax, sed quæta quædam fruitio temporalium diuitiarum, carnalium deliciarum cæterorùmque bonorum huius mundi, qualem habet anima vitiosa cū carne sua, quæ requiescit in mundano & carnali successu: sed in interiori homine irrequieta manet. Esai. 47. Impij quasi mare feruens, quod quiescere non potest. Non est pax in piis, dicit dominus. Pax Christi, bonorum est. Augustinus: Pacem gratiæ nobis relinquit in hoc seculo, in qua manentes hostem vincimus, pacem gloriæ dabit nobis in futuro seculo, qua sine hoste regnabimus, vbi nunquam dissentire poterimus, neque à deo neque à proximo. Pax enim quæ est fructus spiritus, Gala. 5. ex charitate procedit, quæ ordinat hominem ad deum, & ad proximum, & sic facit concordiam. Dum ergo anima ab inquietudine passionum est libera, & diuinæ legi rite subiecta, pacem habet in se & ad deum, imò quo ad proximum, quantum in se est. Non enim contra aliquæ passionibus agitatur, non inuidia stimulat, nō ira turbatur. 1. Corin. 13. Charitas patiens est, benigna est, charitas non æmulatur, non inflatur, non agit perperam, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati. Sunt tamen quidam adeo peruersæ mentis, vt cum homine pacifico pacem non habeant. Psalm. 119. Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus. Psalm. 118. Pax multa diligentibus legem tuam. Multa dicit, quia perfectam hic habere non possumus. Nam etsi condelectemur legi dei secundum interiorem hominem, aliam tamē inuenimus legem in membris nostris. Roman. 7. Caro enim concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem. hæc enim sibi inuicem aduersantur. Gala. 5. Ecce intestinum bellum non nisi morte finiendum. Sic & cum proximo, quia vt dicit Aug. vnus non videt cogitationes alterius: & si quis quandoque credat se diligere ab alio, nonnunquam tamen

dubitat, quum multi verbis & gestis prætendant quod animo non intendunt. Hier. 9. In ore suo pacem cum amico suo loquitur, & occultè ponit ei insidias. Pax autem æterna omnem penitus repugnantiam excludit. Esaiæ. 57. Sedebit populus meus in pulchritudine pacis. Ad hæc æternitatis pacem peruenitur per istam quam Christus dat. Mat. 5. Beati pacifici, quoniam filij dei vocabuntur. Pace data monet ipsos bono animo esse, nec turbari de suo recessu, nec formidare aduersarios. q. d. Quid vobis nocent mundi turbationes, quum mecum pacem habeatis? Vado quidem per mortem, sed venio per resurrectionem. Augustinus: Ibat per id quod homo erat, & manebat per id quod deus erat. In nullo ergo turbari debeuerant & formidare, qui paracliti & Christi præsentiam habituri erant. Hinc alteram addit rationem. Atqui, inquit, si me verè diligeretis, nimirum gauderetis vestro simul & meo nomine: quia non ab eo quouis, sed ad patrem redeo, apud illū maiora vobis impetraturus, quando pater maior me est, vnde proficiscitur quicquid vobis impartio. Is omnia dura potest auferre. Venit ad patrem non secundum quod deus, quia sic semper cum patre. Ioan. 3. qui est in sinu patris, sed secundum quod homo: secundum quod pater maior eo est, secundum quam minoratus est ab angelis, Psalm. 8. Heb. 1. Exinanit enim semetipsum, formam serui accipiens, Philip. 2. Ideo autem, ait, repeto & inculco, vt vbi quod dixi, rerum exitus comprobabit de mea passione, & vestris afflictionibus futuris, credatis & omnia reliqua fore vera, quæ post ventura prædixi, de meo paraclitiquæ aduentu. Augustinus: Ex rebus quæ videntur, agitur in nobis, vt credantur quæ non videntur. Hoc ergo ostendit, se verum deum, cuius est solius contingentia prædicere. Esai. 41. Annunciate quæ ventura sunt in futurum, & sciemus quia dii estis vos. Posthac mortalis cum mortalibus non multa loquar. Adest per suos satellites huius mundi princeps sathanas, summis viribus aggressurus me, vt me profusus deiciat & extinguat. Sed nihil periculi est. Nam in me nihil habet iuris, & dum se maximè victorem esse confidet, se victum prostratumque comperiet. Princeps mundi, non creaturæ in mundo, sed mundi confusi & man-

dana sapientis. Ideo princeps dicitur tenebrarum, Ephē. 6. Iam enim Iudam intrauerat, Ioannis. 13. & principes instigauerat ad perficiendum innocentis mortem. Venit & per se. Lucā. 4. Consummatāque omni tentatione, diabolus recessit ab illo vsque ad tempus. Nihil ergo iuris in ipso habuit, quum peccatum non fecerit, nec inuentus fuerit dolus in ore eius. 1. Petr. 2. Vnde Pilatus ait, Luc. 23. Nullam causam mortis inuenio in eo. Mortis autem causa, peccatum est. Romano. 5. Sicut per vnum hominem peccatum in hunc mūdum intrauit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccauerūt. Nec enim morior, inquit, coactus, nec ob vllum facinus, sed vt mea morte redimam mea membra à peccati mortisque tyrannide. Hoc mihi mandatum est à patre meo: & quod mandatum est, ex illius facio sententia. 2. Corinthio. 5. Eum qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit, vt nos efficeremur iustitia dei in illo. Esa. 53. Dominus posuit in eo iniquitatem omnium nostrum. O immensa charitas, qua nullum diaboli complicumque eius vitare voluit ludibrium, vt voluntatem eius impleret quem diligebat, suis in exemplum. Philip. 2. Hoc enim sentitē vobis, quod & in Christo Iesu, qui cum in forma dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem deo, sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus: & habitu inuentus vt homo, humiliavit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis.

Surgite, eamus hinc.

Quoniam audierant iam adesse principem huius mundi, sibi metuebant à communi periculo, in locum velut ipsis tutiorem abducit, vt cætera fidentioribus animis audiant.

Ego sum vitis vera, & pater meus agricola est. omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollit eum: & omnem qui fert fructum, purgabit eum, ut fructum plus afferat. Iam vos mundi estis propter

sermonem quem locutus sum vobis. Manete in me, & ego in vobis. Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite, sic nec vos, nisi in me manseritis.

Ostendit quemadmodum naturalem vitam & spirationem sine deo habere non possumus neque conseruare, sic neque vitam gratiæ in præsentī, neque gloriæ in futuro. Vnde comparat se viti, quæ succum fluit palmitibus propter tria. Primum, ob palmitum multiplicationem, sic multa membra Christi. Psal. 39. Annunciaui & locutus sum, multiplicati sunt super numerum. Aug. Iste locus euāgelicus, in quo se dicit dominus vitem, discipulos suos palmites, secundum hoc dicit quod est caput ecclesiæ, nōsque membra eius, mediator dei & hominum homo Christus Iesus. Vnius quippe naturæ sunt vitis & palmites: propter quod cum esset deus, cuius naturæ non sumus, factus est homo, vt in illo esset vitis humana natura, cuius & nos homines palmites esse possemus. Ephes. 1. Et ipsum dedit caput super omnem ecclesiam quæ est corpus eius. Romanorum. 10. Multi vnum corpus sumus, singuli autem alter alterius membra, habentes donationes secundum gratiam quæ data est nobis, differentes. Secundò, ob fructuum vbertatem. Nam multos ipse filios in gloriam adduxit, Hebræ. 4. Psal. 71. Et benedicentur in ipso omnes tribus terræ. Tertio, ob ligni vtilitatem, Est enim quasi inutile & despectū, quum tamen fructum proferat preciosum: sic Christus humanitate despectissimus habebatur, quum tamen fructus protulerit vberimos. Esa. 53. Non est species ei neque decor: & vidimus eum, & non erat aspectus. & desiderauimus eum despectum & nouissimum virorum, virum dolorum & scientem infirmitatem, & quasi absconditus & despectus vultus eius, vnde nec reputauimus eum. Dicitur vitis vera, ad discretionem vitis alienæ. Hieremia. 2. Quomodo conuersa es mihi in amaritudinem vinea aliena? Esa. 5. Expectaui vt faceret vvas, & fecit labruscas. Ego, ait, radix vel stirps vitis sum: vos membra mea ceu palmites è stirpe prognati. Ad patrem velut ad fontem redit totius beneficij gratia, qui

*Quot de
causis succi
vitis influat
palmitibus.*

*Vitis vera
cur dicitur
Christus.*

quicquid vobis largitur, per me ac per spiritum suum vobis largitur. Succus autem stirpis, qui palmitibus quoque dat vitam ac fructificandi vim, spiritus est, patri mihi que communis. Is vt me patri connectit, ita vos quoque mihi copulat. Inluit autem Christus in corpus ecclesie, ceu caput in membra; Pater agit in vinea ecclesie, vt plantetur & fructificet: non enim circa radices occupatus est, sed circa palmites. Duo facit. Omnē enim palmitem Christo adhaerentem, & ipsius spiritu viuentem, nec non fructum stirpe dignum afferentem, pater purgat, superuacuas amputans cupiditates, quod fructū adferat copiosorem ac generosorem. Galat. 5. Fructus spiritus est charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas. Purgat aduersitate. Sapien. 3. Tanquam aurum in fornace probat electos. Charitate que operit multitudinem peccatorum. 1. Pet. 4. Colos. 1. In omni opere bono fructificantes, & crescentes in scientia dei. Psalm. 83. Ibunt de virtute in virtutem, videbitur deus deorum in Sion. Sed qui solum per fidei professionem adhaeret, charitatis autem euangelicæ nullum fructū adfert, hunc pater amputabit à vite, velut onerosum & inutile membrum. Frustra enim est in vite, qui fructum non habet, sed folia tantum verborum: quare tollitur & emoritur, quia Christus vita nostra, Col. 3. cuius ipse influxum non percipit. Oportet ergo qui per fidem vnitus & incorporatus est domino, fructum afferre, hoc est, vitam habere virtutibus præditam, alioqui mortuus palme est. Iac. 1. Fides sine operibus mortua, & tollenda. Iam vos mundati estis à labe peccati & erroris per verbū meū. Aug. Quare non ait, propter baptismum quo abluti estis, nisi quia & in aqua verbum mundat? Detrahe verbum, & quid est aqua nisi aqua? Accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum. Vnde ista tanta virtus aquæ, vt corpus tangat & cor abluat? nisi faciente verbo, nō quia dicitur, sed quia creditur? Nam aliud est sonus transiens, aliud virtus manens. Indicat quibus maximè vnitas obseruari queat concordie & pacis, nempe si manserimus in vite Christo. Vnitas ipsa est qua pax constat. Ideo in Christo manendum quo irrigemur, nam vitale alimen-

Aqua baptismi sine verbo quid.

tum ministrat vitis palmitibus, sic Christus nobis. Aug. Non eo modo illi in ipso, sicut ille in ipsis. Nam in Christo manere, est Christum manentem in se habere: & hoc In Christo manere potest alius de vna radice pullulare: qui autem præcibus est, non potest sine radice viuere. Verè autem manemus per fidem operosam per charitatem. Ioan. 4. Deus charitas est, & qui manet in charitate, in deo manet, & deus in eo. Vnde Ephes. 3. In charitate radicati & fundati. Sicut ergo palme manens in vite, fructum facit, eò quod ab illa viuendi operationem accipit: ita & qui manent in Christo per obseruationem mandatorum, maiorem fructum afferunt. Contrà qui non manent, fructum ferre non possunt, cum non adhaerant illi vnde proficiscitur quicquid ad veram aeternamque facit salutem. Aug. Magna gratiæ commendatio, corda instruit humilium, ora obstruit superbiorum, qui ignorantes dei iustitiam, suā voluerunt constituere; Rom. 10. dicentes, à deo habemus quoddam homines sumus, à nobis quod iusti sumus. Quid vos decipitis miseri, non assertores, sed præcipitatores liberi arbitrij? Qui enim fructum à semetipso ferre se posse existimat, in vite non est: ac sic nec in eo Christus est, nec ipse Christianus est. Ose. 13. Perditio tua o Israel, tantummodo in me auxilium tuum. Hinc. 1. Cor. 10. Qui stat, videat ne cadat.

Ego sum vitis, vos palmites. Qui manet in me, & ego in eo: hic fert fructum multum: quia sine me nihil potestis facere. Si quis in me non manserit mittetur foras sicut palme, & arefcet: & colligent eum & in ignem mittent, & ardet.

Ego sum vitis, cuius vos palmites estis, gratis insiti, gratis purgati, sed vnde vestra culpa potestis excidere. Quare perpetuo vobis hoc cūctandum, vt semper mihi iungamini. Etenim quisquis manet mihi coniunctus, me sibi vicissim coniunctū habens, meo que viuens spiritu, hic aspirante patre, copiosum fructum profert, sibi salutem aeternam lucrificans, & deo cuius gratia sunt omnia, gloriā apud homines concilians. Quemadmodū enim caput in

fuit membris vitam & motum, & vitis palmitibus humorem & pinguedinem: sic Christus vitam gratia, & motum sanctorum actionum, humorem accepta dona alentem, christumque diuinorum pinguedinem. Psal. 62. Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea. Ioan. primo. De plenitudine eius omnes nos accepimus. Aug. Ne quis putaret saltem aliquem fructum paruum posse ferre à semetipso palmitem, non ait, quia sine me parum potestis facere, sed nihil. Siue ergo parum, siue multum, sine illo fieri non potest, sine quo nihil fieri potest: quia si parum attulerit palmes, eum purgat agricola ut plus afferat. Phi. quarto, Omnia possum in eo qui me confortat. Nemo ergo se seducat, non enim est volentis neque currentis, sed miseretis dei, Ro. 9. Praecedit enim velle, subsequitur perficere, sed hæc vnde? Non enim sufficiens sumus cogitare aliquid à nobis, quàm ex nobis, sed omnis nostra sufficientia ex deo est. 2. Cor. 3. Phi. 2. Deus qui operatur in vobis velle & perficere. Obserua quod ait, Sine me. Nō ergo excludit nostram cooperationem, sed potius includit. 1. Cor. 3. Dei enim sumus adiutores. 1. Cor. 15. Gratia dei sum id quod sum, & gratia dei in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus laboravi: non ego autem, sed gratia dei mecum. Qui autē non manet, aridus fit: hoc est, abiicit quod à fide habuit, & auxilio & vita priuatur, destitutus succo & spiritu Christi: sicque emoritur iuxta mentē, etiam si viuat iuxta corpus, & numero fidelibus iugatur. Apo. 3. Nomen habes quod viuas, & mortuus es. psal. 142. Anima mea sicut terra sine aqua tibi. & post hanc vitam separatus irrecuperabiliter à vite, cōiicitur in ignē æternum, semper arsurus ad suum supplicium, qui noluerit in vite permanere, fructum editurus felicitatis æternæ. Mar. 13. Exhibunt angeli, & separabunt malos de medio iustorum, & mittent eos in caminum ignis. Si sola sterilitas condemnatur, iniquitatis operatio ubi manebit? Matth. 25. Inutilem seruū eicite in tenebras exteriores. Ibi erit fletus, & stridor dentium. Aug. Ligna vitis tanto sunt contemptibilia, si in vite non manserint, quantō gloriofiora, si manserint. Ezech. 15. Fili hominis, quid fiet de ligno vitis, ex omnibus lignis nemorū que sunt inter ligna sylvarum? Nunquid tolletur de ea lignū ut fiat opus

aut fabricabitur de ea paxillus, ut dependeat in eo quodcumque vas? Ecce igni datum est in escā, utranque partē eius consumpsit ignis, & medietas eius redacta est in fauillam. Ambro. Vinea recisa fructificat, semipurata frondescit: habens multa folia, paucos fructus, neglecta luxuriat. Sic anima purgata à vitis, fructificat: negligenter & semiplenē purata, frondescit, habens multa folia verborum, non fructum: quare & à domino maledicitur, sicut ficulnea. Mar. 21. Sed non purgata, syluestris redditur, non iam proferans vvas suaves, sed agrestes. Deuter. 32. Vva eorum vva fellis, & botrus amarissimus. Chryl. Sicut de vinea nascuntur gemmae, de gemmis flores, de floribus vva, de vuis vinum elicitor: sic de anima viri iusti, bonæ nascuntur cogitationes, quæ principium bonorum sunt operum. De cogitationibus bonæ proueniūt voluntates, quæ apud deum odoriferi sunt flores. Ex bona voluntate procedunt bonæ operationes. Eccl. 24. Et flores mei fructus honoris & honestatis. De bonis operibus gaudiū in deo. Psal. 18. In custodiendis illis retributio multa. glo. Non tantum pro eis in futuro reddetur præmium, sed & hic in eorum custodia magnum est gaudiū. Iudic. 9. Nūquid possum deserere vinum meū, quod lætificat deum & homines? vni ergo palmiti congruit, aut in vite esse, aut in igne.

Si manseritis in me, & uerba mea in uobis manserint, quodcumque uolueritis petetis, & fiet uobis.

Aug. Tunc dicenda sunt uerba eius in nobis manere, quando facimus quod præcipit, quando diligimus quod promittit. Quando autem uerba eius manent in memoria, nec inueniuntur in uita, non computatur palmes in uite, quia uitam non extrahit ex radice. Psal. 102. Et memores sunt mandatorum ipsius ad faciendum ea. Manendo autem in Christo, quid uelle possunt nisi quod conuenit Christo? quid uelle possunt manendo in saluatore, nisi quod non alienum est à salute? Et si petimus, & uenit, non hoc petimus quod habet mansio in eo, nec quod habent uerba eius quæ manent in nobis: sed quod habet cupiditas nostra, & infirmitas carnis, quæ non est in eo, & in qua non manent uerba eius. Iac. 4. Peritis & non accipitis, eo quod malè petatis. Insinuat itaque duas petitionis.

conditiones. nis conditiones. Prima, Firma ad deum affectio. Psalm. 72. Mihi adhaerere deo bonum est, ponere in domino deo spem meam. Psalm. 36. Delectare in domino, & dabit tibi petitiones cordis tui. Sic Iosaphat ait. 2. Para. 20. Cum igno- ramus quid agere debeamus, hoc solum habemus res- dui, ut oculos nostros dirigamus ad te. Secunda, debita mandatorum observatio. Prou. 28. Qui declinat aurem suam ne audiatur legem, oratio eius erit execrabilis. Mat. 7. Non omnis qui dicit mihi, domine domine, intrabit in regnum caelorum: sed qui facit voluntatem patris mei qui in caelis est, ipse intrabit in regnum caelorum. Sed quae voluntas? Theol. 4. Haec est voluntas dei sanctificatio vestra, ut abstineatis vos a fornicatione, ut sciat unusquisque vestrum vas suum possidere in sanctificatione & honore, non in passione desiderij, sicut & gentes quae ignorant deum. Sed quid ait dominus, Hier. 2? Duo mala fecit populus meus: me dereliquerunt fontem aquae vitae, & foderunt sibi cisternas dissipatas, quae continere aquas non possunt. Quid ergo? Nunquid desperandum? Nequaquam. Ait enim dominus, Ezechie. 18. Nunquid voluntatis meae est mors impij, dicit dominus, & non ut conuer- tatur a viis suis, & viuat? Sic Manasses qui Hierusalem usque ad os sanguine prophetarum impleuit. 4. Reg. 11. postquam coangustatus est, orauit dominum deum suum, & egit poenitentiam valde coram domino deo patrum suorum. Deprecatusque est eum, & obsecrauit intentem, & exaudiuit orationem eius, reduxitque eum Hierusalem in regnum suum, & cognouit Manasses quod dominus ipse esset deus. 2. Para. 33.

In hoc clarificatus est pater meus ut fructum plurimum afferatis, & effeciamini mei discipuli. Sicut dilexit me pater, & ego dilexi uos. Manete in dilectione mea: sicut & ego precepta patris mei seruaui, & maneo in eius dilectione. Haec locutus sum uobis, ut gaudium meum in uobis sit, & gaudium uestrum impleatur.

Vides quomodo ille est verè fructum afferens, qui verè est discipulus, & pater in illo glorificatur, hoc est, glo-

riam suam existimat. Aug. Si enim in hoc glorificatus est pater, non hoc gloriae nostrae tribuamus, tanquam ex nobis ipsis habeamus: eius enim est haec gratia, & ideo non nostra, sed eius est gloria. Mat. 5. Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum qui in caelis est. Nehe. 8. Gaudium enim domini est fortitudo vestra. Mei. ait, discipuli. Ioan. 13. In hoc cognoscet omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem. Sicut autem non minuitur dilectio patris, propterea quod ego patiar, ita neque vos minus diligemini ab eo, etiam si in varias incideritis afflictiones. Iudit. 8. Omnes qui placuerunt deo, per multas tribulationes transierunt fideles. Ostendit quemadmodum in ipsis maneamus dilectione, nempe si sermones eius in nobis manserint, si quae credimus, teneamus & factis exequamur. Hinc Ioan. 8. Quae placita sunt ei, facio semper. Non petatis solatium a mundo, sed meo gaudio gaudeatis, si quando meis vestigiis ingredientis affigemini, idque gaudium maneat in vobis, semper augetur in maius meliusque, donec impleatur in perpetuam immortalitatis vitae felicitatem. Non enim mœrore digna sunt praesentia, sed gaudio, licet crux, licet confusio, licet ignominia accedat. Iac. 1. Omne gaudium existimate fratres, cum in varias tentationes incideritis, scientes quod probatio fidei vestrae patientiam operatur, patientia autem opus perfectum habet. Est enim istud gaudium internum, quod ipse in nobis operatur, ut in tribulationibus quemadmodum apostoli gaudeamus, Act. 5. plenum autem & perfectum in caelo consequemur. Psalm. 15. Adimplebis me letitia cum vultu tuo, delectationes in delectatione tua usque in finem. Psalm. 6. Satiabor cum apparuerit gloria tua.

Hoc est praecipuum meum, ut diligatis inuicem sicut dilexi uos. Maiorem dilectionem nemo habet quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis. Vos amici mei estis, si feceritis quae ego praecipio uobis.

Ostendit mutuae dilectionis necessitate, qualitatem, & utilitatem. Ipsa enim in medijs malis magno est solatio iniucos reddens contra omnia mundi mala, Multa

Quomodo maneamus in Christi dilectione.

sunt, inquit, Moysi præcepta. vnū est hoc præceptū pro-
 priè meum, quod omnia complectitur quæ doceo, quod
 omnia conculcabit quæ inciderint tristitia: vt ea charitate
 vos mutuo complectamini, qua ego sum vos amplexus.
 Legisperito respondens, ait: Diliges dominū deum tuum
 ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente
 tua, hoc est maximum & primū mandatum. Secundum
 autem simile est huic: Diliges proximum tuum sicut teip-
 sum, Matt. 22. Hic verò, hoc est mandatum meū. & Ioā.
 13. Mandatum nouū do vobis, vt diligatis inuicem sicut
 dilexi vos Sed observa quod ait Apostolus. Rom. 13. Qui
 proximum diligit, legem impleuit. Nam non adultera-
 bis, non occides, non furaberis, non falsum testimonium
 dices, non concupisces, & si quod est aliud mādarum, in
 hoc instauratur verbo: Diliges proximum tuum sicut teip-
 sum. Dilectio proximi malum non operatur. Hinc. 1.
 Ioannis. 4. Hoc mandatum habemus à deo, vt qui diligit
 deum, diligit & fratrem suum. Si quis dixerit quoniam
 diligo deum, & fratrem suum oderit, mendax est. Qui
 enim non diligit fratrem suum quem videt, deum quem
 non videt, quomodo potest diligere? Dicitur autem nouum,
 quia reddit hominem nouum, & ne in vestitate re-
 maneamus. Ephe. 4. Deponite vos secundum pristinam
 conuersationem, veterem hominem, qui corrumpitur se-
 cundum desideria erroris: renouamini autē spiritu men-
 tis vestræ, & induite nouum hominem, qui secundum
 deū creatus est, in iustitia & sanctitate veritatis. Propter
 quod deponentes mendaciū, loquimini veritatem vnus-
 quisque cum proximo suo: quoniam sumus inuicem mē-
 bra. Nō autem fortuito neque simpliciter vult nos dili-
 gere inuicem, sed sicut ipse dilexit nos. Dilexit autē nos
 gratuite. 1. Ioan. 4. In hoc est charitas, non quasi nos dile-
 xerimus deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos, & mi-
 sit filium suum propiciationem pro peccatis nostris. Sic
 Mat. 5. Si diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem
 habebitis? Nōne & publicani hoc faciunt? Ordinate,
 quia ad vitam æternā. Ioā. 3. Sic deus dilexit mundū, vt fi-
 lium suum vnigenitū daret, vt omnis qui credit in illum,
 non pereat, sed habeat vitam æternam. Ioan. 10. Ego veni
 vt vitam habeant, & abundantius habeant. Sic & nos

*Quot seu
 quibus mo-
 dis dilexe-
 rit nos
 Christus.*

1. Cor. 10. Non quærēs quod mihi vtile est, sed quod mul-
 tis, vt salui fiant. & 2. Cor. 12. Non quærō vestra sed vos.
 Sed heu, Omnes quæ sua sunt quærūt, Phil. 2. contra illud
 1. Cor. 13. Charitas nō quærīt quæ sua sunt. Perfecit ē, quia
 animam pro nobis posuit. Pecuniam aut operam qui im-
 pendent, fortassis reperientur per multi: qui vitam im-
 pēdat amico, perrarus est. Ipse verò plus præstitit: nam
 pro inimicis impēdit, modo fiant amici. Rom. 5. Vt quid
 enim Christus cū infirmi essemus secundum tempus,
 pro inimicis mortuus est? Vix enim pro iusto quis mor-
 ritur, 1. Ioan. 3. In hoc cognouimus charitatem dei, quo-
 niam ille animā suam pro nobis posuit, & nos debemus
 pro fratribus animas ponere. Qui habuerit substantiam
 huius mūdi, & viderit fratrem suum necesse habere, &
 clauerit viscera sua ab eo, quomodo charitas dei manet
 in eo? Filii mei, non diligamus verbo neque lingua, sed
 opere & veritate. Sursum deorsumque versat charita-
 tis præceptum, ostenditque nobis multis verbis, quod il-
 lud maioris momenti sit & plus curandum. Qui enim
 proximum diligit, amicus dei est.

*Iam non dicam vos seruos, quia seruus nescit quid
 faciat dominus eius. Vos autem dixi amicos, quia omnia
 quecumque audiui à patre meo, nota feci vobis.*

Magnum est, amicum esse principum: sed maximum,
 esse amicū Christi. Amicitia obtingit fidei veritate. Sic
 Abrahā credidit deo, & reputatum est illi ad iustitiam,
 & amicus dei appellatus est. Iac. 2. Consciētiæ puritate.
 Prou. 2. Qui diligit cordis munditiam, propter gratiam
 labiorum habebit amicū regem. Sapi. 7. in animas san-
 ctas se transfert, & amicos dei cōstituit. Patientiæ firmi-
 tate. Iudith 8. Memores esse debent quomodo pater no-
 ster Abrahā tētatus est, & per multas tribulationes pro-
 batus, dei amicus effectus est. Obedientiæ integritate, si-
 cut hic dicitur. & Ioan. 14. Qui habet mādata mea, & ser-
 uat ea, is est qui diligit me. Obserua seruiturē esse quādā
 vitiosam. Ioan. 8. Qui facit peccatū, seruus est peccati. Ab
 hac dominus liberare venit. Ioā. 8. Si filius vos liberaue-
 rit, verē liberi eritis. Altera virtuosa. Rom. 6. Liberati à
 peccato, serui facti estis iustitiæ. Nūc verò liberati à pec-

*Quibus
 medus a-
 micis
 obtingit.*

gato, serui autē facti deo, haberis fructū vestrū in sanctificationē, finem verō vitā æternam. Mali ergo & si quando deo videntur seruire, nō ob dei gloriā, sed propriū faciūt commodū, hic mercedem recipientes quā quaesierunt. Mat. 6. Boni verō, qui & amici dei sunt. Eccle. 13. Seruus fidelis sit tibi quasi anima tua. In futuro gloria, & hic gratia cumulantur. Matt. 25. Euge serue bone & fidelis, quia super paucā fuisti fidelis, supra multa te constituam: intra in guadiū domini tui. Seruus nō intelligit quid velit sibi dominus, non enim conscius est secretorū ipsius, tantum quod iussus est facere, facit, nihil magni præmij sperās si fecerit, magno malo plectendus si neglexerit. Omnia nota fecit eis quæ poterāt audire, & quorum erāt capaces. Chry. Nihil aliud his verbis ostendit, quā nihil alienum à patre locutū, cum maximum amoris indicium sit, quod arcana patris cum eis communicauerit & dixerit. Ioan. 17. Verba quæ dedisti mihi, dedi eis. Mat. 13. Vobis datum est nosse mysterium regni cælorum. Mat. 11. Confiteor tibi pater domine cæli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Psal. 110. Intellectum dat paruulis.

Non uos me elegistis, sed ego elegeri uos: et posui uos ut catis, et fructum afferatis, et fructus uester maneat: ut quodcumque petieritis patrem in nomine meo, det uobis.

Nō vos me uestris officiis prouocastis ad amicitiam, ut debiti sit redamare, aut vltro venistis ad amicitia, ut humanitatis sit amantes redamare: sed ego cum essetis serui legis, & alieni ab amicitia dei, uolens & vltro se legi vos ex omnibus, nihil promeritos. Duplicē autē de fidelium electionē. Aeternā, quæ eadē est cum prædestinatione diuina, quæ ex mera liberalitate & gratia diuina est. Eph. 1. Sicut elegit nos in ipso ante mūdi constitutionem, ut essemus sancti & immaculati in cōspectu eius in charitate. Alteram temporālē, quæ est uocatio ad fidē & gratiā atque apostolatū, & huiusmodi, quæ est effectus prioris. Rom 8. Quos prædistinguit, hos & uocauit. Neutra verō ex meritis nostris. Ephesi. 2. Gratia estis saluati per fidem, & hoc non ex uobis, dei enim donum est, nō

*Plectio si-
delium
duplex.*

ex operibus, ut ne quis gloriatur. Cauendum autem ne uocati ad gratiam, excidamus per culpam, quemadmodum Iudas. Ioan. 6. Nōne duodecim uos elegi, & unus ex uobis diabolus est? Hinc. 2. Petr. 1. Quapropter fratres magis satagite, ut per bona opera certam uestram uocationem & electionem faciatis. Ad quid elegerit, subiūgit Marci tertio, Fecit ut essent duodecim cum illo, & ut mitteret eos prædicare. Quos & apostolos nominauit, Lucæ sexto, hoc est, legatos, siue missos. 2. Corin. quinto: Pro Christo legatione fungimur, tanquam deo exhortate per nos. Manet verō fructus eorum, quia non deficiet fides. Lucæ vigesimo secūdo, Ego pro te rogavi Petre, ut nō deficiat fides tua. Marthæ decimo sexto, Et portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Est alius fructus quæ ab omnibus requirit, alioqui infructuosa arbor maledicatur, Mat. 21. & excidetur. Lucæ. decimo tertio, Si infecūda maledicatur, quid proferenti spinas? Sapientiæ. 4. Fructus illorum inutiles & acerbi ad manducandum, & ad nihilum apti. Sapientiæ tertio, Bonorum laborum gloriosus est fructus. Hic permanet in æternum. Apoca. 14. Opera enim illorum sequuntur illos. Vide autem quanta dilectionis sit sublimitas, quæ amicos dei reddit intellectum instruit, actus dirigit, & perficit, orationū exauditionem perficit. Quid autem est facilius quā petere? Quid autem quod pater non possit largiri? Quid est porro quod ille causa filij non velit? Cum ergo fructū ferimus, quæcumque petierimus, dabit nobis. 1. Ioan. 3. Charissimi, si cor nostrum non reprehenderit nos, fidutiam habemus ad deum: & quicquid petierimus, accipiemus ab eo, quoniam mandata eius custodimus, & quæ placita sunt coram eo, facimus. Et hoc est mandatum eius, ut credamus in nomine filij eius Iesu Christi, & diligamus alterutrum, sicut dedit mandatum nobis.

Hæc mando uobis, ut diligatis inuicem. Si mundus uos odit scitote quia me priorem uobis odio habuit. Si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat diligeret. Qui uero de mundo non estis, sed ego elegeri uos de mundo, propterea odit uos mundus.

Galat. 5.

Ostendit nihil efficacius contra mundi odia, quam synceram & mutuam dilectionem. Vnde Apostolus Col. 3. Super omnia autem charitatem habere, quod est vinculum perfectionis, & pax Christi exultat in cordibus vestris, in quo & vocati estis in vno corpore. August. Bonus magister dilectionem sæpe commēdat, tanquā sola præcipienda sit, sine qua non possunt prodesse cætera bona, 1. Cor. 13. & quæ nõ possit haberi sine cæteris bonis, quibus homo efficitur bonus. Vnde Apostolus contra vitia carnis, fructum spiritus commendans, à capite charitatē posuit, & deinde cætera tanquam ex isto capite exorta vel religata, contexit. Fructus autē spiritus, charitas, gaudium. Quis autem bene gaudet, qui bonum non diligit vnde gaudet? Pax. Quis veram pacem, nisi ad quem diligit habet? Longanimitas. Quis in bono longanimis perseverat, nisi qui seruat diligendo? Benignitas. Quis benignus, nisi diligit cui opitulatur? Bonitas. Quis bonus, nisi efficaciter diligendo? Fides. Quis salubriter fidelis, nisi ea fide quæ per dilectionem operatur? Mansuetudo. Quis māsuetus, cui dilectio nõ moderetur? Quis continet ab eo vnde turpatur, nisi diligit vnde honestatur? Non ergo sunt dura præcepta. Quid enim dulcius quā amare mutuum? Qui sunt tam imbecilles, quos non fortes reddat amor mutuus? Quid tam triste, quod non dulce reddat mutua charitas? Quia res ardua & valde molesta est persecutionē pati, & odio haberi, cōsolatur eos dicens: Neque vos illud moueat, quod dū mecum habetis amicitia, dum inter vos mutua charitate cohæretis, cum mundo dissidium ac similitudinem habetis. Imò istuc ipsum vestros animos cōsolari debebit, quando quidem hoc argumēto cognoscetis vos esse verē meos discipulos & amicos, nimirum alienos à mundo, qui totus in maligno positus est. 1. Ioan. 5. Ne videatur indignum, vos in mundo perpeti quod ego prior vobis sum perpeffus. Odit me mundus, nõ quod merear, sed quod arguā ac prodam malefacta illius, docēs ea quæ nõ congruunt mundanis affectibus. Ioannis. 7. Me autem odit (mundus) quia ego testimonium perhibeo, quia opera eius mala sunt. Obserua mundum accipi pro vniuerso creato. Hebræo. 1. Per quem fecit & secula. Ioannis primo; Mundus per ipsum factus

Mundus
quotifarie
capiatur.

est. Pro hominibus in mundo. 2. Corinthi. 5. Deus erat in Christo, mundum recōcilians sibi. Ioan. 3. Sic deus dilexit mundū, vt filium suum vnigenitum daret, vt omnes qui credunt in illum, non pereant, sed habeant vitam æternam. Pro solis malis vel malitia malorum. Hic deum non cognouit, Ioan. 1. Lux enim venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quā lucem: erant enim eorum mala opera, Ioan. 3. De hoc loquitur hic, de quo elegit suos. Gal. 1. Qui dedit semetipsum pro peccatis nostris, vt eriperet nos de præsentī seculo nequā, secundū voluntatē dei & patris nostri. Vnde Romano. 12. Nolite conformari huic seculo, sed reformamini in nouitate sensus vestri, vt probetis quæ sit voluntas dei bona, & bene placens, & perfecta. Hinc hic subdit. Si de mundo essetis per imitationem vitæ illi conformes in culpa, diligeret utique vos, quasi ad idem corpus pertinentes. Nouit suæ factionis homines, eosque complectitur, euehit, vt similis amat similem. Eccle. 13. Omne animal diligit sibi simile, & omnis homo ad similem sibi coniungitur. & mala scabies amat commodē scalpentem. 1. Ioannis. 4. Ipsi de mundo sunt, & de mundo loquuntur, & mundus eos audit. 2. Tim. 4. Erit tempus cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coaceruabūt sibi magistros, pruriētes auribus: & à veritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur. Infelices ergo quibus hic mundus blandus est, nam hoc arguit eos non esse amicos dei. Iac. 4. Quicumque voluerit amicus esse huius mundi, inimicus dei constituitur. Quoniam non ea sectamini quæ sunt carnis, sed quæ sunt spiritus, non inhiatis bonis terrenis, sed cælestibus: ideo vos odit mundus, nõ quod odio digni sitis, sed quod impio dissimiles. Ideo cæpit vos mundus odisse, nõ ob aliud nisi quod mei estis: atque non alio nomine felices estis, nisi quod mei estis. Atque ita quum commune hoc mecum habeatis, vt odio habeamini, sit vobis magna cōsolationis loco. Ex eo enim quod nõ haberemini odio, ostēdetur quod & ipsi illorū malitiæ & iniquitati cōmunicaretis: nunc autē quia odio vos habent mali, gaudete. Marr. 5. Beati estis cum maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malū aduersum vos,

mentientes, propter me: gaudete & exaltate, quoniam merces vestra copiosa est in caelis.

2 *Mementote sermonis mei quem ego dixi vobis, non est seruus maior domino suo. Si me persecuti sunt, & vos persequentur: si sermonem meum seruauerunt, & uestrum seruabunt. Sed haec omnia facient vobis propter nomen meum, quia nesciunt eum qui misit me.*

Nolite mirari quod vestra innocentia non tuebitur vos ab odio mundi: nec mea innocentia tueri potuit, quae maior est vestra, nec meam doctrinam veriti sunt aspernari, nec meis beneficiis mitescere potuerunt, & a cceptis crudelibus reuocari. Non ergo putet se regnaturum cum Christo, qui modò non vult odia sustinere & tribulationes pro ipso. 2. Timot. 3. Omnes qui pie volunt viuere in Christo Iesu, persecutionem patientur. Gal. 4. Sed quomodo tunc is qui secundum carnem natus fuerat, persequabatur eum qui secundum spiritum, ita & nunc 1. Pet. 4. Charissimi, nolite peregrinari in feruore qui ad tentationem vobis fit, quasi noui aliquid vobis contingat: sed comunicantes Christi passionibus, gaudete. vt in reuelatione gloriae eius gaudeatis exultantes. Quia enim malorum non perpeffus est dominus: Insanum, demonium habentem, blasphemum dixerunt, Ioan. 10. Praecipitare conati sunt, Lucae. 4. lapidare voluerunt, Ioan. 8. & 10. tandem crucifixerunt. Hinc admonet Apostolus Hebrae. 12. Recognitate eum qui tale sustinuit à peccatoribus aduersus semetipsum contradictionem, vt ne fatigemini animis vestris deficientes. Sed quemadmodum meam doctrinam non tulerunt, ita nec vestram ferent: quoniam eadem docebitis quae & ego. Ezechie. 3. Domus Israel nolunt audire te, quia nolunt audire me. Lu. decimo, Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit: qui autem me spernit, spernit eum qui me misit. Sit ergo vobis consolatio quòd ipsi & vestri, & mei, & dei sunt inimici: quicquid enim horum facturi sunt in vos, odio nominis mei facient. Et in me facerent ista, si praesentem haberent. Nesciunt igitur deum, quem se scire gloriantur. & tamen haec ignorantia non excusabit eos in die vindictae. Ne-

Infideles cur nesciant, & an sint excusandi.

sciunt quidem, sed ideo nesciunt, quia noluerunt discere. Ideò noluerunt discere, quia magis dilexerunt suam gloriam quam dei, pluris fecerunt suum quæstum, quàm lucrum salutis euangelicae. Non ergo excusat haec ignorantia crassa vel magis affectata. 1. Corinthio. 14. Si quis ignorat, ignorabitur.

Si non uenisset, & locutus non fuisset eis, peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habet de peccato suo. Qui me odit, & patrem meum odit. Si opera non fecissem in eis quae nemo alius fecit, peccatum non haberent: nunc autem & uiderunt & oderunt & me, & patrem meum. Sed ut adimpleatur sermo qui in lege eorum scriptus est: quia odio habuerunt me gratis.

Num ergo iustè vos persequentur? Non. Quod itaque pater fecit in eorum salutem, hoc sibi sua pertinacia verterunt in cumulum aeternae damnationis. Etenim in hoc ueni, in hoc missus sum: vt omnibus si fieri posset, impartirem salutem aeternam. Si non iuxta prophetarum uaticinia uenisset, docuissem, haberent quod praetexerent Augustinus: Nunquid sine peccato aliquem inuenit dominus? Sed de magno quodam loquitur peccato, quo tenentur omnia, quod vnusquisque si non habet, dimittuntur ei cuncta peccata. Peccatum enim: infidelitatis magnū est. & quia Christus in lege fuit promissus, idcirco de perfidia redargui non potuerunt, nisi misso Christo. Baruc. 3. Post haec in terris uisus est, & cum hominibus conuersatus est. Heb. 1. Multifariam multisque modis olim deus loquens patribus in prophetis, nouissimè diebus istis locutus est nobis in filio. Vnde Ioannis octa. Dixi ergo, quia moriemini in peccato uestro. Si non credideritis quia ego sum, moriemini in peccato uestro. Et quia praetexebant, quod de amore ipsum persequeretur, subdit: Quis quis odit me, non potest non odisse patrem meum, è cuius autoritate loquor quae loquor, cuius uirtute facio quicquid facio. Ecce radix peccati. Nam vna essentia & vna operatio. Qui ergo Christum propter opera & doctrinam odit, & patrem odit. Ioannis. 7. Mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me. Ioannis. 14. Pater autem

In me manens, ipse facit opera. & Ioan. 8. Si deus pater ve-
ster esset, diligeretis vtique me. Ego enim ex deo processi
& veni: neque enim à me ipso veni, sed ille me misit. Qua-
re loquelam meam non cognoscitis? Si non edidisset inter
illos miracula, quæ nemo prophetarum ante me exhi-
bit (siue magnitudinem spectet aliquis, siue multitudinẽ,
eaque omnia non in terrorem illorum, sed in subsidium
afflictorum) non tenerentur hoc peccato longè grauissi-
mo. Ioannis. 7. Christus cum venerit, nunquid plura si-
gna faciet quàm hic facit? Matth. 9. Nunquam apparuit
sic in Israel. Vnde Nicodemus ait, Ioannis. 3. Nemo potest
hæc signa facere, quæ tu facis, nisi fuerit deus cum eo. No-
tante ait, in eis: quia nõ solum coram ipsis, sed & in eis,
ipsos sanando. Nam pertransiit beneficiendo, & sanan-
do omnes oppressos à diabolo, quoniam deus erat cum il-
lo. Act. 10. Nunc autem audierunt & viderunt me pre-
sentem, quem expectabant futurum iuxta Moysi (Deut.
18.) & prophetarum oracula: tantoque magis oderunt, nõ
tantum me qui locutus sum & feci, sed & patrem meum,
qui per me locutus est, per me virtutem suam exeruit.
Esa. 30. Erunt oculi tui videntes præceptorem tuum, &
aures tuæ audient verbum post tergum monentis: Hæc
est via, ambulate in ea, & non declinabitis neque ad de-
xteram, neque ad sinistram. Esaia. 35. Ecce deus nõ ster, ip-
se veniet & saluabit nos, Tunc aperientur oculi caecorum,
& aures surdorum patebunt: tunc saliet sicut ceruus clau-
dus, & aperta erit lingua mutorum. Tolerabile est si
quis prouocatus oderit aliquem: vtunque potest igno-
sci, si quis ignotum oderit: ceterum quis ignoscat illi, qui
& notum & bene merentem odio prosequatur? Nam
propter solam malitiam & nullam aliam causam natum
est hoc odium. & hinc impletum oraculum, Psalmist. 14.
Quia odio habuerunt me sine causa. Imò retribuebant ma-
la pro bonis. Hierem. decimo octauo, Nunquid redditur
pro bono malum?

Ioan. 15.

P

Cum autem uenerit paracletus, quem ego mittam
uobis à patre, spiritus ueritatis, qui à patre procedit,
ille testimonium perhibebit de me. Et uos testimonium
perhibebitis: quia ab initio mecum estis.

Ostendit spiritus sancti dono, mundi odia conculcan-
da, & vitia redarguenda, suamque gloriam per suos col-
lustrandam. Bono, inquit, animo sitis, prædicatio noui ca-
ritura est testibus, sed & spiritus cum signis & prodigiis
meis testabitur, si delisique testis erit. est enim spiritus uer-
itatis. Dionysius: Spiritus sanctus consolator. dicitur ab
operatione, quia eos quos se dignos reperit, non solum
ab omni perturbatione reddit alienos, verum etiam in-
credibile quoddam eis gaudium tribuit: sempiterna quip-
pe læticia in eorum cordibus uelatur, quorum spiritus
sanctus inhabitator est. 2. Corinth. 1. Benedictus deus &
pater domini nostri Iesu Christi, pater misericordiarum
& deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni
tribulatione nostra. Consolatur penitentes, spem uenice
ingerendo. Psalm. 93. Secundum multitudinem dolorum
meorum in corde meo, consolationes tuas lætificauerunt
animam meam. Lugentes, dulcedinem gratiæ largiendo.
Tob. 3. Post lachrymationem & fletum, exultationem in-
fundis. Matthæi. 5. Beati qui lugent, quoniam ipsi conso-
labuntur. Patientes, fortitudinem sustinentiæ addendo.
Hebræorum. 12. Nondum enim usque ad sanguinem re-
stitistis, repugnantes peccato, & oblitis estis consolat-
ionis quæ uobis tanquam filiis loquitur, dicens: Fili, noli
negligere disciplinam domini, neque fatigeris dum ab eo
argueris. Quem enim diligit dominus, castigat: flagellat
autem omnem filium quem recipit. Iob. 6. Hæc mihi sit
consolatio, ut affligens me dolore, non parcat. Non autem
consolatur, qui vanam quærunt consolationem. Lucæ se-
xto: Væ uobis diuitibus, qui habetis hic consolationem
uestram. Vnde diuus epulo. audiuit, Lucæ decimo sexto:
Fili, recordare quia recepisti bona in uita tua, & Laza-
rus similiter mala: nunc autem hic consolatur, tu uero
cruciaris. Esaia. 51. Ego ipse, ego ipse consolabor uos. Dio-
nysius: Iste consolator spiritus mittitur à filio, non ut mi-
nister, ut angeli & propheta, sed ut mitti deceat à sapien-
tia dei & uirtute, habentem eandem sapientiam, uirtu-
tem, & naturam, à patre scilicet procedentem: ut osten-
datur vnus patris & filij spiritus. Vnde dicitur etiam spi-
ritus filij Galatas. 4. Quoniam estis filij dei, misit deus spi-
ritum filij sui in corda uestra, clamantem, abba pater. Si

Qui seu
quales à
spiritu san-
cto conso-
lentur

quis autem spiritum Christi non habet, hic non est eius, Romano. 8. Beda. Spiritus sanctus, mittitur, quando dilectores nos facit dei & proximi, quæ dilectio fit in nobis à tota trinitate. Ideo enim deum diligimus, quia ipse prior dilexit nos, 1. Ioã. 4. Spiritus sanctus venit & à seipso, qui liberaliter ubi vult spirat, Ioan. 3. non tamen venit sine patre & filio eum mittentibus, quia tota trinitas per spiritum sanctum inhabitat corda nostra. Augu. Iudæi odio habuerunt me gratis, sed spiritus sanctus tale testimonium perhibebit de mea innocentia, ut in me faciat credere non videntes, quem occiderunt invidentes. Non enim malorum incredulitas reddet irritum fructum eorum qui credituri sunt. Cum enim perfunctus fuero omnibus quæ mihi mandavit pater, iamque venerit consolator ille, quem, sicut antè pollicitus sum, mittam vobis à patre proficiscentem, qui est spiritus suggestor & doctor omnis veritatis, ille declarabit omnia quæ dixerim, quæ gesserim, ex quibus liquebit & mea bonitas, & illorum obstinata cæcitas. Ille docebit nihil in me factum, quod non antè prædictum sit in libris ipsorum, quos legunt, nec intelligunt. Actu. 16. Huic omnes prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen eius, omnes qui credunt in eum. Bed. Adueniens spiritus sanctus, testimonium perhibuit de domino: quia discipulorum corda aspiras, omnia quæ de illo scienda mortalibus erant, clara luce reuelavit: & omnibus qui secundum eorum verbum credunt in dominum, quicquid rectè sapiunt, eiusdem spiritus est munere concessam. Vos quoque, inquit, qui nunc estis imbecilles, tunc confirmatores mei spiritus afflatu,ustificabimini apud omnes de me, propterea quod ordine vidistis quæ gesserim, audistis quæ dixerim, quare non paruum hoc erit testimonium, Beda: Cum data spiritus sancti gratia hoc fiduciam Apostolorum iuuit, quod ab initio fuerunt cum domino, ideoque quæ apud illum viderunt & audierunt, absque omni ambiguitate predicare valebant. Vnde Petrus alium pro Iuda ordinare volens apostolum, nunc hunc neophytum, sed probatè ex tempore curabat eligere. Actu. 1. Oportet ex his viris qui vobiscum sunt congregati in omni tempore, quo in-

trauit

trauit & exiit inter nos dominus Iesus, incipiens à baptismo Ioannis, vsque ad diem qua assumptus est à nobis, testem resurrectionis eius vobiscum fieri vnum ex istis. Hinc gentibus Christum euangelizans, confidenter ait, Act. 10. Hunc deus suscitauit tertia die, & dedit eum manifestum fieri, non omni populo, sed testibus præordinatis à deo, nobis qui manducauimus & bibimus cum illo postquam surrexit à mortuis. Act. 4. Non enim possumus quæ audiimus & vidimus, non loqui. Bed. Ex multis sancti euangelij locis inuenimus, quia discipuli ante spiritus sancti aduentum minus capaces erant ad intelligenda arcana diuinæ sublimitatis, minus fortes ad tolleranda humanæ prauitatis aduersa: sed eis adueniente spiritu, cum augmento diuinæ cognitionis, data est etiam constantia vincenda humanæ persecutionis: quia quæ spiritu docente intus cognouerunt, hæc abiectione timore pristino, fortiter loquendo, & aliis ministrabant. Ipse nanque spiritus corda eorum, & scientia veritatis illustrauit, & ad docenda que nosset, culmine veritatis erexit. Vnde & Esa. 11. spiritus fortitudinis, & scientiæ dicitur. Est enim spiritus scientiæ, quia per ipsum quæ *Spiritus* rectè agere, vel etiam cogitare debeamus, agnoscimus. *Scientiæ & fortitudinis* Est & fortitudinis, quia etiam per ipsum, ut quæ bene nouimus, viriliter operemur, accipimus: ne aduersitate aliqua à bonis quæ cœpimus, repellamur. Actuum. 4. virtute magna reddebant apostoli testimonium resurrectionis Iesu Christi domini nostri.

Hæc locutus sum vobis, ut non scandalizemini. Ioan. 16.

Absque synagogis facient vos.

Nec vllis periculis oportebit deterreri à professione veritatis euangelicæ, quam mundus quidem omnibus machinis oppugnabit: ceterum opprimere nunquam poterit quæ deo autore nititur. Non ergo fallam vos, nec in malis quæ necesse est euangelij gratia perpeti, nec in præmiis quæ manent gnauiter suo perfunctos munere: ut ne postea offendamini, quum videritis multos non credere, & vos multa aspera pati: sed cogitate quod etiam antequam fierant, prædixi Greg. lacula quæ præuidentur, minus feriunt. Qui enim sagaciter pensat, quantus sit tribulationum fructus & vtilitas, cum alacritate ipsas amplecti-

tur eò quòd purgāt à culpa, disponunt ad gratiam, à pænis æternis liberant, & gloriæ coronam præstant. Tob. 3. Hoc autem pro certo habet omnis qui colit te, quia vita eius si in probatione fuerit, coronabitur: si autem in tribulatione fuerit, liberabitur: & si in correptione fuerit, ad misericordiam tuam venire licebit. Roman. 5. Gloria-mur in sp̄e gloriæ filiorum dei: non solùm autem, sed & gloriamur in tribulationibus, scientes quòd tribulatio patientiam operatur: patientia autem probationem, probatio verò sp̄em, spes autem non confundit. Rom. 8. Non enim sunt condignæ passiones huius temporis, ad futuram gloriam: quæ reuelabitur in nobis. 1. Cor. 4. Id enim quod in præsentem est momentaneum & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternam gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia sunt: quæ autem non videntur, æterna sunt. Qui religionis arcem tenere videntur, qui legis cognitionem profitentur, vos velut impios & execrables submouebunt è synagogis suis, quod apud istos est probrosissimū. Vnde & plurimi ne extra synagogam fierant, Christum confiteri non audebant. Ioan. 12. Dilexerunt enim gloriã hominum magis quàm gloriã dei. Ioan. 9. Iam enim conspirauerant Iudæi, vt si quis confiteretur eum Christum, extra synagogam fieret. Sed salubre est, propter veritatem extra synagogam fieri malignantium: Psal. 25. Non sedi cum consilio vanitatis, & cum iniqua gerentibus non introibo. Odiui ecclesiam malignantium, & cum impiis non sedebo. Lauabo inter innocentes manus meas. Cùm autem extrema ecclesiæ sit poena, non indiscriminatim in omnes fulmẽ iaciendum. Cùm enim sit separatio à corpore ecclesiæ, ideo priuat in fluxu gratiæ à capite. Ioannis. 5. Si quis in me non menderit, mittetur foras sicut palmes, & arefcet. Sacramentis ecclesiæ, quum sit habendus vt ethnicus & publicanus, Mat. 18. Meritis ecclesiæ. Psal. 118. Particeps ego sum omnium timentium te, & custodientium mandata tua. Communione fidelium. 1. Co. 5. Tollatur è medio vestrum qui hoc opus fecit. Nescitis quia modicum fermentum totam massam corrumpit: Ingressu cælestium. Matthæi decimo octauo: Amen di-

Excommunicatio quibus hominẽ punit.

eo vobis, quæcunq; alligaueritis super terram, erunt ligata & in cælis: & quæcunq; solueritis super terram, erunt soluta & in cælis. Non ergo continendum ecclesiæ iudicium. 1. Timo. 1. Hoc præceptum commendo tibi fili Timothee, secundum præcedentes in te prophetias, vt milites in illis bonam militiam, habens fidem & bonam conscientiam. Quam quidam repellentes, circa fidem naufragauerunt, ex quibus est Hymenæus & Alexander, quos tradidi satanæ, vt discant non blasphemare & primæ Corinthio. quinto: Ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu, iam iudicauì vt præsens, eum sic operatus est, in nomine domini nostri Iesu Christi congregatis vobis & meo spiritu, cum virtute domini Iesu, tradere huiusmodi hominem satanæ in interitum carnis, vt spiritus saluus sit in die domini nostri Iesu Christi. Obserua hic tria. Primum, quia cum magna maturitate excommunicatio infligenda. Alterum, quòd ob salutem animæ promouendam, non odio, auaritia, & cæteris. Tertium, quòd in criminosos, vt sunt pertinaciter inobedientes. Matthæi decimo octauo: Si ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus. 2. Thessalonicen. tertio: Quòd si quis non obedierit verbo nostro per epistolam, hæc notate, & non commisceamini cum illo, vt confundatur. Et nolite quasi inimicum existimare, sed corripite vt fratrem. Peruersè docentem. ad Galatas primo: Sed licet nos, aut angelus de cælo euangelizet vobis, præter quàm quod euangelizauimus vobis, anathema sit. secundæ Ioannis primo: Si quis venit ad vos, & hæc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec Aue ei dixeritis. Qui enim dicit illi. Aue, communicat operibus eius malignis. Periculose viuentem, primæ Corinthiorum quinto: Scripsi vobis in epistola, ne commisceamini fornicariis, non vtique fornicariis huius mundi, aut auaris, aut rapacibus, aut idolis seruientibus: alioqui debueratis de hoc mundo exisse. Nunc autem scripsi vobis non commisceri. Si is qui frater nominatur inter vos, est fornicator, aut auarus, aut idolis seruiens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum huiusmodi nec cibum sumere:

Tria quædam circa excommunicatõe notanda.

** Sed uenit hora, ut omnis qui interficit uos, arbitretur obsequium se prestare deo. Et hæc facient uobis, quia non nouerunt patrem, neque me. Sed hæc loquutus sum uobis, ut quum uenerit hora, eorum reminiscamini, quia ego dixi uobis.*

Non solum è synagoga eiicient, sed & morte punient: utpote perniciosos, & ut inimicos dei, occident uos. Prætexent enim impietati suæ pietatis imaginem, ac ueræ pietatis doctores, impietatis reos peragent. Ita fiet ut nõ solum dura perpetiamini, uerum etiam ut impij maleficioque perpetiamini. Sed quia non habuerunt scientiam rectam nec causam iustam, ideo zelus eorum non bonus. Rô. 10. A emulationem quidem dei habent, sed non fecerunt scientiam. Vnde A&. 6. Ego quidem æstimauerã me aduersus nomen Iesu Nazareni debere multa contraria agere, quod & feci Hierosolymis. Excusabat quidẽ ignorantia à tanto, sed non à toto, quum ex miraculis, doctrina, & uitæ innocentia potuissent ueritatem, si uoluissent, ut ceteri cognoscere. Pessimi autem illi, qui ex certa malitia ipsos persequebantur. Consolatur quod propter ipsum passuri erant. Nostra, inquit, hæc iniuria est, nostrum erit & uobis certantibus opem suppeditare, & uictoribus præmia largiri, & illis obistere, deque pertinacibus pœnam sumere: ne uos quicquam de uindicta cogitatis. Rom. 12. Nõ uosmetipfos defendentes charissimij, sed date locum iræ. scriptum est enim: Mihi uindictam, & ego retribuam. Deute. 32. Mea est ultio, & ego retribuam eis in tempore. Non enim ista committent in uos, quod fures sitis, aut maledici, aut alioqui talibus digni malis: sed quia nondum ad plenum nouerunt neque me, neque patrem meum. Beda: Quia enim filius est in patre, & pater in filio, & qui uidet filium, uidet & patrem, Ioã. 14. patet quod quicumque filij credulitati obstinata mente resistunt, nec patrem nosse probantur. Ioan. 8. Si me sciretis, utique & patrem meum sciretis. 1. Ioan. 2. Omnis qui negat filium, nec patrem habet: qui confitetur filium, & patrem habet. 1. Ioan. 5. Omnis qui diligit eum qui genuit, diligit & eum qui natus est ex eo. Nec ergo uos moueat

Ignorantia quos, seu quatenus excuset.

hominum de uobis iudicium, contentos recti conscientia, quin potius beatos uos iudicate iuxta doctrinam meam, cum uos oderint homines, & cum separauerint uos, & exprobrauerint, & eiecerint nomen uestrum tanquam malum, propter filium hominis: gaudete in illa die & exultate: ecce enim merces uestra multa in cælo. Luc. 6. Eiicient uos è synagoga, sed hoc ipsum arguet, nomina uestra scripta sunt in cælo. Hæc prædixi, quod contra immunitia munirem pericula: & quum uideritis molesta illa euenire, credatis & de reliquis quæ promissi. Bed. Ego qui pro uestra uita ac salute moriturus sum, qui uos meo sanguine redempturus, qui uos in tribulationibus semper adiuturus, qui æterna uobis præmia post tribulationem daturus sum, dixi uobis. Magnum quippe certantibus leuamen, magnam consolationis gratiam præstat, quando ille certamina eadem futura prædixisse reminiscitur, qui & milites suos ne uinci possint adiuuare, & ne incassum uincant, immortalitatem post prælia repedere promittit. Hoc & se deum ostendit: cui futura contingentia nota sunt. Esa. 41. Annunciate quæ uentura sunt in futurum, & sciemus quia dii estis uos, quod fidem eorum roboraret, & hæc cum gaudio susciperent, non tanquam demanuum persecutorum, sed tanquam de manu dei: siue cuius nura ac uoluntate, nulla siue prospera, siue aduersa, contingere possunt.

Hæc autem uobis ab initio non dixi: quia nobiscum eram.

Hæc tam dura sciebam uobis euentura, sed tamen initio: cum uos mihi iungerem, his de rebus filij, non ut fallerem uos, sed quia nondum erat tæpus. * non enim cuius tempori conueniunt: & quia sufficiens refugium ad me habebatis, & omne certamen in me reuiciebatur.

Et nunc uado ad eum qui misit me, & nemo ex uobis interrogat me. Quod uadis? Sed quia hæc locutus sum uobis, tristitia impleuit cor uestrum. Sed ego ueritatem dico uobis, ex pedis uobis ut ego uadam. Si enim non ab-

*Ioan. 16.
R*

Sed uenit hora, ut omnis qui interficit uos, arbitretur obsequium se prestare deo. Et hæc facient uobis, quia non nouerunt patrem, neque me. Sed hæc loquutus sum uobis, ut quum uenerit hora, eorum reminiscamini, quia ego dixi uobis.

Non solum è synagoga eiicient, sed & morte punient: utpote perniciosos, & ut inimicos dei, occident uos. Prætexent enim impietati suæ pietatis imaginem, ac ueræ pietatis doctores, impietatis reos peragent. Ita fiet ut nõ solum dura perpetiamini, uerum etiam ut impij maleficeque perpetiamini. Sed quia non habuerunt scientiam rectam nec causam iustam, ideo zelus eorum non bonus. Ro. 10. Aemulationem quidem dei habent, sed non secundum scientiam. Vnde Act. 6. Ego quidem æstimaueram me aduersus nomen Iesu Nazareni debere multa contraria agere, quod & feci Hierosolymis. Excusabat quidè ignorantia à tanto, sed non à toto, quum ex miraculis, doctrina, & uitæ innocentia potuissent ueritatem, si uoluissent, ut cæteri cognoscere. Pessimi autem illi, qui ex certa malitia ipsos persequebantur. Consolatur quod propter ipsum passuri erant. Nostra, inquit, hæc iniuria est, nostrum erit & uobis certantibus opem suppeditare, & uictoribus præmia largiri, & illis obistere, deque pertinacibus poenam sumere: ne uos quicquam de uindicta cogiteris. Rom. 12. Nõ uosmetipsos defendentes charissimi, sed date locum iræ. scriptum est enim: Mihi uindictam, & ego retribuam. Deute. 32. Mea est ultio, & ego retribuam eis in tempore. Non enim ista committent in uos, quod fures sitis, aut maledici, aut alioqui talibus digni malis: sed quia nondum ad plenum nouerunt neque me, neque patrem meum. Beda: Quia enim filius est in patre, & pater in filio, & qui uidet filium, uidet & patrem, Ioan. 14. patet quod quicumque filij credulitati obstinata mente resistunt, nec patrem nosse probantur. Ioan. 8. Si me sciretis, utique & patrem meum sciretis. 1. Ioan. 2. Omnis qui negat filium, nec patrem habet: qui confitetur filium, & patrem habet. 1. Ioan. 5. Omnis qui diligit eum qui genuit, diligit & eum qui natus est ex eo. Nec ergo uos moueat

*Ignorantia
quos, seu
quatenus
excuset.*

hominum de uobis iudicium, contentos recti conscientia, quin potius beatos uos iudicate iuxta doctrinam meam, cum uos oderint homines, & cum separauerint uos, & exprobrauerint, & eiecerint nomen uestrum tanquam malum, propter filium hominis: gaudete in illa die & exultate: ecce enim merces uestra multa in celo. Luc. 6. Eiecient uos è synagoga, sed hoc ipsum arguet, nomina uestra scripta sunt in celo. Hæc prædixi, quod contra imminetia munirem pericula: & quum uideritis molesta illa euenire, credatis & de reliquis quæ promisi. Bed. Ego qui pro uestra uita ac salute moriturus sum, qui uos meo sanguine redempturus, qui uos in tribulationibus semper adiuturus, qui æterna uobis præmia post tribulationem daturus sum, dixi uobis. Magnum quippe certantibus leuamen, magnam consolationis gratiam præstat, quando ille certamina eadem futura prædixisse reminiscitur, qui & milites suos ne uinci possint adiuuare, & ne incassum uincant, immortalitatem post prælia repedere promittit. Hoc & se deum ostendit, cui futura contingentia nota sunt. Esa. 41. Annunciate quæ uentura sunt in futurum, & sciemus quia dii estis uos, quod fidem eorū roboraret, & hæc cum gaudio susciperent, non tanquam demanū persecutorum, sed tanquam de manu dei: siue cuius uoluntate, nulla siue prospera, siue aduersa, contingere possunt.

Hæc autem uobis ab initio non dixi: quia nobiscum eram.

Hæc tam dura sciebam uobis euentura, sed tamen initio, cum uos mihi iungerem, his de rebus filii, non ut fallerem uos, sed quia nondum erat tempus. * non enim cuius tempori conueniunt: & quia sufficiens refugium ad me habebatis, & omne certamen in me reiciebatur.

Et nunc uado ad eum qui misit me, & nemo ex uobis interrogat me. Quod uadis? Sed quia hæc locutus sum uobis, tristitia impleuit cor uestrum. Sed ego ueritatem dico uobis, expedit uobis ut ego nadam. Si enim non ab-

*Ioan. 16.
R*

tero, paraclētus non ueniet ad uos : si autem abiero, mit-
tam eum ad uos.

Quam necessaria, utilis, & efficax mundo fuerit spiri-
tus sancti gratia ad mali correctionem, & boni promotio-
nem, ostendit. Nunc, inquit, abeundum est, & cum ue-
stra potissimum causa abeam, ut subducto huius corporis
conspēctū, proficiatis ad fortiora : tamen hic sermo sic
exanimauit uos, ut memo roget aut cogiret quod uadam,
quum non oporteat uos discrucari quod abeam, sed gaude-
re potius quod abeam ad patrem, unde profectus sum ; iam
non abfuturus à uobis, sed aliter uobiscum futurus. Ad
eum qui misit me, Galatarū. 4. At ubi uenit plenitudo tē-
poris, misit deus filium suum, factum ex muliere, factum
sub lege: ut eos qui sub lege erant redimeret, ut ad optio-
nem filiorum recipere uis. Secundum enim diuinitatem
semper est cum patre. Ioannis. 8. Qui misit me, mecum
est. Ioannis. 1. Deum nemo uidit unquam: unigenitus
filius qui est in sinu patris, ipse enarrauit. Fuit autem tam
manifesta ascensionis claritas, ut nemini uestrum sit o-
pus interrogare, uidentibus cunctis quia ad caelos per-
gam. Act. 1. Uidentibus illis eleuatus est, & nubes suscepit
illum ab oculis eorum. Verba haec spem nobis ingerunt
simul & timores, spem, quia Christus ad patrem uadit,
inde missurus spiritum sanctum. Ioannis. 14. Ego rogabo
patrem, & alium paraclētum dabit uobis, ut maneat uo-
biscum in aeternum. Imò interpellaturus pro uobis. He-
braeo. 9. Introiuit in ipsum caelum, ut appareat uultui dei
pro uobis. Roman. 8. Christus Iesus qui mortuus est, imò
qui & resurrexit, qui est ad dexteram dei, qui & inter-
pellat pro uobis. Sed qui nunc noster est aduocatus. 1. Io.
2. in iudicio iustus erit iudex. Nam pater omne iudicium
dedit filio, Ioannis. 5. Timorem, quia haec nobis uia, ueli-
mus uolumus, eundem, per mortem scilicet: sed an ad pa-
trem, quis nouit? Ecclē. 9. Sunt iusti atque sapientes, & o-
pera eorum in manu dei: & tamen nescit homo, utrum
amore an odio dignus sit, sed omnia in futurum seruan-
tur incerta. O quam felix, qui in hora mortis quum ocu-
li, quos modo voluptas claudit, aperientur, dicere possit
cōfidenter: Vado ad eum qui misit me. Ob id enim crea-

ti sumus. Ecclē. 12. Reuertatur puluis in terram suam unde
erat, & spiritus redeat ad deū qui dedit illum. Sed heu
in multis offendimus omnes, Iacob. 3. Pro uerbiorum, 20.
Quis potest dicere, mundum est cor meum, purus sum a peccato?
Nihil uerò coinquinatum intrabit in eam. Apo-
ca. 21. ciuitatē scilicet Hierusalem. Ideo dicamus illud Iob
10. Dimitte me, ut plangam paululum dolorem meū, an-
tequam uadam, & non reuertar ad terram tenebrosum,
& opertam mortis caligine, terram miserie & tenebra-
rum, ubi umbra mortis & nullus ordo, sed sempiternus
horror inhabitat. Sic filius prodigus in se reuersus, ait:
Surgam, & ibo ad patrem, & dicam ei: Pater, peccauit in
caelum & corā te: iam non sum dignus uocari filius tuus,
- Luca. 15. Occurret haud dubiè pater poenitenti & reuer-
tenti. Sciebat autem dominus, quid uerba haec in cordi-
bus discipulorum agerent, quia uidelicet tristitiam ma-
gis de abscessu quo eos desereret, quam de ascēsu quo pa-
trem peteret, lætitiā generarent. Nec mirum, quum di-
xerit persecutores eorum se existimare obsequium praesta-
re deo. & maximè quod in tantis ipsorum periculis ipse
decesset. Quantum nobis de ipsius absentia dolendam, si-
ne quoniam possumus? Ioannis. 15. Sine me nihil potestis
facere. Hierem. 2. Scito & uide, quia malum & amarum
est dereliquisse te dominum, & non esse timorem eius
apud te, dicit dominus deus exercituum. Osē. nōno: Sed
uobis cum recessero ab eis. Chrysostomus: Sustine modicū,
& non contristemini quia uado: ire enim meum uobis
cōfert, & manere uobiscum, non erit uile. Nam uos
quidem semper uelletis esse mecum: sed nisi ego mo-
riar pro mūdo, & eo ad patrem dato sacrificio & propi-
ciatione pro peccatis, paraclētus non ueniet. Chrysosto-
mus: Tria sunt quæ impediunt ne quis spiritualium sit
capax. Amor carnalis. Augustinus: Si carni adhaerueritis,
capaces spiritus non eritis. Ipsi autem sensualiter domi-
num adhuc diligebat, quum affectuose, humiliter, & sua-
uiter se ad ipsos haberet, quasi spōsus ad filios. Marci se-
cundo: Non possunt filij sponsi lugere quam diu cum il-
lis est sponsus. Quanto autem quis plus affectum sequi-
tur carnis, tanto magis impeditur à spirituali receptio-
ne charismatum. 1. Corin. 2. Animalis homo non perci-

Quæ tria
obstant
spiritualibus
capientis.

pit ea quæ sunt spiritus dei. Ioan. 7. Spiritus nõdum erat datus, quia Iesus nondum erat glorificatus. Beda: Non quod in terra positus spiritum sanctum dare non possit, (quia dicit Ioan. 20. Accipite spiritum sanctum) sed quia ipso in terra posito, illi mentes ad superna erigere non valebant. Tantum enim afficiebantur ipsi, alloquuto eius alleadi, cõ filio, conuersatione, sensibili dilectione, vt non iungèrent animum ad diuinitatem ipsius. Ascendente autem illo cælum, & ipsi pariter omne desiderium suum in illo transferebant, Matth. 6. Vbi thesaurus tuus est, ibi & cor tuum erit. Secundum, Duritia cordis. Actuum. 7. Dura ceruice & incircuncisi cordibus & auribus, vos semper spiritui sancto resististis. Tertium, perturbatio mentis. Augustinus: Cõtristabatur humanus affectus: quia desiciebat carnalis aspectus. Nisi ergo submoto carnis conspectu ceperitis, inquit, esse spirituales, spiritus ille consolator, qui vos fortes reddet & inuisitos, non veniet ad vos. Quod si abiero, vosque neglecta corporali presentia, preparaueritis animos vestros sublimioribus doctibus, quas spiritus ille vobis deferet: tum veniet consolator ille à me missus ex patre, nonquam vos relicturus, nec vnquam vos destitutus, nec in vita, nec in morte. Erat siquidem diuinum secretum arcanumque consilium, vt filio dei presente, spiritus se non manifestaret: & filio dei absente, se spiritus mundo insinquaret,

Et cum venerit ille, arguet mundum de peccato, & de iustitia, & de iudicio. De peccato quidem, quia non crediderunt in me. De iustitia vero, quia ad patrem uado, & iam non uidebitis me. De iudicio autem, quia princeps huius mundi iam iudicatus est.

Cum venerit, non mutando locum, sed influendo nouum donum, efficiendo nouam effectum, & elicendo nouum actum. Menti etenim quam replet, nõ solum vim diuinæ charitatis insudat interiori, verum etiam timore carnali depulso, ad increpandum prauitatem malorum foris fiduciam præstat. Non ergo erit ociosus aut inefficax: sed mundus triplici nomine per eum conuincetur inexcusabiliter. De peccato omnium maximo quodque ce-

De peccato argui

tera peccata omnia complectitur, coarguetur: quia quum viderint consentire prophetarum oracula cum euentis, quum conspexerint tot millia hominum profiteri nomen meum, quid tum habet mundus quod prætexat obstinata malitiæ suæ & incredulitati? Cumque conspirerint prophanas gentes per simplici aquæ tincturam, ac mei nominis professionem abluï pristinæ vitæ sordibus, & innocentia donari: palam erit illos volentes ac scientes in suis manere peccatis, & peccata peccatis addere. Cyrillus: Quod Iudæis saluator discebat, nisi credideritis quia ego sum, moriemini in peccato vestro, Ioan. 8. hoc spiritus sanctus re ipsa stendet. Nam ipse dedit eis potestatem filios dei fieri, nempe iis qui credunt in nomine eius, Ioan. 1. Beda peccatum incredulitatis quasi speciale ponit, quia sicut fides origo virtutum, ita solidamentum vitiorum, in incredulitate persistere, domino terribiliter attestate, cognouimus. Ioan. 3. Qui nõ credit, iam iudicatus est. Ac contrã, Iustus ex fide uiuit, Abac. 2. De iustitia quam cõtempserunt, quia quum verbum vitæ audierint, noluerunt credere ad iustitiam. Augustinus: Iustitia creditum est, credere in Christum. Romano. 3. Arbitramur enim hominem iustificari per fidem, sine operibus legis, Chryllus: Credentes enim in Christum, vt iure iustificatos, saluabit, quem vt deum verum susceperunt, neque suam stabilliri conati sunt iustitiam, sed dei: ij verò qui se sua iustitia putarunt affectos gratiam, meritò spiritus sancto damnatur. Rom. 10. Ignorantes dei iustitiam, & suam volentes constituere, iustitia dei non sunt subiecti. Chrysostomus: Quia dei filium ad patrem ire, argumentum facit irreprehensibilis vitæ & in culpata iustitiæ, secundu illud, Mat. 3. Sic enim decet nos implere omnem iustitiam. Rom. 10. Si credideris in corde tuo, quod deus illum suscitauit à mortuis, & confitearis in ore tuo dominum Iesum, saluus eris. Corde enim creditur ad iustitiam, ore autem cõfessio fit ad salutem. Iam autem nõ diu vobiscum hoc visibili corpore versaturus sum: & tamen sentietis me viuum ac potentem, nihilque nõ præstantem eorum quæ pollicitus sum. Videbitis autem postea in maiestate & gloria. Actuum. 1. Hic Iesus qui assumptus est à vobis in cælum, sic veniet quemadmodum vi-

De iustitia:

De iudicio distis cum euntem in cælum. De iudicio discretionis quod abiecerunt, & diuinæ discussionis quod nō time- runt. Cyrillus: Magno erroris crimine mundum arguit, qui verum & natura deum omisit, & diabolum in crea- turis adorauit, qui iam condemnatus cecidit, quod pas- sus non esset, si verè deus fuisset. Ioan. 12. Nunc iudicium est mundi, nunc princeps huius mundi elicietur foras. Nōne palam fiet, principem huius mundi, qui hætenus per peccatum exercuit tyrannidem, iam suis ipsius ar- mis victum, eiectum, condemnatūque esse: vt qui mor- tem meam procurauerit, per quem peccata mundi tol- luntur, per quem confertur innocentia, per quem dona- tur libertas euāgelica, per quem datur immortalitas? Tum apparebit fuisse triumphum, quod videbaturigno- minia: fuisse victoriam, quod putabatur exitium. Merito ergo damnantur, qui damnatum illum ac victum sequi maluerunt in mortem æternā, quā me, quem deus ve- lut in regni sui consortium subuexerit, omnibus inno- cētia vitæque authorē. Sic enim deuictus & eiectus est diuisis spoliis, vt nullum vincere possit nisi volētem & permittentem. Iacob. 4. Resistite diabolo, & fugiet à vo- bis. Gregorius: Frustrā de diabolo conqueritur, qui non vult in Christū credere, quem iudicatum & foras emis- sum, & propter nostram tantum exercitationem forinse- cus impugnare permissum, non solū viri, sed & pueri & puellæ martyres vicerunt. Merito ergo arguuntur, qui terribili dei iudicio in primo angelo non terrentur, sed vel per infidelitatem sub eius remanent imperio, vel denovo ipsi per peccatum se subiiciunt. Iob. 21. Ipse est rex super omnes filios superbiæ.

3 *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo. Cū autem uenerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Non enim loquetur à se- metipso, sed quæcumque audiet loquetur, & quæ uentu- ra sunt annuntiabit vobis. Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis.*

Sunt & alia, quæ & vobis & alias necessaria sunt, quæ vobis poteram dicere, sed nō est huius temporis ea pro-

mere, nec vos adhuc capaces estis ob imbecillitatem, nec adhuc ante peractā huius meæ legationis functionē. Ea spiritui venturo referuo. Passiones enim vehementes im- pediunt vsū rationis. Anima enim sedendo & quie- scendo fit prudens. Vnde. 1. Cor. 1. Non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus, tanquam paruulis in Christo, lac vobis potum dedi, non escam. Grego- rius: Dicitur Apostolus, iusta importune, præmisit op- portunè. 2. Tim. 4. quia apud auditorum mentes ipse se sua vilitate destruit, si habere opportunitatem importu- nitas nescit. Si enim semper plueret, nūquam terra ger- minaret. Is ergo vos docebit omnem veritatem, cuius nunc capaces ad plenum non estis. Docet veritatē, con- tra vanitatem & falsitatem, nec vnā atque alteram, sed omnem, Psal. 118. Narrauerūt mihi iniqui fabulatio- nes, sed non vt lex tua. Non autem simpliciter omnem, quum futura referuatum sit vitæ. 1. Corin. 13. Ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus: quum autem ve- nerit quod perfectum est, euacuetur quod ex parte est. Hinc sanctorū doctorū veritas. 1. Ioan. 2. Vnctio eius docebit vos de omnibus. Ideo ecclesia quæ spiritu hoc re- gitur, columna dicitur & firmamētum veritatis, 1. Tim. 3. Sed obseruandum quod spiritum hunc mundus non po- test accipere, Ioan. 14. sed in animas sanctas se transfert, amicos dei & prophetas constituit, Sap. 7. Mart. 11. Cōfi- teor tibi pater domine cæli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudētibus, & reuelasti ea paruulis. Nō loquetur autē incerta: sed quemadmodum ego nihil lo- cutus sum quod non audierim apud patrem, ita ille nihil suggeret, nisi quod acceperit à patre & à me. Est enim nō solū omnipotēs, sed & omniscies. Sicut filius nō est à seipso, sed à patre, & spiritus sanctus ab utroque per modū amoris procedēs: ideo quicquid eis attribuitur respectu creaturæ, hoc dicitur ab ipso accipere, à quo habet esse. Ioā. 3. Quod vidit, & audiuit, hoc testatur. Ioan. 14. Verba quæ ego loquor vobis, à meipso non loquor. Ioā. 8. Quod vidi apud patrem meum, hoc loquor. Non autem vt di- scentem & puerum se introducit, sed quod nihil vel sciat, vel doceat quā quæ pater, sic & de spiritu san- cto. Cū autem processio sit æterna, per verba om-

nia temporum explicatur, quoniam aternitas omne tē-
pus comprehendit. Et quia nihil aliud ita desiderabile est
humanæ naturæ, vt futurorum cognitio, cōsolatur suos
& ex hoc, quo & imminētia pericula præcauere pos-
sent. Ioel. 2. Effundam spiritum meū super omnem car-
nem, & prophetabunt filij vestri & filia vestra. Annun-
ciat & vobis futura, cum gaudia nobis patriæ cælestis ad
memoriam reducit: cum nos à delectatione præsentium
abstrahens, promissi in cælis regni desiderijs inflammat.
Ille per vos illustrabit gloriam hominis mei, quem ad-
modū ego per mortem & resurrectionem meam illustra-
bo gloriam patris. In nomine enim meo omnia & fa-
ciat & loquetur, & nihil diuersum dicet. A patre profi-
ciscuntur omnia, sed nihil est illius, quod idem non sit
meum: nec quicquam est patris aut meum, quod spiritus
sancto non sit commune. Non ergo aliquid temporale
vel accidentale accipit, sed essenziale & aeternum esse:
non vt indigenus vel discens, sed vt vna eadēque existē-
te cognitione. Ipsum tamen quod ab aeterno accepit, in
tempore nunciavit apostolis & alijs. Quis autem spiri-
tus habitat in eis, per quos nomen dei blasphematur? Ro-
manorum. 2.

*Omnia quæcumque habet pater, mea sunt: propterea
dixi, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis.*

Exponit semetipsum, quod nihil diuersum à patre ac-
cepturus vel annuntiaturus sit. De meo thesauro, qui &
patris est, scientiæ & sapientiæ, Ioan. 17. Mea omnia tua
sunt, & tua mea sunt.

Ioan. 16.
5
*Modicum, & iam non uidebitis me: & iterum mo-
dicum, & uidebitis me: quia uado ad patrem. Dixerunt
ergo ex discipulis eius ad inuicem: Quid est hoc quod
dicit nobis, modicum, & non uidebitis me: & iterum mo-
dicum, & uidebitis me, & quia uado ad patrē? Dicebāt
ergo: Quid est hoc quod dicit, modicum? Nescimus quid
loquitur.*

Ostendit breuem huius vitæ tristitiam aeterna com-
pensandam lætitia. Volens enim discipulos animare, ne

omnia ob mortem suam deicerētur tristitia, sæpe illam
prædixit: & resurrectionis gloriam breui sequenturam,
ascensionisque ad patrem sublimitatem, glorificationis
ac redemptionis humanæ consummationem: quare plus
ipsis gaudendum erat, quàm tristandum. Huius duplicē
assignat rationem. Prima, absentia breuitas. Breue, in-
quit, tempus est, quod orbabimini conspectu meo, sed id lon-
gum non erit, per triduum scilicet mortis, prædicto tem-
pore passionis & sepulturæ completo: rursus modico tē-
pore ero uobiscum corporali præsentia, Act. 1. Quibus
præbuit seipsum uiuum post resurrectionem suam, per
dies quadraginta apparens eis, & loquens de regno dei.
Beda: Ideo me modico tempore à mortuis resuscitatum
uidebitis, quia non semper in terra corporaliter mansu-
rus, sed expleta dispensatione assumptæ mortalitatis, cū
resurrectionis gloria iam per humanitatem quam assump-
si, ascensus ad patrem. Ioan. 13. Sciens Iesus quia ve-
nit hora eius, vt transeat ex hoc mundo ad patrem, &
quia à deo exiuit, & ad deum vadit. Secundo, assistentiæ
potestas, quia ad patrē qui iuuare potest: nec pereō mo-
riēdo, sed transeo ad maiorem, vobis maiora largitū-
rus, vbi vobis conspicuus esse desicō. Ioan. 14. Si dilige-
retis me, gauderetis utique, quia ad patrē vado. Sed car-
nales discipuli affectu carnali inherentes ipsi, nolebant
ipso carere. Nam ob mortis mentionem tristitia imple-
ti (quæ intelligentiam obnubilat) verba hæc ad plenum
capere non valebant, antequam implerentur quæ nobis
quia impleta sunt, manifesta sunt, vt dicit Augustinus.
Videbantur etiam implicare contradictionem. Quomo-
do, inquit, uidebimus qui se subducit ad patrē? Aut
quid sibi vult hoc breue tempus, quo sui videndi copiam
nobis amittet, rursum aliud breue quo sui videndi cop-
iam nobis faciet? Confitentur imperitiam, & ideo me-
rentur intelligentiam. Audierant, Ioan. 13. Filioli, adhuc
modicum uobiscum sum. & Ioannis 14. Adhuc modicū,
& iam mundus me non videt, vos autem uidebitis me, sed
nihil dubitabant sicut modo, quia interim verba mul-
ta de eorum persecutione habuerat, quæ contristabant.

Cognouit autem Iesus, quia uolebant eum interro-

gaude, & dixi eis: De hoc quaeritis inter uos, quia dixi, modicum & non uidebitis me, & iterum modicum & uidebitis me. Amen amen dico uobis, quia plorabitis & flebitis uos: mundus autem gaudebit, uos autem contristabimini, sed tristitia uestra uertetur in gaudium.

Præuenit illorum cogitationem, ut quemadmodum solet ostenderet sibi notas esse quaslibet arcanas hominum cogitationes, quo se deum declarat. Solius enim dei est, cognoscere quid cogitet intellectus, & quid velit affectus. Hier. 17. Ego dominus, scrutans cor, & probans renes. 1. Reg. 16. Homo uidet ea quæ patent, deus autem intuetur cor. Beda: Plorabant amatores Christi, uidentes illum ligari, crucifigi, & sepeliri: mundus autem, id est mundani, (quos ob infirmas cogitationes mundum uocat) eum morte turpissima condēnasset illum, quia grauis erat ei ad uidendum (Sapient. 2) gauisus est. Ut autem mors discipulos cruciabat, & ludæos afficiebat gaudio, ita resurrectio discipulos affecit gaudio, contra ludæos turbabat. Beda: Contristabantur discipuli posito in morte domino: sed agnita eius resurrectione, tristitia uersa est in gaudium: uisa eius ascensionis potentia, iam maiori gaudio subleuati laudabant dominum. Luc. 24. Hic sermo cunctis fidelibus conuenit, qui per lachrymas pressurasque ad gaudia aeterna peruenire contendunt, qui merito in præsentibus plorant & tristes sunt, quia necdum ualent uidere quem diligunt: quia quandiu sunt in corpore à domino & sua patria & regno se peregrinari cognoscunt. 2. Cor. 5. Psal. 119. Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est, quia per labores & certamina ad coronam sibi perueniendum esse non dubitat. 1. Tim. 2. Non coronabitur nisi qui legitime certauerit. Quorum tristitia uertitur in gaudium, cum finito agone huius uitæ, perennis uitæ brauium accipiunt. Flentibus autem & contristatis fidelibus mundus gaudet, quia iure in præsentibus quaecumque gaudium habet, qui alterius uitæ uel nulla gaudia sperant, uel se ad hæc pertingere posse desperant. Luc. 6. Væ uobis qui ridetis nunc, quia flebitis. Esa. 65. Ecce serui mei comedent, & vos esurietis: ecce serui mei bibent, & vos sitietis:

ecce serui mei lætabuntur, & vos confundemini: ecce serui mei laudabunt præ exultatione cordis, & vos clamabitis præ dolore cordis, & præ dolore spiritus ululabitis. Obserua hic esse tristitiam quandam seculi, quæ est mentis deiectio de re turbabili, in deum non relata. Hæc mortem accelerat. 2. Cor. 7. Seculi tristitia mortem operatur. Prou. 17. Animus gaudens ætatem floridam facit, spiritus tristis exicat ossa. Pro. 25. Sicut tinea uestimento, & uermis ligno, ita tristitia uiri nocet cordi. Ecclesi. 30. Tristitia longè expelle à te, multos enim occidit tristitia, & nō est uilitas in illa. Est alia peccati amaritudo conscientie in quolibet opere uicioso. Augustinus: Omnis inordinatus animus sibi ipsi pœna est. Esa. 48. Nō est pax impiis, dicit dominus. Esa. 66. Vermis eorum non morietur. Isidorus: Vis nunquā esse tristis? semper bene uide: reus namque animus nunquā est securus. Sap. 17. Frequenter enim præoccupant pessima, redarguente conscientia. Cum enim sit timida nequitia, data est in omnium condemnationem: Semper enim præsumit se uia, perturbata conscientia. Prou. 15. Secura autē mens quasi iuge conuiuium. Est tertia de peccato, dolor pœnitentialis. 2. Cor. 7. Quæ secundū deum est tristitia, pœnitentiam in salutem stabilem operatur. Matt. 5. Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.

Mulier cum parit, tristitiam habet, quia uenit hora eius: Cum autem peperit puerum, iam non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum. Et uos igitur nunc quidem tristitiam habetis: iterum autem uidebo uos, & gaudebit cor uestrum, & gaudium uestrum nemo tollet à uobis.

Comparat dolorem apostolorum dolori parturientis, propter breuitatem & acerbitatem, & propter lætitiarum continuam subsequentem. Vnde non dicit quod nō erit dolor, & tribulatio ei: sed nec meminit eius, tantum erit gaudium quod succedet. Sic sancti post præsentis miserie terminum, tanto abundabunt gaudio, ut nullius miserie memoria occurrat. Apo. 21. Et absterget deus omnem lachrymam ab oculis eorum, & mors ultra nō erit, neque luctus, ne-

*Tristitia
triplex.*

quæ clamor, neque dolor erit vtrâ, quæ prima abierunt. & dixit qui sedebat in throno, ecce noua facio omnia. Nec mirum quod per tantam tristitiam ingressuri sumus in gaudium, quia & mater per mœrorem in partu, ad hoc venit vt sit mater. Cor vestrum, dicit, quia non carnale & lasciuum, sed spiritale & internum. quale est gaudium angelorum, & ideo stabile & perpetuum. Ioan. 20. Gausi sunt discipuli viso domino. Est autem gaudium istud purum, sine permixtione tristitia. Ecclē. 30. Nō est census super censum salutis corporis, & non est oblectamentum super cordis gaudium. Esa. 12. Mauriens aquas in gaudio de fontibus saluatoris. De qua Ioan. 7. Qui sitit, veniat ad me, & bibat. Est verum, Prouerbi. 14. Cor quod nouit amaritudinem animæ suæ, in gaudio eius nō miscbitur extraneus. Romano. 12. Domino seruietes, spe gaudentes. Phi. 4. Gaudete in domino semper. 2. Cor. 6. Quasi tristes, semper autem gaudentes. Est tertio plenum sine defectu. Mat. 25. Euge serue bone & fidelis, quia super pauca fuisi fidelis, supra multa te constitua: intra in gaudium domini tui. Esa. 51. Lætitia sempiterna super capita eorum, gaudium & exultationem obtinebunt, fugiet dolor & gemitus. Ego, ego ipse consolabor vos. Istud gaudium adeo perfectum, vt nec conuiciis, nec plagis tolli possit. Actū. 5. ibant gaudentes à cōspectu cōcilij, quoniam digni habitū sunt pro nomine Iesu contumeliam pati. Ostendit etiam dominus per hoc quod vtrâ non moriatur, sed perpetuo viuens, illis in corruptibilis gaudij sit author futurus. Beda: sed & vniuersa ecclesia per huius vitæ labores & angustias, ad æterna celestium tendit præmia gaudiorum. Actū. 14. Quoniam per multas tribulationes oportet nos introire in regnum cælorum. 1. Pet. 1. In quo exultabitis, modicum nunc, si oportet, contristari in variis tentationibus: vt probatio vestræ fidei multo preciosior sit auro quod per ignem probatur, inueniatur in laudem & gloriam & honorem, in reuelatione Iesu Christi, quem cum non videritis, diligitis. In quem nunc quoque non videntes creditis, credentes autem exultabitis lætitia inenarrabili & glorificata in cælis, reportantes finem fidei vestræ, salutem animarum vestrarum.

Gaudij a-
postolice pro-
prietates
quæ &
quor.

Et in illo die non interrogabitis me quicquam.

Nunc multa sunt de quibus animus vester gestit interrogare, tum adeo satis factum erit animis vestris & oculis, vt nihil amplius existimetis interrogandum tale quale prius.

Amen amen dico vobis, si quid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis. Vsq̄ modo non potestis quicquam in nomine meo. Petite, & accipietis, ut gaudium sit plenum.

Ioan. 16.
T.

Ostendit nihil defuturum iis qui totis votis diuino herent præsidio. Quid opus est, inquit, vobis aliis præfidiis? Pater vnus potest omnia, & ille meis amicis, ac meo nomine petentibus nihil negaturus est. Chry. Ostendit nominis sui virtutem, quia non vilis, non rogatus, sed nominatus apud patrem, facit vt statim exaudiantur ab eo. Quod ergo deploratis conscientijs spem petendi precandique fiduciam præstaret, iuramento contestatur nos accepturos, si quid petierimus patrem in nomine ipsius. Quod ergo deploratis conscientijs spem petendi precandique fiduciam præstaret, iuramento contestatur nos accepturos, si quid petierimus patrem in nomine ipsius. Hebr. 6. Impossibile est mentiri deum. Num. 23. Non est deus quasi homo vt mentiatur, neque vt filius hominis vt mutetur. Ioan. 14. Ego sum via, veritas, & vita. Tria potissimum insinuat obseruanda in oratione; si exaudiri volumus. Primum, quid petendum, vt sit permanens & decens. Psal. 4. Filij hominum, vsquequò graui corde? vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Pro. 1. Vsquequò paruuli diligitis infantiam, & stulti ea quæ sibi sunt noxia cupient? I deo Lucæ. 11. Quanto magis pater vester cælestis dabit spiritum bonum petentibus se? Ecce quid petendum. Nā Rom. 8. Si quis spiritum Christi non habet, hic non est eius. Secundum, à quo petendū. Iac. 1. Omne darum optimum, & omne donum perfectū desursum est, descendens à patre luminum. Gal. 4. Quoniam, estis filij dei; misit deus spiritum filij sui in corda vestra. clamantē abba pater. Sed quid ait dominus, Malac. 1. Filius honorat patrem suum, & seruus dominum suum. Si ergo pater ego sum, vbi est honor meus? & si dominus ego sum, vbi est timor meus? dicit dominus exercituum. Chrysosto. Qui orat deum, & peccat, non deum

Tria in pe-
tendo obser-
uanda, quæ.

orat, sed illud it. Sicut nullum proficit in vulnere medicamentum, si ferrum in vulnere remanet: ita nihil proficit oratio illius, cuius adhuc peccatum in mente, vel odium manet in corde. Eccl. 34. Qui baptizatur a mortuo, & iterum tangit mortuum, quid proficit lauatio illius? Sic homo qui ieiunat in peccatis suis, & iterum eadem faciens, quid proficit humiliando se? Orationem illius quis audiet? Malac. 2. Nunquid non pater vnus omnium nostrum? Nunquid non deus vnus creauit nos? Quare ergo vnusquisque vestrum despicit fratrem suum, violans pactum patrum nostrorum? Eccl. 34. Vnus edificans & vnus destruens, quid prodest illis nisi labor? Vnus orant & vnus maledicens, cuius vocem exaudiet deus? Ideo admonet dominus, Matth. 5. Si ergo offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo: & tunc veniens, offers munus tuum. Tertium, quomodo. In nomine meo ait. 1. Tim. 2. Vnus mediator dei & hominum homo Christus Iesus. Act. 4. Nec enim aliud nomen est sub caelo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri. Augu. Non petitur in nomine saluatoris, quicquid contra rationem petitur salutis. Beda: Quotiescunq; petentes non exaudimur, ideo fit, vel quia contra auxilium nostrae petimus salutis, & propterea a misericordiae patre beneficij gratia, quod inepte petimus, negatur. Sic Paulo ter rogati, responsum est. 2. Cor. 12. Sufficit tibi gratia mea. Vel vtilia quidem quae ad salutem veram respiciunt, petimus, sed ipsi male viuendo, auditum a nobis iusti iudicis auerimus, incidetes in illud, Prou. 28. Qui declinat aurem suam ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis. Vel dum pro peccatis vt respiciatur oramus, etsi salubriter petimus, atq; ex nostra parte audiri mereamur, ipsorum tamen peruersitas ne impetremus, obstitit. 1. Re. 16. Vsq; quo tu luges. Saul, cum ego peccerim eum, ne regnet super Israel: ait dominus Samueli. Hic. 11. Tu noli orare pro populo hoc, & ne assumes pro eis laudem, quia non exaudiam in tempore clamoris eorum ad me, in tempore afflictionis eorum. Verantamen fructu orationis non priuabimur: quia si illi digni non sunt saluari, nos tamen amorem quem illis impendimus, mercede donabimur. Fit etiam

aliquando, vt salutaria prorsus precibus sollicitis ac deuotis quaeramus actionibus, nec tamen statim obtineamus quae petimus, sed in futurum petitionis nostrae differatur effectus. Sic quotidie rogamus, adueniat regnum tuum, Matth. 6. idem tamen regnum non mox finita oratione, sed congruo tempore sumus accepturi. Quod pia conditoris nostri dispensatione constat accitari, vt desideria nostrae deuotionis dilatione crescant, & incremento quotidiano magis magisque prouecta, tandem perfectius capiant gaudia quae requirunt. Optimus impetrandi modus iudicatur Ionae. 3. Et crediderunt viri Niniuitae domino, & praedicauerunt ieiunium, & vestiti sunt sacco a maiore vsque ad minorem. Et peruenit verbum ad regem Niniue. Et surrexit de solio suo, & abiicit vestimentum suum a se, & indutus est sacco, & sedit in cinere, & clamauit & dixit in Niniue ex ore regis & principum eius, dicens: Homines & iumenta & boues & pecora non gustant quicquam, nec pascantur, & aquam non bibant, & operiantur sacco homines, & iumenta clament ad dominum in fortitudine, & conuertatur vir a via sua mala, & ab iniquitate quae est in manibus eorum. Quis scit, si conuertatur & ignoscat deus, & reuertatur a furore irae suae, & non peribimus? Et vidit deus opera eorum, quia conuersi sunt de via sua mala, & misertus est super malitiam quam locutus fuerat eis, & non fecit. Vbi quatuor ponuntur. Primum, fidei firmitas, quia crediderunt domino. Aeb. 11. Heccedentem ad deum oportet credere quia est, & inquirentium se remunerator sit. Mar. 11. Quaecunq; orantes petitis, credite quia accipietis, & fiet vobis. Secundum, conscientiae humilitas. Eccl. 35. Oratio humiliantis se nubes penetrabit. Hanc duobus declarabant: Corporis castigatione. Psal. 34. Humiliabam in ieiunio animam meam, & oratio mea in sinu meo conuertetur. Ornatus depositione. Sic dominus filiis Israel, quum vitulum adorassent, ait Exo. 33. Iam nunc depone ornatum tuum, vt sciam quid faciam tibi. Sic Iudith oratura dominum, induit se cilicio. Iudith. 9. Et Achab domini audiens sententiam contra se & domum suam, operuit cilicio carnem suam, ieiunauitque, & dormiuit in sacco, & ambulauit demisso capite, & factus est sermo ad Heliã Thesbiten dicens: Nonne vidi-

Quatuor
in efficaci
oratione
seu conuert
sione.

si Achab humiliatum coram me? Quia igitur humiliatus est mei causa. nō inducam malum in diebus eius, sed in diebus filij sui inferam malum domui eius. 3. Reg. 21. Tertium, penitentia veritas, quia conuersi à via sua mala. Esa. 1. Lauamini, mundi estote, auferite malum cogitationum uestrarum ab oculis meis. quiescite agere peruersè, discite benefacere, quærite iudicium, subuenite oppresso, iudicate pupillo, defendite viduam, & venite & arguite me, dicit dominus. Si fuerint peccata uestra ut coccinum, quasi nix dealbabitur. Job. 11. Si abstuleris iniquitatem quæ est in manu tua à te, & non manserit in tabernaculo tuo in iniustitia, tunc leuare poteris faciem tuam absque macula, & eris stabilis & non timebis. Quartum, clementia diuinæ immensitas. Vidit opera, non attendit solum verba quæ Israel solebat promittere. Exo. 24. Omnia quæ locutus est dominus faciemus, & erimus obediētes. Videns mutata opera, mutauit sententiam: vel potius dicam quod perseverauit in proposito suo à principio volens misereri. Non enim punire volebat, nec puniturus erat, qui cominabatur. Eversa enim fuit Ninive quæ mala erat, stantibus mœnibus & domibus, eversa est ciuitas in perditis moribus. Et quanuis non sic factum, quod illi homines timebant Iona prædicante futurum, factum est tamen quod fuerat deo præcipiente prædictum. Prou. 12. Verte impios, & non erunt. Psal. 144. Voluntatem timentium se faciet, & deprecationem eorum exaudiet, & saluos faciet illos. Necessitatem autem petendi insinuat, quia in hanc usque horam nihil à summo patre petierant, sed in omnibus necessitatibus ad ipsum recurrebant, semper inuenientes auxilium & leuamen. Lu. 22. Quando misi vos sine sacco & pera, nunquid aliquid defui vobis? At illi dixerunt: Nihil. Sic Lu. 17. Domine, adauge nobis fidem, Aug. Quia nomen meum sicut est cognoscendum, nondum agnouistis, sed cognita veritate mei nominis petetis. Psalm. 9. Sperent in te omnes qui nouerunt nomen tuum. In quo omne genu flexitur celestium, terrestrium & infernorum, Phil. 2. Chryso. Petentis negligentia reprehenditur, ubi de dantis misericordia non dubitatur. Vnde quod fiduciam impetrandi præstaret, hortatur ut petamus. Mat. 7. Omnis qui petit,

accipit: & qui querit, inuenit: & pulsanti aperiet. Hactenus, inquit, obstitit vobis præsentia corporis, quo minus perieritis aliquid ab illo dignum nomine meo. Post hac petite, sublati in celum oculis & animis, ubi scitote me præsentem fore patronum: & quicquid postulaueritis, impetrabitur, ut gaudium uestrum, quod post hunc (in quo nunc estis) mœrorem, ex reddito vobis mei conspectu, continget, fiat plenum ac perpetuum. Nō enim quod se paror à vobis, existimate vos à me derelictos, sed nomen meum maiorem vobis fiduciam dabit, & gaudium uestrum erit plenissimum, quum accipietis omnes petitiones uestras. Ioan. 15. Hæc locutus sum vobis, ut gaudium meum in vobis sit, & gaudium uestrum impleatur. Distinguit autem inter gaudium suum, & ipsorum. Est enim gaudium reporale & vanum Eccl. 2. Risum reputaui errorem, & gaudio dixi, quid frustra decipietis? Hoc in tribus queritur, 1. Ioan. 2. Omne quod est in mundo, concupiscentia est oculorum, concupiscentia carnis, & superbia vitæ. Primò in diuitiis, in quibus auari. Job. 3. Quasi effodientes thesaurum, gaudentque vehementer cum inuenerint sepulchrū. Antiqui secum thesauros accipiebant ad sepulchra. Sed auarus nunquam implebitur pecunia. Luc. 12. Diuites dimisit inanes. Secundò in deliciis, in quibus carnales. Sapient. 2. Venite, fruamur bonis quæ sunt, & vtamur creatura tanquam in iuuentute celeriter. Vino & vnguento nos impleamus, & non prætereant nos flos temporis. Coronemus nos rosis antequam marcescant, nullū pratum sit quod non pertranseat luxuria nostra. Vbi que relinquamus signa lætitiæ, quoniã hæc est pars nostra, & hæc est fors nostra. Job. 21. Infantes eorum exultant iussibus, tenent tympanum & cytarum, gaudent ad sonitum organi, ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt. Qui dixerunt deo, recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus. Quis est omnipotens vt seruiamus ei? & quid nobis prodest si orauerimus eum? Tertio in honoribus, in quibus superbi. Iac. 4. Nunc autem exultatis in superbiis uestris, omnis exultatio talis maligna est. Job. 20. Gaudium hypocritæ ad infar puncti. Hinc admonet Apostolus. 1. Cor. 7. Qui gaudent, tanquã non gaudentes sint: & qui emunt, tanquam

Gaudium triplex.

Gaudium mundi in quibus seu quot quærat.

non possidentes: & qui vtuntur hoc mundo, tanquam non vtantur. Præterit enim figura mundi huius. 1. Ioan. 2. Et mundus transiit & concupiscentia eius. Er. dominus discipulis dixit, Luc. 10. Veritamen in hoc nolite gaudere, quod spiritus vobis subiiciuntur. Gaudete autem quod nomina vestra scripta sunt in cælis. Est gaudiū spirituale & verum. Esa. 61. Gaudens gaudebo in domino, & exultabit anima mea in deo meo. Beda: Habet sancti in præsentī gaudium de spe cælestiū bonorū. Rom. 12. Spe gaudentes. Gal. 5. Fructus spiritus, gaudiū, pax, cum pro dño terrenis exercentur aduersis. Iac. 1. Omne gaudium existimate fratres, cū in varias tērationes incideris. Ro. 8. Non enim sunt condignæ passiones huius temporis ad futurā gloriam quæ reuelabitur in nobis. Cum suadente amore fraterno, discunt gaudere cum gaudētibus, & flere cum flentibus, Rom. 12. 1. Cor. 12. Si gaudet vnū meum, congraudent omnia membra. Sed non est plenum, quod dolere & fletu varitate miscetur. Prouc. 14. Risus dolore miscetur, & extrema gaudij luctus occupat. Corpus enim quod corrumpitur, aggrauat animam. Sapient. 9. Gala. 5. Caro enim concupiscit aduersus spiritū, & spiritus aduersus carnem: hæc enim sibi inuicem aduersantur. Est tertio gaudium cæleste æternum, quod plenum erit, vbi nemine flente, cum solis datur gaudere gaudētibus. Psal. 15. Notas mihi fecisti vias vitæ, adimplebis me lætitia cum vultu tuo: delectationes in dextera tua vsque in fine. O quā felix qui audire merebitur illud Mat. 25. Euge serue bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam: intra in gaudium domini tui.

2 *Hæc in prouerbis locutus sum vobis. Venit hora cum iā non in prouerbis loquar vobis, sed palam de patre meo annūciabo vobis. In illo die in nomine meo petetis. Et non dico vobis, quia ego rogabo patrem de vobis ipse enim pater amat vos, quia vos me amastis, & credidistis quia à deo exiui.*

Hæc interim obscurius & velut per ænigma loquutus sum vobis, nondum quid dicam plenè intelligentibus. Sed quom vobis datum sit nosse mysterium regni

Gaudium spirituale.

Cædium cæleste.

cælestis, Matt. 13. venit hora qua palā loquar vobis de patre. hoc accipi potest vel pro præsentī, quia clarius de patre statim dixit, vel secundum Chry. tēpore resurrectionis, quando per dies quadraginta apparens eis, loquutus est de regno dei, Act. 1. quando aperuit illis sensum vt intelligerent scripturas, Lucæ 24. & spiritum sanctum misit omnem veritatem docentem. Prius autem putabāt sic eius esse patrē deū, sicut & noster est, gratia. Sed tum hoc quoq; suggeret spiritus cælestis quid petendū sit, aut quomodo in nomine meo. Roma. 8. Nā quid oremus, sicut oportet, nescimus: sed ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Quō autem maiori fiducia perant patrem, ostendit ipsos tanquam amicos securum accessum habere ad patrem, sed per ipsum. Ephesi. 2. Quoniam per ipsum habemus accessum ambo in vno spiritu ad patrem. Non ergo excludit suum adiutorium, quū aduocatus noster sit. 1. Ioan. 2. Aduocatum habemus apud patrem Iesum Christum iustum, sed aufert timorē, præbens accessum securum, quia amici. Hinc accepta spiritus sancti gratia, preces ad patrem formabant, Hact. 4. Amat, inquit, vos pater, non operum vestrorum gratia, sed ob id quia me multum diligitis, quia creditis quod ab ipso profectus sum. Non est probatio per causam, sed per signum, quasi dicat: Ipse pater amat vos, cuius signum est, quia vos me amastis. Augu. Amat nos pater, quia amamus filium, cum à patre & filio accipiamus, vt patrem amemus & filium. Roma. 5. Charitas dei diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum, qui datus est nobis. Rom. 11. Quis prior dedit ei, & retribuetur illi? Certissimum ergo est argumentum paternæ dilectionis, intellectus illuminatio per fidem. Matt. 11. Confiteor tibi pater domine cæli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis.

Exiui à patre, & ueni in mundum: iterum relinquo mundum, & uado ad patrem. Dicunt ei discipuli eius: Ecce nunc palam loqueris, & prouerbum nullum dicis. Nunc scimus quia scis omnia, & nec opus est tibi ut quis te interroget. In hoc credimus quia à deo existi.

Bb iiii

Antequā venire in mundum, assumpto quod videtis, mortali corpore, iam eram apud patrē: sed vestra causa veni in mundū, vt vos in cælum eueherem. Bona. Exiuit, quia nō in forma qua æqualis est patri, sed in assumpta humanitate apparuit. Baruc. 3. P ost hæc in terris visus est, cum hominibus conuersatus est. Conspicū se & amicis & inimicis præbens. Nunc rursus obitis his quæ mandauerat pater, vestra gratia iuxta corporis præsentiam relinquo mūdum, & ad patrem vado. Beda: Ab aspectu mundi amatorū, quod viderat, abtulit, & se amatoribus suis æqualem patri esse credendum docuit, quia humanitatem quam induit per ascensionem ad inuisibilia perduxit. Ephe. 4. Qui descendit, ipse est & qui ascendit super omnes cælos. Dicitur autem deus in cælo esse empyreo, quia ibi excellentius operatur, & seipsum clarius manifestat, quamuis secundum se nullam habeat habitudinem & determinationē ad locum, sed in seipso inuariabiliter æternalitēque substat, tanquam ens: verē incircumscrip tum, simplicitēque & perfectiū infinitum. Esa. 66. Cælum mihi sedes est, terra scabellum pedum meorum. Hierc. 23. Nunquid cælum & terram ego implebo? Exhilarati discipuli dixerūt: Nunc absque parabolarum inuolucro palā eloqueris quid sis facturus, nec opus est vt te quicquam præterea rogemus: Nā tria dixerat quibus plurimum consolati fuerunt. Quōd pater eos amaret, & quod à deo erat, & quia ad patrē ibat. Hoc autē maximē inter alia respirare fecit, quōd erāt amici patris, & quia per hoc respondit ad id quod erat in mente eorū, ideo dicunt quōd palā loquitur. Facile enim intelligit homo, quod diligit audire. In hoc verē, inquit, credimus quod à deo profectus sis, quod cordiū ar cana penitus habes perspecta. Beda: Apertē ostendunt, quia loquēs dominus ad eos, de his maximē disputabat, quæ illos delectabat audire, & quæ interrogare volebat. Vnde meritō illum scire omnia quasi deum, & quasi dei filium à deo venisse consentitur. Apertum nāque diuinitatis indicium, cogitationum nosse secreta. 3. Regū. 8. Tu solus nosti corda omnium filiorum hominum. Hier. 11. Tu autem domine sabaoth, qui iudicas iuste, & probas corda & renes. Non autem transeunt hæc commemo-

Tria quædam consolatoris & christi sui verba.

randa sunt, sed solerter inuigilandum est, vt non verba tantum & opera, sed & ipsa cordium secreta diuinis digna reddamus aspectibus. Petamus supernam clementiā, quod est verē in nomine saluatoris petere, vt & cordis munditiam, & boni operis præstet efficaciam, & ante omnia illam sedulo recolamus horam, & citius venire optemus, in qua facie ad faciem clarē videre mereamur. 1. Ioan. 3. Charissime, nunc filij dei sumus, & nondum apparuit quid erimus: scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.

Respondit eis Iesus: Modo creditis? Ecce uenit hora & iam uenit, ut disperganini unusquisque in propria, & me solum relinquatis: & non sum solus, quia pater mecum est. Hæc locutus sum uobis, ut in me pacē habeatis. in mundo pressuram habebitis: sed confidite, ego uici mundum.

Modò creditis? Imò iam instat tempus, quo declarabitis quā ex uobis ipsis sitis imbecilles. Nō solum enim non fortiter perferetis tempestatem imminentem, sed me deserto solo in manibus satellitum, qui me rapiet ad crucis supplicium, alius aliō fugietis: ad eō metu perturbatis animis, vt non modò mihi nō sitis adhæsuri, sed ne consortio quidem mutuo uobis inuicem auxilio solatioque futuri, dum sibi quisque timebit, ne alterius indicio prodatur, aut in periculum veniat. Zach. 13. Percute pastorem, & dispergentur ouēs. Psal. 37. Elongasti à me amicum & proximum, & notos meos à miseria. Verum ego ob id peius non habeo, quia non sum solus, sed habeo patrem mecum: & ita neque per impotentiam morior, sed voluntariē. In me veram animæ tranquillitatē, & pacem internā ac spiritualem habebitis. Col. 3. Et pax Christi exultet in cordibus uestris. Phil. 4. Nihil solliciti sitis, sed in omni oratione & obsecratione cum gratiarū actione, petitiones uestræ innotescant apud deū. Et pax dei quæ exuperat omnem sensum, custodiat corda uestra, & intelligentias uestras in Christo Iesu. Mūdus magis tumultibus coarctetur in uos, quemadmodum in me nūc coarctur, sed magno sitis animo, memores quod ego

vici mundum. Ex me fumetis exemplum, à me superabitur auxilium. 2. Timo. 3. Omnes qui piè volunt viuere in Christo Iesu, persecutionem patientur. Non ergo oportet timere, sed magis contènere victum. Sicut enim Adà victo, omnis creatura condemnata est, ita vbi Christus vicit, in omnem naturam victoria transit, & virtus nostra in Christo Iesu gratiam assequuta est, calcandi supra serpentes & scorpiones, & super omnem potestatem inimici, Lucæ decimo.

Ioan. 17.
V *Hæc loquutus est Iesus: & subleuatis oculis in cælum, dixit: Pater, uenit hora, clarifica filiū tuum, ut filius tuus clarificet te, sicut dedisti ei potestatem omnis carnis: ut omne quod dedisti ei, det eis uitam æternam. Hæc est autem uita æterna: ut cognoscant te solum deum uerum, & quem misisti Iesum Christum.*

Oculos in cælum eleuare. Ostendit in omnibus tentationibus, relictis omnibus, ad deum confugiendum. Hinc attollens in cælum oculos, ipso corporis habitu docuit, quod foret animus intendendus. Psal. 122. Ad te leuauit oculos meos, qui habitas in cælis. Confert enim nonnihil ad eleuationem mentis in deum, industria actuum exteriorum, situum, applicationum, quoniã corporalia ad spiritualia ordinantur. Thre. 3. Leuemus corda nostra cum manibus ad dominum in cælis. Sic oraturus dominum Salomon, genua in terram fixit. 3. Regū. 8. Sic pectus publicanus percussit, Luc. 18. Pater naturalis & consubstantialis, à quo omnis paternitas in cælo & in terra nominatur, Ephē. 3. Sic & orationem auspicari docuit, Matthæi sexto: Pater noster qui es in cælis. Augustinus: Omnia quæ sunt in tempore, causas habent in diuina dispositione, quæ tamen causas non sunt sub tempore: quare uenit hora, nõ ut necessaria coactione pateretur, sed diuina dispositione dignaretur. Sic enim expediebat ad humani generis salutem, ut mundus per patrem cognosceret filium, ac uicissim, per filium cognosceret patrem. Clarificauit pater filium in passione, per solis obscurationem, terræ motum, uel templi & petrarum scissionem, mortuorum suscitationem. Matth.

27. Per resurrectionem. Romanorum primo: Qui prædestinatus est filius dei in uirtute, secundum spiritum sanctificationis, ex resurrectione mortuorum Iesu Christi. Spiritus sancti missionem. Ioannis decimosexto: Ille me clarificabit. Ipse enim per ora apostolorum homines ad Christum conuertit, ut eius maiestatem agnoscerent & adorarent. In de ostendit quæ sit gloria eius & patris. Credere, inquit, omnem carnem & beneficia experiri, gloria dei est. Et sane Christus: quantum ad se attinebar, omnes ad fidem adducere curabat: quod autem quidam nõ attendunt, non docentis, sed non suscipientium crimē est. Placuit enim patri, quicquid largitur hominibus, per filium largiri, per cuius mortem donat omnibus, si uelint, uitam æternam. Hoc potestatem indicat unigeniti & deitatis, dare uitam æternam hominibus. Esai. 40. Et uidebit omnis caro salutare dei, quod os domini locutus est. Psal. 63. Ad te omnis caro ueniet. Dati enim sunt ipsi electi per prædestinationem & temporalem uocationem. Romano. 8. Quos prædestinauit, hos & uocauit: quos uocauit, hos & iustificauit. Ioan. 6. Nemo uenit ad me, nisi pater qui misit me, traxerit eum. Per meritum uero Christi introitum habemus ad uitam, quam in adam amiseramus. Hebr. decimo: Habentes itaque fratres fiduciam in introitu sanctorum in sanguine Christi, quam inuitauit nobis uiam nouam per uelamen, id est, per carnem suam. Est autem cognitio per fidem, uita æterna in spe. Ioannis. 3. Qui credit in filium, habet uitam æternam. Romano. 6. Gratia dei uita æterna. Sed fruitio nostra in re, quando uidebimus faciem ad faciem. 1. Corint. 13. perfecta & consummata est felicitas. Dicit autem, te solum deum uerum, non falsum, sicut diuinitum. Psal. 95. Quoniam omnes diuinitum demonia. 1. Ioan. 5. Et scimus quoniã filius dei uenit, & dedit nobis sensum, ut cognoscamus deum uerum, & simus in uero filio eius. Hic est uerus deus & uita æterna. Est ergo uerus deus, præter quem nõ est alius deus, ita quod dictio illa exclusiua, solus, determinat deum, excludens omnem aliam deitatem: quoniã nõ est alia deitas, præter eam quæ est in patre, & eadem numero est in tribus personis, quæ sunt unus uerus deus solus, est que hoc modo unaqueque earum solus uerus deus.

1. Corinth. 8. Nam et si sunt qui dicantur dii, siue in cælo, siue in terra, siquidem sunt dii multi & domini multi, nobis tamen vnus deus pater, ex quo omnia, & nos in illo: & vnus dominus Iesus Christus, per quem omnia, & nos per ipsum.

2. Ego te clarificaui super terram: opus consummaui, quod dedisti mihi ut faciam. & nunc clarifica tu me pater apud te ipsum, claritate quam habui, priusquam mundus fieret, apud te. Manifestaui nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo. tui erant, & mihi eos dedisti, & sermonem tuum seruauerunt. Nunc cognouerunt quia omnia quæ dedisti mihi, abs te sunt: quia uerba quæ dedisti mihi, dedi eis: & ipsi acceperunt, & cognouerunt uerè quia à te exiui: & crediderunt, quia tu me misisti.

Non quæ sui gloriam meam, sed tuam, uerè dei mei ipsum ad summam ignominiam & humilitatem, ut tui nominis gloriam illustrarem apud homines, omni notitia dei disseminata, & perfecto opere quod dedisti mihi. Hoc est enim opus incarnationis unigeniti, sanctificare nostram naturam, & prosternere rectorem mundi, qui se prius deum faciebat, & inferere creaturæ notitiam dei. Vnde Ioan. 19. in cruce ait: Consummatum est. Et nunc tu mi pater, tu vicissim effice, ut mundus intelligat me totum in eam gloriam quæ habebat apud te, priusquam hic orbis cõderetur, uenturū. Collocauit humanā naturā in throno regio, & adoratur nunc ab omni creatura. Effeci ut nomen tuum innotuerit iis, quos afflatu tuo exemptos à mundo, mihi tradidisti. Tui erant quos condidisti, tui erant quos huic negotio destinatas, & eos mihi docendos & formandos tradidisti. E. I. 9. Ecce ego & pueri mei, quos dedit mihi dominus, in signum & in portentum Israel à domino exercituum qui habitat in Sion. Sermonem meum quem pharisæi spreuerūt, hi uelut abs te profectum receperunt, cui credentes, cognouerunt uerè quod abs te profectus sim, abs te missus uenerim in hunc mundū. Nunc me docente, cognoue-

runt naturaliter hæc omnia ad me pertinere tanquam ad filium, qui in rebus paternis potens est, & non aliunde acquisita. Ioan. 14. Verba quæ ego loquor uobis, à me ipso non loquor. Ioan. 7. Mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me.

Ego pro eis rogo, Non pro mundo rogo, sed pro his quos dedisti mihi: quia tui sunt. Et mea omnia tua sunt: & tu a mea sunt: & clarificatus sum in eis. Etiam nō sum in mundo, & hi in mundo sunt, & ego ad te uenio.

Nunc quoniam eos relinquo iuxta corporis conuictum vicissim illos tuæ bonitati commendo seruandos, ne deficiant, sed semper in melius proficiant. Sciunt cui debeant acceptum ferre suam salutem. Ex te pendunt. Ego igitur pro his rogo, quos è mundo subductos, tuos esse uoluisi, ut tua bonitas quod cœpit in illis, perpetuum ac propriū esse uelit. Pro mundo autem non rogo, qui malis cupiditatibus excæcatus, pertinaciter reclamatione doctrinæ meæ, sibi ipsi salutem gratis oblatam inuidens. Iacob. 4. Quicumque uoluerit amicus esse seculi huius, inimicus dei constituitur. 1. Ioan. 2. Si quis diligit mundum, non est charitas patris in eo. 2. Timo. 2. Nouit dominus qui sunt eius. Sine meritis prædestinatis præuiis, sic tamen quod prædestinationis effectum sine meritis Christi & precibus obtinere non debuerunt. Prædestinatio namque uniuersa includit quæ ad salutem prædestinati concurrunt, quare comprehendit & preces quæ pro prædestinatis funduntur. Ideo mei sunt, quia tui sunt, quod inter nos sit rerum omnium communio. Nō enim nunc accepi potestatem, sed quando tui fuerunt, & mei fuerunt. Glorificatur filius in his quæ sunt patris, tantam omnium habens potestatem, sicut & pater, quem charitatem & discipuli cognouerunt. Act. 4. Non est in aliquo alio salus. Act. decimo. Hic est qui constitutus est à deo iudex uiuorum & mortuorum. Iamque non sum in mundo, quem mox relinquo. ceterum hi mei loco manent in mundo, adhuc sparsuri per uniuersas orbis nationes quod à me didicerunt. Quicquid docuerint, quicquid fecerint, quoniam intelligitur à nobis esse profectum, ad nostri nominis gloriam referetur.

Prædestinatio qua includat.

*Pater sancte, serua eos in nomine tuo, quos dedi-
sti mihi: ut sint unum sicut & nos. Cum essem cum eis, ego
seruabam eos in nomine tuo. Quos dedisti mihi, ego
custodiu: & nemo ex eis perit, nisi filius perditionis,
ut scriptura impleatur. Nunc autem ad te uenio, & hæc
loquor in mundo: ut habeant gaudium meum impletum
in semetipsis.*

Quia verisimile erat tristari eos, utpote qui relinque-
bantur adiutore destituti, ostendit quod patri eos com-
mendet, & illum custodem eis præficiat. Pater omnis san-
ctitatis origo causalis, in deficiens, & fontanea, serua eos
in fide & charitate nominis tui, ut perseuerent in te, &
cum ceciderint non collidantur. Psalm. 36. Cum ceci-
derit, non collidetur: quia dominus supponit manum su-
am. Sint vnum per sanctæ dilectionis coagululum: nam si
charitatem inter se habuerint, inuicti erunt, & nihil eis
præualebit. Non autem simpliciter sint vnum, sed sicut
ego & tu, vnum sapientes, & vnum volentes, illa eos cõ-
cordia custodiet. 1. Cor. 1. Obsecro vos fratres per nomen
domini nostri Iesu Christi, ut id ipsum dicatis omnes, &
non sint in vobis schismata. Sicut enim inuidia contun-
ctos dissoluit, ita charitas disunctos vnit. Col. 3. Super o-
mnia autem charitatem habete, quod est vinculum per-
fectionis. Quantum ad me attinet, nullum perdidit, nullum
amisi: quod quidam à seipsis resilierint, nihil hoc ad me.
Nam nihil à me prætermisum est, quod illos ad meliorem
mentem reuocare debuerit. Dicitur filius perditionis,
quia digna fecit perditione æterna. Sic antichristus filius
perditionis dicitur, 2. Thes. 2. Licet enim Iudas cum Chri-
sto esset, non tamen ipse erat, sed perditioni natus erat,
quam ipse sibi suo pte vicio volens accersuit. Venio ad
te, per corporalem ascensionem, & hæc loquor quod ple-
num in semetipsis habeat gaudium, nunc spe de cælesti-
bus gaudentes, & postea re in cælesti gloria. Ioan. 15. Hæc
loquutus sum vobis, ut gaudium meum in vobis sit, &
gaudium vestrum impleatur. Homines inhiant rebus
terrenis & caducis, ego cælestia doceo. Doctrinam abs te
traditam, tradidi illis, quam aspernante mundo, hic pau-

ci amplexi sunt, & ob hoc mundus hos velut sui deserto-
res, & ad nos transfugas, odio prosequitur, non ob aliud
nisi quod nobis adhærent, mundo renunciantes. Non habet
mentem mundo agglutinatam, & omne studium in il-
lum inluentem. Simplex illorum erga nos fiducia me-
retur cælestem fauorem: & odium in eos mundi nostra
causa exortu, prouocat nostram erga illos beneuolentiam.

*Ego dedi eis sermonem tuum: & mundus eos odio
habuit, quia non sunt de mundo, sicut & ego non sum
de mundo. Non rogo ut tollas eos de mundo, sed ut ser-
ues eos à malo. De mundo non sunt, sicut & ego non sum
de mundo. Sanctifica eos in veritate. Sermo tuus veritas
est. Sicut tu me misisti in mundum: ita & ego misi eos in
mundum. Et pro eis ego sanctifico me ipsum, ut sint &
ipsi sanctificati in veritate. Non pro eis autem rogo tan-
tum, sed & pro ei qui per uerbum eorum credituri sunt
in me: ut omnes unum sint, sicut tu pater in me, & ego
in te, ut & ipsi in nobis unum sint: ut credat mundus quia
tu me misisti.*

Nihil commune habent cum terra, cælorum facti ci-
ues: & ita quia mundus omnis ita ut alienis vsurus est
eis, tu pater cælestis posthac ut cæli ciues adiuua. Ephe.
2. Nõ estis hospites & aduenæ, sed estis ciues sanctorum &
domestici dei. Hoc tantum rogo, ne viucentes in mundo,
mundi vitiis contaminentur: & à nobis desciscentes, re-
uoluantur in mundi factionem. Id enim sine tuo præsidio
vitare non poterunt, tot insultibus imperiti. Serua eos à
malo culpæ, nam mala pœnæ proficua sunt. Matt. quin-
to: Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam,
quoniam ipsorum est regnum cælorum. Mihi adhærent,
mei palmites sunt, mea membra sunt: ita fit, ut quemad-
modum ego alienus sum à mundo, quoniam adhæreo ti-
bi: ita & hi sint à mundo alieni, quoniam adhærent mi-
hi. Sanctifica eos per spiritum sanctificantem, & custodi
eos in rectitudine sermonis & dogmatum, & erudi eos &
doce veritatē doctrinæ, vitæ, & iustitiæ, ne iusti appare-
re tantum velint ut hypocritæ. Sermo tuus quæ ego docui

pura veritas est, non habet fucos, non habet umbrarum fumos. Psalm. 118. Principium verborum tuorum veritas. Quemadmodum ex charitate me misisti, ut hominibus æternam annunciarem salutem, ita & ego misi eos ad annunciandum regnum dei. Matth. 10. Euntes, prædicate dicentes: Quia appropinquabit regnum celorum. Huius rei gratia memetipsum victimam immolo tibi, ut & hi purgati à peccatis, puri perseverent in prædicatione veritatis evangelicæ. Non enim potest purè prædicare doctrinam meam mundo, qui mundanis fuerit affectibus obnoxius. Erigit discipulorum animos, quòd habituri sint multos discipulos per fidei dilatione. Rogavit pro Petro, ne deficeret fides eius, Luc. 22. rogat nunc ut fideles fide, & charitate conglutinati, pacem & concordiam inter se, & erga deum in divinitatem habeant fide. Ego per spiritum meum agam in illis, quemadmodum tu in me veritatem tuam exeruisti: ita fiet, ut ipsi quoque velut vnius corporis membra vni adhærentia capiti, & eodem vegetata spiritu, mutua concordia inter sese cohæreant: ut vndique sit absoluta perfectaque concordia in cælis & in terris. Obserua hic esse vnitatem naturæ, quæ coalescit, eò quòd vna substantia tribus communicatur, estque in tribus vna essentia, vna diuinitas, vna & par æqualitas. Ioan. 10. Ego & pater vnum sumus. Deiformitatis, qua participatione diuinitatis creaturis communicata, in deum transeunt ac transferuntur (seruata naturæ veritate) homines, perinde atque ignitum ferum efficacia ignis fit igniforme, estque hæc admirabilis & summa quadam vnitatis, qua tunc erimus participes, quando videbimus deum sicuti est, 1. Ioan. 3. i. Cor. 6. Qui adhæret deo, vnus spiritus est cum est. Consensionis & voluntatis, vbi est idem velle & idem nolle. Solet hæc in malis quoque inueniri. Psalm. 2. Principes conuenerunt in vnum aduersus dominum & aduersus Christum eius. Cuius exordium caro, & ea quæ ex hac oritur concupiscentia, malorum omnium radix, 1. Timo 6. Alia in bonum vergit, quæ ex virtutibus coalescit, cuius copula est amor. Psalm. 132. Ecce quàm bonum & quàm iocundum, habitare fratres in vnum. Act. 4. Multitudinis credentium erat cor vnum & anima vna. Hac oportet nos esse concordēs

concordes, si modò vniam patris hereditatem volumus possidere. Philippen. secundo: Si qua consolatio in Christo, si quod solatium charitatis, si qua societas spiritus, si qua viscera miserationis, implete gaudium meum, ut idem sapiatis, eadem charitatem habentes, vnanimis, id ipsum sentientes. Tanta autem debet esse Christiani hominis perfectio, ut videntes cognoscant fidem in Iesum sanctam & veram 1. Petr. 2. Conuersationem vestram inter gentes habentes bonam. ut in eo quod detrahant de vobis, tanquam de malefactoribus, ex bonis operibus vos considerantes, glorificent deum in die visitationis. Sic in primitiua ecclesia gratiam habebant ad omnem plebem. Actuum. 2.

Et ego claritatem quam tu dedisti mihi, dedi eis: ut sint vnum. & cognoscat mundus, quia tu me misisti: & dilexisti eos sicut & me dilexisti. Pater, quos dedisti mihi, uolo ut ubi sum ego, & illi sint mecum: ut uideant claritatem meam quam dedisti mihi, quia dilexisti me ante mundi constitutionem. Pater iuste, mundus te non cognouit: ego autem te cognoui: & hi cognouerunt quia tu me misisti. & nectum feci eis nomen tuum. Et nectum faciam, ut dilectio qua dilexisti me, in ipsis sit, & ego in ipsis.

Ego claritatem gloriæ immortalitatis dedi eis. Philip. 3. Saluatorem expectamus dominum nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ. Sic & gloriam miraculorū, Luc. 10. Similiter scientiæ claritatem. Ioannis. 15. Omnia quæcunque audiui à patre meo, nota feci vobis. Ut sint vnū per charitatem, sicut nos vnum per naturam. Ut ad perfectionem mutue vnionis, quæ in patria haberetur, perducantur, vbi est deus omnia in omnibus, Ioan. 13. In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis adinuicem. Vbi que orat mundum per fidem ipsum à patre missum cognoscere: quia cognitione maximè inflammatur dilectio fidelium ad deum, qui sic dilexit nos, ut filium suum vnigenitum daret (Ioan. 3.)

vt omnis qui credit in illum non pereat, sed habeat vitam æternam. Dilexit pater ipsum, vt filium naturalem & vnicum: A postolos, vt filios adoptiuos. Iam iamque discessurus, gloriæ ostendit magnitudinem, si perseuerent. Pater, inquit, cupio vt quemadmodum his quos ex mundo sublato tradidisti mihi, vt futuri sunt imitatores afflictionum & crucis meæ, ita sint & gloriæ confortes: vt quemadmodum spectatores fuerunt humilitatis meæ, ac resleserunt supplicij mei, ita sint & gloriæ spectatores, quam mihi his malis defuncto daturus es: vt & ipsi discant per afflictiones tendere ad æterna gaudia, per ignominiam ad æternam proficisci gloriam. Homini requies maxima, videre gloriã filij dei. Nam quia pater genuit eum, necessario gloriæ author fuit & suppediator, qui substantia author dicitur. Vbi sum, inquit, Ioan. 3. Nemo ascendi in cælum, nisi qui descendit de cælo, filius hominis qui est in cælo. Quauis modò sit cum fidelibus per gratiam, & in sacramento. Mat. 28. Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi, & ipsi cum illo per fidem, nihilominus tamen distamus aliquo modo. 2. Corinth. 5. Dū sumus in hoc corpore, peregrinamur à domino. Tunc autem videbunt facie ad faciem. 1. Corinth. 13. Pater ignosce, fons & origo vniuersæ iustitiæ. Psal. 10. Iustus dominus & iustitias dilexit. à me nihil est præteritum, quo minus innotesceres hominibus, sed mūdus magna ex parte suis vitij obcæcatus, noluit te agnoscere, qui mihi te docēti noluit credere, ideo priuabūtur præmijs & gloria. Accipit hic mundum pro reprobis & mundo deditis: qui totus in maligno positus est. Ioan. 5. Ego verò purus à mundo, te noui & cognitum prædicaui. Mat. 11. Nemo nouit filium nisi pater, neque patrem quis nouit nisi filius, & cui uoluerit filius reuelare. Nec omnino frustra fuit prædicatio mea, quia per me cognouerunt te hi quos in hoc delegeras: vt cognoscerent quòd abs te profecti sim. Notum itaq; feci, & notū faciam misso spiritus sancto, qui inducet eos in omnem veritatem. Et si didicerint quis tu, tua dilectio qua dilexisti me, in ipsis erit, & ego in eis: vt vniti capiti suo, vitam gloriæ fortiantur. Ioan. 15. Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum. 1. Ioan. 14. Qui manet in charitate, in deo manet, & deus in eo

DE PASSIONE DOMINI.

Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam deo, in odorem suauitatis, Ephe. 5. Affectuosus, & si breuibus, verbis amarissimæ passionis dominicæ insinuat & causam & modum. Erasmus enim omnes natura filij iræ, Ephe. 2. Nam in Adam omnes peccauerunt, & egent gloria dei, Ro. 3. Hinc Luc. 19. Venit filius hominis querere & saluū facere quod perierat. Tria ergo hisce in verbis idicat Apосто. circa passionē attendēda. Primum copiosus dilectionis affectus. Hiere. 31. In charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miserās. Vnde dominus, Ioan. 3. Sic deus dilexit mundū, vt filium suum vnigenitū daret, vt omnis qui credit in illū, non pereat, sed habeat vitā æternam. Verè magnum charitatis indicium. Ioan. 5. Maiorem hac dilectionē nemo habet, quā vt animā suā quis ponat pro amicis suis. Sed ipse pro inimicis mortuus est. Ro. 5. Vt quid enī quū adhuc infirmus essem, Christus secundū tēpus mortuus est? Hinc hortatur. 1. Ioan. 4. Diligamus deum, quoniam ipse prior dilexit nos. Secundū, dolorosus passionis effectus. Nā seipsum tradidit oblationem & hostia. Eia. 53. Tradidit in mortē animā suā. 1. Io. 3. In hoc cognouimus charitatē dei, quoniā ille pro nobis animā suā posuit. Mat. 20. Filius hominis nō venit ministrari, sed ministrare, & dare animā suam in redēptionē pro multis. Bonauē. Mors est priuatio vitæ, & habet comparationē ad inferētem, & ad eum qui sustinet. Et secundū hoc dupliciter potest quis aliū tradere in mortem: Aut quia facit vt alij inferat ei mortē, aut quia facit vt sustineat. Quoniā autē sustinētia mortis fuit à deo patre, & à Christo, quia deus pater voluit vt ipse sustineret mortē, & ipse volūtariē sustinuit. Esa. 53. Oblatus est quia ipse voluit. Lu. 22. Et filius quidē hominis secundū quod diffinitum est vadit. hinc est quod traditus dicitur à patre, traditus & à seipso. Rursus, quia Iudas & Iudæi procurauerūt, vt alij inferret ei mortē, hinc traditus dicitur à Iuda & Iudæis. Et quoniā laudabilis fuit sufferētia mortis illatio autē vituperabilis, hinc est quod traditio patris &

Mors quid

Dupliciter

quæ à quo tradit in mortem.

Christus

quæ variè traditus.

Christi, laudatur: Iudæ autē ac Iudæorū, vituperatur. Traditus ergo à patre, ex charitatis eminentia. 1. Ioā. 4. In hoc apparuit charitas dei in nobis, quoniam filium suum misit in mundū, vt viuamus per ipsum. Ro. 8. Qui etiā proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illū, quomodo etiā nos omnia cū illo nobis donauit? O nūquā obliuiscēda dilectio. A seipso, ex humilitatis obedientia. Phil. 2. Humiliauit semetipsum, factus obediens vsq; ad mortem, mortem autem crucis. 1. Pet. 2. Tradebat autē iudicanti se iniustē, qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignū. A Iudæis, exprobitatis & veritatis inuidencia: quia enim vitia ipsorum carpebat, exarserunt inuidia contra eum. Sap. 2. Circumueniamus iustum, quoniam inuicilis est nobis, & contrarius est operibus nostris, & impropere nobis peccata legis, & diffamat in nos peccata disciplinæ nostræ: promittit se scientiam dei habere, & filium dei se nominat. Factus est nobis in traductione cogitationum nostrarum, grauis est nobis etiam ad videndum, quoniam dissimilis est aliis vita illius, & immutatae sunt viæ eius. Tanquam nugaces aestimati sumus ab illo, & abstinet se à viis nostris tanquam ab immunditiis, & profert nouissima iustorum, & gloriatur patrem se habere deū. Videamus ergo si sermones illius veri sint, & tentemus quæ ventura sunt illi, & sciemus quæ erunt nouissima illius. Si enim est verus filius dei, suscipiet illū, & liberabit illum de manibus contrariorum. Contumelia & tormento interrogemus eum: vt sciamus reuerentiam eius, & probemus patientiam illius. Morte turpissima condemnemus eū. Erit enim respectus ex sermonibus illius. Ad amissim vsque inuidiam Iudæorum & Christi innocentia depinxit. Hinc Matt. 27. de Pilato dicitur: Sciebat enim quod per inuidiam tradidissent eum summi sacerdotes, vnde quod magis cernebant gloriam Christi emicare, eò amplius inuidia stimulat, in mortem domini conspirabāt. Vnde Lazaro esuscitato, inito consilio, diffinierunt quam primū Christū morti tradendū, Ioā. Sic videntes Iesum plausu populari laudari, dixerūt, Ioā. 12. Videtis quia nihil proficimus? ecce mundus totus post eū abiit. Iudas ipsū tradidit ex cupiditatis demētia. sic enī pecuniæ cupiditate demētat⁹ fuit, vt nō cōsideraret, quidq̄

vēderet, sed solū vt vēderet, Mat. 26. Quid vultis mihi dare, & ego vobis illum tradā? Qui audientes (Mar. 14.) Iga uisi sunt, & constituerūt ei triginta denarios, Matth. 26. O quod sunt qui multo minoris vēdunt (pro quibus sanguinē ipse fudit, hoc est, animas suas) proximos suos. Tertium, Gratosus redemptionis fructus. 2. Cor. 5. Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorū. Innotescit ergo q̄ graue & enorme sit peccatum, pro cuius expiatione mortuus est vnicus fili⁹ dei, vt dei appareat iustitia, qua maluit filium occidi, quam peccatū manere inultum: & misericordia resurgat, qua sic compassus est generi humano, vt pro ipsi⁹ salute vniuentum daret. Ro. 5. Commēdat autem charitatē suam deus in nobis: quoniam si cū adhuc peccatores essem⁹ secūdum tempus, Christus pro nobis mortuus est: multo igitur magis nunc iustificati in sanguine ipsius, salu erimus ab ira per ipsum. Heb. 13. Iesus vt sanctificaret populum per suum sanguinem, extra portam passus est. Exeamus igitur ad eū extra castra, inproperium eius portantes. Bernar. Super omnia te mihi reddit amabilem bone Iesu, calix quem bibisti, opus redemptionis nostræ, hoc amorē meum facile sibi vendicat. Quotidiana Christiani hominis lectio, esse debet recordatio passionis Christi: quia nihil ita cor humanum accendit, vt sedulo & pfundē recogitata passio & humanitas saluatoris. Potest anima deuota domini passionem contemplari quadrupliciter, in ordine ad quatuor effectus in animo meditantis consequendos. Nam in seipsa cōsiderata, maxima occurrūt: amaritudo: ideo est compunctiua ad compassionem. in causa monstratur inaudita dilectio, sic est inflammatiua ad amorem. In modo relucet perfecta virtutum exemplatio, vnde est illuminatiua ad imitationem. In fructu monstratur plena perditorum restauratio, & sic est consolatiua ad desolatorum erectionem. Ergo si durus es & quasi insensibilis ad deuotionem, in primo diligēter exercitare, & deuotaberis: si frigidus & segnīs, in secundo inflammaberis: si hebes & stolidus, in tertio illuminaberis: si tristis & desolatus, in quarto consolaberis. Hinc Paschalius papa: Semel Christus mortuus est iustus pro iniustis, & scimus & certū habemus, & spe immobili retine-

Tertium.

Passio domini quatuor modis consideratur.

mus, quia Christus resurgens ex mortuis, iam non moritur, mors illi ultra non dominabitur, Roma, sexto. tamen ne unquam obliuiscamur quod semel factum est, in memoria nostri sit omni anno quando pascha celebratur. Nunquid enim toties Christus occiditur? sed tamen annuaria recordatio, representat nobis quod olim factum est, & sic nos moueri facit, tanquam videamus dominum presentem in cruce. Bonaventura. Qui in cruce domini (iuxta dictum apostolicum, Galatas. 6.) vult gloriari, sedula debet cordis meditatione in ipsa persistere, cuius mysteria & quae circa ipsam facta sunt, si toto foret mentis intuitu perspecta, in nouum adduceret statum meditationem. Nam profundo corde & totis viscerum medullis ea perferendi, multi adsunt passus inspirati, ex quibus nouam compassionem, nouum amorem, nouas consolationes, & per consequens nouum quendam statum perciperet, in praesagium futurae gloriae. Ad hunc statum consequendum, tota mentis acies vigilantibus oculis illuc dirigenda, extraneis omissis curis, & quasi presentialiter adfit, singula quae contigerunt, affectuose, diligenter, morose, & perseveranter contemplanda. Nec nos tædere debet audire & contemplari, quae ipse dignatus est pro nobis pati.

DE ORATIONE DOMINI, & captione.

ARTICVLVS XXXI.

Aec cum dixisset Iesus, hymno dicto, egressus cum discipulis suis, ibat trans torrentem Cedron secundum consuetudinem in montem oliuarum. Secuti sunt autem eum & discipuli. Tunc dixit discipulis suis: Omnes uos scandalum patiemini in me in ista nocte. Scriptum est enim: percutiam pastorem, & dispergentur oves gregis. Postquam autem resurrexero, praecipiam uos in Galileam. Respondens autem Petrus, ait: Et si omnes scandalizati fuerint in te, ego

numquam scandalizabor. Et ait illi IESVS: Amen dico tibi, quia tu hodie in hac nocte, priusquam gallus bis uocem dederit, ter me es abnegaturus. At ille amplius loquebatur: Etiam si oportuerit me simul commori tibi, non te negabo. Similiter & omnes discipuli dixerunt.

Postquam dominus dulci sermone confortasset erexitque suorum animos, & gregem suum patri commendasset, (Ioan. 17.) hymno ex more dicto in laudem dei, (Semper enim agenda gratiae, siue prospera, siue aduersa contingant, semper laudes deo canendae sunt) vltro proficiscitur obviam iis, a quibus capiendus erat, quod se volentem pati declararet: transtorrentem per vallem Iosaphat inter Hierusalem & montem oliueti currentem, ubi plurimae cedri, unde apud hebraeos ex re nomen habuit Cedron, Chryso. Solitus erat dominus solitaria loca & a tumultibus quiescere, quando volebat aliquid secretè & sublime docere discipulos, quod ab aliis non erat fas audiri, Theophil. Post coenam nequaquam inertia, aut iocus, aut somnus occupant dominum, sed oratio & doctrina. Ascendit autem in montem oliuarum, per quem pietas Iesu designatur, qui totius gratiae fons est: ad huc ipsum sequi debemus, ut hinc oleo misericordiae ungi dignemur, & influat in nos dei gratia, qui optimus est liquor mede dis peccatorum vulneribus. Cant. 1. Oleum effusum nomen tuum. Secuti sunt eum moesto corde & tremulo corpore discipuli, unde videlicet. nam Iudas exirat ad verbum, Quod facis, fac citius (Ioan. 13.) ad condemnationem sceleris, ad acquisitionem vilissimae mercedis, ferocem armatorum cohortem congregaturus, Parat autem animos eorum ad tolerantiam imminetis periculi: non ignarus imbecilitatis illorum. Verum ne desperarent animum, consolatur eos prophetia Zachar. 13. & mox futura resurrectione: simul tempus locumque designans vicinum, ubi rursus ipsum essent conspecturi. Percutiam, inquit. Esa. 53. Propter scelus populi mei percussus est. Psal. 68. Quoniam quem tu percussisti, persecuti sunt: & super dolorem vulnerum meorum addiderunt. Sed quemadmo-

dum mors mea vos reddet dissipatos & turbatos, ita resurrectionis mea vos refocillatos colliget in vnum. Petrus itaque non satis sibi notus, fortitudine quadam humana ac temporaria, negat futurum quod ex prophetia futurum prædixit. Iesus autem penitus cupiens ex animis nostris euellere nostri fiduciam, prædixit illi casum. Petrus autem quod maioris erat temeritatis, vnum se cæteris omnibus anteponebat: quare dominus ipsum, quanquam feruētissimi esset amoris in dominum, cadere permisit, quod præsumptio humiliaretur, & plus Christi verbis, quam sibi fideret: necnon in suo casu disceret; quomodo aliis misereri deberet. At Petri temeritatem imitati sunt & reliqui apostoli, Christum & ipsi abnegaturi, si similis casus accidisset. Sic vsuenerit solet iis, qui viribus propriis putant sese posse victores vitiorum euadere, cum interim ex gratia pendeant. 1. Corinthiorum. 13. Gratia dei sum id quod sum.

Tunc venit cum illis in villam que dicitur Gethsemani, ubi erat hortus, in quem introiit ipse & discipuli eius. Et ait illis: Sedete hic, donec uadam illuc & orem. Vos autem uigilate & orate, ne intretis in tentationem. Et assumpto Petro & duobus filiis zebædei, cepit pauere, & cadere, & contristari, & moestus esse, & ait illis: Tristis est anima usque ad mortem. Sustinete hic & uigilate mecum. Crate, ne intretis in tentationem.

Nemo potest ascendere in crucem Iesu, nisi prius descendat in vallem hanc, nisi sese deiecerit, abdicatis omnibus humana superbia præsidia. Gethsemani, vallis pinguedinum dicitur: morte autem domini pinguescunt animæ nostræ atque saginatur. Psalm. 62. Sicut adipe & pinguedine repletur anima mea. In horto captus est & orauit satis faciens pro peccato primorum parentum in horto contracto, quod nos in hortum reduceret deliciarum cælestium, & quia notus erat locus traditori. utinam cor nostrum hortus sit deliciosus, in quem Iesus intrare dignetur, virtutum gratiarumque graminibus

In horto cur capiuolue- Iesus.

bus plenus, redolens quasi odor bonus. 2. Corin. 5. Christi bonus odor sumus in omni loco. Cant. 5. Veniat dilectus meus in hortum suum. Iussit autem octo in initio horti sedere, qui tamen ægrè diuellebantur à magistro quem amabant, vehementer quidem, sed tamen affectu adhuc humano. Hilarius: Iussit eos subsidere & expectare redeuntem, donec solus pro cunctis oret, quia eius oratio omnium nostrum est redemptio. quod autem subsistere possent aduersus tempestatem imminentem, monuit ut uigilarent & orarent, ne si eos tentator ociosos & oscitantes opprimeret, incautos illaquearet & superaret. Hinc ostendit quibus armis Christiano militi in afflictionibus utendum sit. relictis ergo octo, tres assumpsit, aliquantulum diuertens à latere montis, quibus singularè affectus sui dilectione ostenderat, & qui præ cæteris magna promiserant. Siquidem Petrus in mortem & in carcerem se cum domino iturum promisit, Luc. 22. Ioannes & Iacobus calicem domini se bibituros sponderrunt, Mat. 20. Erant autem in Iesu duo inter se diuersissima, diuina maiestas qua nihil sublimius, & humana imbecillitas qua nihil abiecius. Quoniam autem his tribus gustum aliquem præbuerat suæ sublimitatis (Mat. 17.) in transfiguratione, uoluit eisdem extremæ abiectionis & humilitatis esse testes, ut in eodem dicerent, & quid esset imitandum, & quid sperandum. Verum ut homo prorsus omni destitutus auxilio, cepit pauere, nec dissimulauit anxietatem animi apud amicos. Tristis, inquit, est anima mea. Psalm. 87. Repleta est malis anima mea. glof. id est, doloribus & pœnis. Usque ad mortem, hoc est, tam vehementer, ut mortem induceret, nisi diuina dispensatione ad alia referuaretur, vel extensiuè ad mortem usque duratura nec subleuanda. Considerare possumus Christum in passione bifariam: semel, ut deum omnium affectionis humana expertem. Neque enim eius natura, qui semper idem est, Psalm. 101. & apud quem nulla est transmutatio, Iaco. 1. variis agitari & duci non potest affectibus, neque tristitia, neque dolore ut homines affici. Mala. 3. Ego deus & non mutor. Altero, ut cum qui formam serui suapte sponte suscepit, & eiusmodi formam, qua nostra incommoda sentiret, quæue com-

Christum in passione bifariam considerari.

*Quæ duo
Christum
pouissime
anxerunt.*

pateretur, Phil. 2. Hierony Dominus noster vt veritatem probaret assumpti hominis, verè quidem contristatus est: sed ne passio illius in animo dominaretur, cœpit contristari. Aliud enim est contristari, aliud incipere contristari. Vnde est tristitia quædam inordinata, rationem præueniens atque impediens quæ non cadit in constantem virum. Prou. 12. Non contristabit iustum quicquid ei acciderit. Talis non fuit in Christo. Esa. 42. Non erit tristis neque turbulentus. Alia ordinata & bona, rationem sequens & vanitatem excludans. Ecclesi. 7. Cor sapientum vbi tristitia. 2. Corin. 7. Quæ secundum deum est tristitia, pœnitentiam in salutem stabilem operatur. Tristabatur ergo & timebat, prout timor & tristitia sunt naturales affectiones & passionis: vel potius propassiones appetitus sensitiui, secundum Hieronymum. verum non dominabatur illi vsquam vlla tristitia, neque à culmine virtutis deiecit, vt nos sæpe nostro malo experimur, sed rationis imperium sequebatur. Duo autem præcipuè Christum affecere, angor & tristitia: alterum in animam grassabatur, peccatum & dei offensa, quæ prope in se, ita erat. Esa. 53. Dominus posuit in eo iniquitates omnium nostrum. Ambrosi. Doles domine, & verè doles, non tua vulnera, sed nostra crimina. Alterum modò ex animo, modò ex corporis qualitate nascebatur, imò ex vtriusque vicinitate. Non enim non potuit affici tristibus obiectis, qui sensum habuit prope clarèque omnia diiudicatem. Tam enim ob oculos posita cuncta pericula, cuncta peccata, vniuersa tormenta, omnium hominù scandalum, & ingritudinè pro quibus patiebatur, præsentissime cernebat. Bernardus: O gaudium, ô lætitia, tu lætificas ciuitatem dei, tu totum obiectum beatitudinis, quid contristaris? Nonne tu es deus totius consolationis, qui cõsolaris nos in omni tribulatione nostra? (1. Cor. 1.) & quomodo tristes cõsolaris, si tristis est anima tua? Iussit vigilare secum, non quasi indigeat, sed quia sic ipse expediebat. tempus enim hoc non somnum postulabat, sed vigiliam & intentam deprecationem. Quo facto paululum progressus, ac veluti prorsus ab omni solatio hominum destitutus, planèque deploratus quod ad humanam attinebat opem, confugit ad patris auxillium,

nec apud hunc statim inuenturus mali leuamen. Horrebat natura corporis cruciatum ac mortem imminentem. quæ nihil vult nisi quod conuenit sibi. Procidit in faciem: vt humilitatem mentis, habitu corporis commendet, vt dicit Hieronymus.

*Et progressus pusillum, & ipse auulsus est ab eis quantum tactus est lapidis: & positus genibus, proci-
dit in faciem suam super terram: & orauit ut si fieri pos-
set, trāsiret ab eo hora. & dixit: Abba pater, omnia tibi
possibilia sunt. si possibile est, transfer calicem hunc à
me. Veruntamen non sicut ego uolo, sed sicut tu, fiat uo-
luntas tua. Et cum surrexisset ab oratione, & uenisset ad
discipulos suos, inuenit eos dormētes, & ait Petro: Simō,
dormis? Sic non potuisti una hora uigilare mecum? Vt
quid dormitis? surge, uigilate, & orate, ut non intretis
in tentationem. Spiritus quidem promptus est, caro autē
infirmā.*

Bona uentura: Hic parumper subsiste: & mirabilia domini dei tui mente pertracta. orat enim nunc dominus, sic & sæpius orasse legitur: sed pro nobis tunc vt aduocatus noster, nunc autem pro se orabat. Compatere & admirare profundissimam humilitatem. cum enim sit deus patri coæternus & coequalis, oblitus uidetur se esse deum, orat vt homo, stat tanquam quilibet homunculus de populo, deum orans. Considera etiam perfectissimam obedientiam. Quid enim orat? certè, vt hora mortis trāsferatur. habet hoc expedire, vt non moreretur si ei placeret, sed non exauditur secundum aliquam voluntatem quæ erat in eo, quia uult pater, vt penitus moriatur: & ei quanuis coæterno & vnico filio proprio non pepercit, sed pro nobis tradidit. Roma. 8. Dominus autem Iesus hanc obedientiam suscipit, & exequitur reuerenter. Vide tertio indicibilem ad nos charitatem tam patris quam filij, compassionem, admirationem, uenerationèque dignissimam: nam propter nos hæc mors indicitur. Chrysostomus: Dicendo quòd transeat calix iste, ostendit quod humanum est: addendo, non sicut ego, ostendit

quod perfectum est. Duplex insinatur voluntas: ratio-
nis, quæ erat subiecta diuinæ voluntati: sensualitatis,
quam ratio subiiciebat diuinæ, licet ipsa sensualitas com-
trarium appeteret, & per hoc quanquam non erat simi-
lis, erat tamen subiecta, ac per hoc non erat contraria.
Duo enim est reperire in carne nostra: ipsam naturam,
secundum quam nolumus expoliari, sed superuectiri, vt
abforbeatur quod mortale est, à vita. 2. Cor. 5. Secundò,
infirmi-
tatem aggrauantem animam. Sapien. 9. Corpus
quod corrumpitur, aggrauat animam: non quia corpus,
sed quia corruptibile: & sic cupimus dissolui & esse cum
Christo, Philip. 1. Si possibile est, inquit: nam si vis, possi-
bile est: si non vis, nõ est possibile. ergo tua voluntas fiat
ad salutem humani generis, nõ quod ego iuxta corporis
imbecillitatem. intermitit autem orationem, non tædio
affectus orandi, sed remedio aliis prouidendi. Nouerat
enim quantum suis immineret periculum. Hinc Petrum
qui præ ceteris de constantia glorificatus fuit, aggredi-
tur, d. Vbi est promissio tua, si vna non potuisti hora vi-
gilare mecum? Beda: Somnus corporis, in iudicium erat qd
in proximo grauandi erant somno infidelitatis. Vt quid
dormitis? Neque stertendum, vbi hostes nasquam non
obseruant excubias. Vnde Luca. 22. Simon, ecce satanas
expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum. 1. Pet. 5. Sobri-
estote & vigilate, quia aduersarius vester diabolus tan-
quam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret. Hinc
Luc. 18. Oportet semper orare & nunquam deficere. Isi-
dorus: Hoc est remedium eius qui vitiorum tentamen-
tis æstuat, vt quoties quolibet vitio tangitur, toties ora-
tiones fundat, quia frequens oratio vitiorum impugna-
tionem extinguit. Hieronymus: Et si spiritus vester pro-
ptus sit ad volendum, tamen caro fragilis est ad susti-
nendum. Hoc aduersus temerarios dictum est, qui quic-
quid crediderint, putant se præstare posse. Nam quantum
de ardore mentis confidimus, tantum de fragilitate car-
nis timeamus. Galat. 5. Caro concupiscit aduersus spiri-
tum, & spiritus aduersus carnem: vt non quæcunque
vultis, illa faciatis. Vnde quanquã spiritu feruerent, in y-
tranque tamen (vt aiunt) aurem dormitabant, carne su-
perati. Verùm vt illius mors non profuit ociosis, ita nec

*Dua in Ie-
su volun-
tates.*

*Duo quæ-
dã in car-
ne nostra
inueniuntur.*

precatio valere debet, nisi his qui pro se quoque stu-
dent orare.

*Iterum secundo abiit, & orauit, dicens: Pater mi,
si non potest hic calix transire, nisi bibam illum, fiat uo-
luntas tua. Et uenit iterum ad discipulos suos, & inuenit
eos dormientes erant enim oculi eorum grauati, & igno-
rabant quid responderant ei. Et relictis illis, iterum abiit
& orauit tertio eundem sermonem, dicens: Pater, si uis,
transfer calicem hunc à me. ueruntamen non mea uolun-
tas, sed tua fiat. Apparuit autem illi angelus de celo,
confortans eum. & factus in agonia, prolixius orabat.
& factus est sudor eius, sicut gutta sanguinis decurren-
tis in terram.*

Hierony. Pater mi, si non potest in me & per me sal-
uari genus humanum nisi moriar, fiat voluntas tua. Vide
quantis coarctabatur angoribus. vñdique illi angustiæ:
pater non responderet, discipuli dormiunt vehementer
grauati, mterore conduplicante somnolentiam, quare
ignorabant quid responderent. Alitè quippe promittens,
& in promissione succumbens, legitima non habet re-
sponsa, maxime si facilis est promissio, aut si leue est quod
exigitur ab amico. Promiserant mortem, Christus exi-
gebat vigiliam, & hoc propter ipsos. non enim nisi vi-
gilantibus contingit victoria. Tertio orauit, quò nos do-
ceret pertinaciter & vehementer orandum, quories im-
mineret procella tentationis. Orauit tribus vicibus, vt sua
oratione nos liberaret a malis præteritis, præsentibus, &
futuris: & sicut tribus vicibus orauit, sic & in tribus lo-
cis distinctis ab inuicè ad leuè iactum lapidis. Rabanus:
Christus orauit tribus vicibus: vt in hoc instrueret tria
petenda, de præteritis veniam, in præsentibus tutelã, de
futuris cautelã. vel de peccatis veniam, in præsentibus gra-
tiam, & in futuro gloriam. Ostendit & quemadmodum
orandum sit. Primò, Elongauit se. Cyril. Semotim orat,
vt discamus quòd animo attento & corde quieto collo-
quendum est cù deo sublimi. Matt. 6. Tu autè cù oraueris,
intra in cubiculũ tuum: & clauso super te ostio, ora pa-

*Tres oran-
di vices chri-
sti quid.*

*Quomodo
sit orandũ.*

trem tuum in abscondito. Secundo, procidit in faciem. Eccl. 35. Oratio humiliantis se, nubes penetrabit. Iudit. 9. Humiliatum & mansuetorum semper tibi placuit deprecatio. Tertio, voluntatem suam paternæ voluntati subiecit. Ambr. In agonia mortis suæ, dei filius angustiat, patrem deuotè precatus est: & tamen in oratione paternæ voluntati se conformat, ad docendum voluntatem nostram sibi subicere. Aug. Filius vnicus dicit, non quero voluntatem meam: & homines volunt facere voluntatem suam? Ille tantum se humiliat, qui est æqualis patri: & tantum se extollit, qui in imo iacet: & nisi manus ei porrigatur, non surgit? Quarto, replicauit, imò triplicauit. Hiero. Orationem geminat & triplicat, in quo constaret orare nos informat. Apparuit angelus cõsolâs eum, quo humana in ipso demonstratur natura: sed alibi legimus quòd angeli ei ministrarunt, in quo diuinitatem agnoscebant: & vt disceremus, quòd deuotè orantibus, & pro iniustitia tribulatis, angeli assistunt consolationem impèdentes. Psalm. 93. Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificauerunt animam meam. Nouerat quid vellet pater, & cupiebat ipse bibere poculum mortis pro salute mundi: sed in se transtulit affectum sui corporis, ac suis precandi formam prescribere studuit. Cæterum vt nos doceret tū cælitus nobis adfore auxilium à domino, postquam nos totos diuinæ voluntati tradiderimus, apparuit illi angelus. Agonia quæ nõn quàm morte ipsa est grauior, vehemēs erat anxiatio, quam presentialiter intuebatur. Bonauen. Dominator domine Iesu, vnde animæ tuæ tâta anxietas & anxia supplicatio? Nõne voluntarium omnino te patri sacrificium obtulisti: verum vt veram in te credentes nostræ mortalitatis naturam, formaremur ad fidem, & in tribulatione perpeffione consimili erigeremur ad spem, & maiores erga te stimulos haberemus, naturaliter carnis nostræ infirmitatē huiusmodi signis euidentibus expressisti: quib⁹ docemur quia verè dolores nostros pertuleris, & non absque sensu doloris degustaueris amaritudines passionum. Nã ruptis ab intra & apertis venulis, simul cum sudore effluxit sanguis. Aug. Angustias animæ tuæ & cordis tui, domi-

Mat. 4.

Agonia
christi quæ.

ne Iesu dulcissime, indicauit certissimè sudor ille sanguineus, qui orationis tẽpore de sanctissima carne tua guttatim effluebat. Collige anima deuota, compassiuo affectu guttas illas, & cor tuum illis cõsperge, tibi proderunt ad salutem. Hæc omnia cum intima compassione & pia meditatione pensanda, quò Christo grati, & eius exẽplo in omni aduersitate patientiam seruare, deum suppliciter inuocare, & diuinæ pietati & dispensationi nos ipsos fiducialiter & finaliter committere studeamus.

Et cum surrexisset ab oratione, & uenisset ad discipulos suos, inuenit eos dormientes pro tristitia, & ait illis: Dormite iam & requiescite. Sufficit: Ecce appropinq. abit hora, & filius hominis tradetur in manus peccatorum. Sciebat autem & Iudas qui trahebat eum, locum: quia frequenter Iesus conuenerat illuc cum discipulis suis. Iudas ergo cum accepisset cohortem, & a pontificibus & phariseis ministros, uenit illuc. Dederat autem traditor eis signum, dicens: Quemcunque osculatus fuero ipse est, tenete eum. & ducite cautè. Et ait Iesus: Surgite, eamus. Ecce qui me tradet, propè est. Adhuc eo loquente, ecce Iudas Iscariotes unus ex duodecim uenit, & cum eo turba multa cum gladiis & fustibus, & lignis, & laternis, & facibus, & armis, missi à principibus sacerdotum, & scribis, & senioribus populi. Iesus autem sciens omnia quæ uentura erant super ipsum, processit obuiam, & dixit eis: Quem queritis? Responderunt ei: Iesum Nazarenum. Dixit ergo eis Iesus: Ego sum. Stabat autem & Iudas qui trahebat eum, cum ipsis. Vt ergo dixit eis Iesus, ego sum, abierunt retrorsum, & ceciderunt in terram. Iterum ergo interrogauit eos: Quem queritis? Illi autem dixerunt: Iesum Nazarenum. At ille ait: Dixi uobis quia ego sum. si ergo me queritis, finite hos abire. Vt sermo Ie-

su implicretur, quem dixit, (Ioan. 17.) Quia quos dedisti mihi, non perdidisti ex eis quenquam.

Bonus pastor inuigilat super gregem suum, quæ in finem usque dilexerat. Erant enim vehementer contristati, auditis verbis & signis visis tristitiæ in Iesu. Psal. 118. Dormitauit anima mea præ tædio, confirma me in verbis tuis. Secundum Orig. Chry. & Hic. compassus imbecillitati ipsorum, iussit aliquanto dormire. Alij ironiam volunt. Post intulit, satis dormitatum est. Ipsa res vos volentes nolentes excitabit. Orige. Sed & nunc Iesus in manus peccatorum traditur, quum hi qui videtur in Iesum credere, habent eum in manibus suis, cum sint peccatores. Sed & quodcumque iustus habens in se Iesum, in potestate factus fuerit peccatorum. Iesus traditus est in manus peccatorum. Consueuerat pius pastor suos ad ipsum locum abducere, ut à turbis segregati, facilius caelestia perciperent: quando aptum hunc locum proditor excogitauit, Glo. In horto capi voluit dominus, ut pro peccato in horto deliciarum commissio satisficeret. Iudas autem ducens Iesum ducem sequens, nunc factus sceleratæ turmæ dux sceleratior fustibus armatæ, aduersus Iesum inermem venit illoc. Nec deerat autoritas, quia à summis pontificibus & pharisæis ministros: nec enim satis sibi fidebat Iudas ad prodendum dominum: hinc adhibet armatam manum cum autoritate vtriusque ordinis, prophani & sacri. Atque hæc aguntur noctu, captatæque loci & temporis opportunitate. Denissimæ tenebræ sint oportet, ubi vincitur & capitur Iesus. Denique ne vel in persona errarent, dedit signum osculi, quod olim signum honoris & officij gratia fieri consuevit à saluantibus. Cauerat enim Iudæi & sacerdotes, ne pecunia numerareretur, nisi Iesus esset in manibus. Symbolo amicitiae dominum tradidit, qui tot erat beneficiis affectus. O quot habet imitatores, qui loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum, Psal. 27. O quantum amaricauit cor Iesu tanta vigilanti filiorum tenebrarum ad perficiendum homicidium, ac tanta desidia in filiis lucis, ut voluntariè se pari ostenderet, suos erigit ut surgat, quum proditor in ianuis esset. Muierat se Iudas armis & lumine, quia nox erat, Ioan. 13.

*In horto
cur voluerit
capi Iesum.*

Nox

Nox in hoc captata est, ne quis tumultus oriretur in populo: & armata manus adhibita est, ne Iesu comites vis obfisterent quo minus caperetur. Deinde cepit ex intervallo præcedere turbam, quasi aliunde veniens, & alius agens, sic ramentum, ut illis esset in conspectu. Iesus ergo, cui omnia nuda sunt & aperta, quod voluntariam ostenderet passionem, simulque diuinam virtutem, qua sic cohibebantur, ut impiam voluntatem non nisi permitti perficerent. Ansel. Quam promptus bone Iesu spiritus tuus ad passionem fuerit, euidenter ostendisti, quando venientibus unam cum proditore viris sanguinum, & quærentibus animam tuam cum laternis, facibus, & armis, per noctem ultra occurristi. O summa charitas, quæ foras mittis timorem, & mortis excludis horrorem. O bone Iesu, quid facis amicis quærentibus te in veritate, qui inimicis ad mortem te quærentibus sponte occurris? Chryl. In medio eorum consistens, oculos eorum excæcavit ne eum agnoscerent. Augu. Nominatur autem & Iudas, ut si mirum non esset eum ab aliis non agnosci, mirum tamen appareat quod Iudas familiaris discipulus cum non agnouit. Et quare non comprehenderunt secum loquentem, sed ceciderunt retrorsum quasi exanimis, non ferentes dominicæ vocis vim: nisi quia adhuc noluit qui potuit? Vbi nunc militum cohors? vbi terror & munimen armorum? vna vox turbam odiis ferocem, armis terribilem, absque villo telo percussit & prostravit. Deus enim latebat in carne. Væ qui terribilem illam expectant vocem, ite maledicti in ignem æternum, Mat. 25. Hierony. Omnia hæc diuina dispensatione facta sunt, ut ostenderetur virtus latentis diuinitatis in eo, & inexcusabiles essent, qui tot visis signis non credidissent, nec ad penitentiam moti. Merito retrorsum ceciderunt, qui stabant contra Christum. Septies autem cadit iustus in die, & resurgit, Prouer. 24. Nam in faciem cadens, vidit quod cecidit. Vbi autem recepissent quos animos, ac rursus pararent adoriri Iesum, intrepida voce dominus respondit: iam dixi quia ego sum. In me unum facio vobis potestatem. Augu. Audierant hoc prius, sed non apprehenderant: quia ipse noluit qui potuit, & potest quicquid vult. Porro quemadmodum sui capiendi fecit potestatem.

Dd

tem, ita non idem ius permittit in discipulos: interim boni pastoris imaginem præbens, qui sui gregis incolumitatem suæ vitæ dispendio redemit. Aug. iubet inimicos, & hoc faciunt quod iubet: sinunt abire, quos non vult perire. Solus perditionis filius perit, idque suo malo: quia noluit agnoscere vocem ad pœnitentiam vocantis. Sciebat dominus non futurum ut ille respiceret, sed tamen nihil non facit quò corrigetur: nos erudiens, ut erga peccatores summa lenitate utamur, propterea quòd ignoremus an aliquando sint ad meliorem mentem redituri. Si respiciunt, lucrificimus proximorum salutem: si non respiciunt, non carebit nostra mansuetudo suo præmio. Solus pius dominus pro omnibus satisfacere, sicut potuit, ita & voluit. Esa. 63. Torcular calcavi solus, & de gentibus non est vir mecum.

Iudas uerò antecedebat eos, & appropinquauit Iesu ut oscularetur eum. Iesus autem dixit illi: Amice, ad quid uenisti? Et confestim accessit ad Iesum, & ait: Aue rabbi. Et osculatus est eum. Dixit illi Iesus: Iuda, osculo filium hominis tradis? Videntes autem hi qui cum ipso erant, quod futurum erat, dixerunt ei: Domine, si percutimus in gladio? Et ecce unus ex his qui erant cum Iesu, Simon Petrus, habens gladium, eduxit eum: Extendensque manum suam, & percutiens seruum principis sacerdotum, amputauit auriculam eius dextram. erat autem seruo nomen Malchus. Respondens autem Iesus, ait: Sinite usque huc. Dixit ergo Iesus Petro: Conuertere gladium tuum, & mitte in uaginam, in locum suum. Omnis enim qui acceperit gladium, gladio peribit. Callicem quem dedit mihi pater, non uis ut bibam illum? An putas quia non possum rogare patrem meum, & exhibebit mihi modo plus quam duodecim legiones angelorum? Quomodo ergo implebuntur scripturae, quia oportet sic fieri? Et cum tetigisset auriculam eius, sinauit eum. In illa hora ait Iesus ad eos qui uenerant ad

se, principes sacerdotum & magistratus templi, & seniores: Tanquam ad latronem existis cum gladiis & fustibus comprehendere me, quum quotidie fuerim apud uos in templo sedens & docens, & non me tenuistis, nec misistis manus in me? Sed hæc est hora uestra & potestas tenebrarum. Hoc autem totum factum est, ut implerentur scripturae prophetarum. Tunc accesserunt, & manus iniecerunt in Iesum, & tenuerunt eum. Tunc discipuli eius omnes, relicto eo, fugerunt. Adolescens autem quidam sequebatur eum, amictus sindone super nudo: & tenuerunt eum. At ille relicta sindone, nudus profugit ab eis.

Volens impius proditor perficere quod Iudæis promiserat, appropinquauit Iesu corpore, nõ mente. Longè enim à peccatoribus salus, Psalm. 118. Cyril. Iudas immemor sapientiæ Christi, putauit se latere posse quòd fraude hæc ageret. Iesus autem quò perfectum ubiq; mansuetudinis exemplar præberet suis, nec impium discipulum ab osculo prohibuit, nec exprobrauit illi suam uasaniam: sed blando dicto tetigit illius conscientiam, d. Amice, ad quid uenisti? cui tot amicitia: inditia præstiti. cur amicum fingis cum inimicus sis? Dominus ergo pro sua benignitate, nec proditoris recusatit osculum: ne eum fugere uideretur, & plus afficeret eum, quum amoris signum non negaret, sed rursus illius pupugit cõscientiam. Intelligebat Iudas se non latere, nouerat innocentiam domini, toties inaudita mansuetudine prouocabatur ad mutanda cõsilia: uel lapis emolliri potuerat, nisi totum illius pectus satanas auaritiæ morbo occupasset. Bern. O cor omni felle amarior, omni lapide durius, ò Iuda mercator pessime, quomodo ausus fuisti labia illa melliflua tangere? Chry. Non dicit magistrum tuum, dominum tuum, sed filium hominis, mansuetum & mitem: qui & si non esset magister & dominus, quia tamen tam suauiter erga te gessit, non esset à te tradendus: unde & nomen proprium posuit, quod magis dolentis erat & reuocantis, quam pro uocati ad iram. Discipuli, uisa turbæ deiectione, & quòd

quam à terra surrexisset, stare tremula & perturbata, sumpserunt audaciã, quod Christi virtute refrenata, non posset resistere. Cõspicientes ergo vim parari domino, amore suppediente audaciã, voluerunt magistrũ defendere. Porro Petrus qui ceteris feruentius amabat, quiq; præ ceteris fortia pollicitus fuerat, non expectato domini responso, ei qui primus tantabat manum mittere in Iesum (Videlicet domini sui scuitiã referens) domino moderante iẽum, abscedit auriculã. Dominus volens ostendere tempus nunc esse patiendi, non vlciscendi, ait: Permite vsque huc progredi, intermitte defensionem. Hinc vt omnem vlciscendi affectum penitus ex animis omnium discipulorum euelleret, vim quidem militum diuina virtute cohibuit à Petro: sed interim ipsum ad reliquum pugnae flagrantem acriter obiurgat. Sic & alibi obiurgauit, dum potestatem peterent sibi fieri, vt ignis descenderet de caelo, & consumeret non recipientes ipsos. Luc. 9. Nescitis cuius spiritus sitis: filius hominis non venit animas perdere, sed saluare. Mauult enim nos ferre, non inferre iniuriam: bene mereri de omnibus, bene precari omnibus. Rom. 12. Nulli malum pro malo reddentes. non vosmetipsos defendentes charissimi, sed date locum iræ. Noli vinci à malo, sed vince in bono malũ. q. d. Cesset vindicta, vt exhibeatur patientia. nobis non est istac opus defensione, qui tolerando melius vincimus quam occidendo. Hila. Recondi gladiũ iuber dominus, quia melius eos non humano, sed oris sui gladio perempturus: euangelico sermone qui vitia amputat, homines seruat. Aug. Gladium accipit, qui nulla superiori ac legitima potestate iubente vel concedente, in sanguinem armatur alicuius. Gene. 9. Quicumque sanguinem effuderit humanum, fundetur sanguis illius: ad imaginem quippe dei factus est homo. Sic accipit & qui non zelo iustitiæ, sed crudelitate vindictæ. Requiritur ergo auctoritas, Rom. 13. Non enim sine causa gladium portat. Dei enim minister est, vindex in iram ei qui malè agit. Secundo, causa. Roman. 13. Principes non sunt timori boni operis, sed mali. 1. Pet. 2. In vindictam malorum, laudem vero bonorum. Tertio, ordo iuris. Deuter. 16. Iuste quod iustum est, excqueris. Remig. Qui gladio vtitur ad occi-

Gladium accipere quis dicatur.

Requisita ad rectè vtendum gladio, quot & quot.

dendum hominem, ipse prius gladio malitiæ suæ percussitur, & post gladio bis acuto ex ore dei procedentis, Apoca. 1. Alteram assignat rationem Theophyl. Quamuis passio de se fuerit amara, tamen propter amorem patienti ad salutem humanam, facta est sibi gratus calix salutaris: sic amara medicina ob spem sanitatis grata est. Tertiam addit: Non opus, inquit, mihi est angelorum copiis, multò minus hominum, qui imbecilles profus sunt, si ad angelorum robur conferas. Vnde vnus angelus in vna nocte occidit 8,000. hominum. 4. Reg. 19. Habet autem legio militum. 66 66. Sed ita visum est patri, ita prædictũ à prophetis: neque quicquam horum casu vel fortuito geritur. Si ergo defendor & non mereor pro hominum salute, non verificabuntur vaticinia prophetarum, quod est impossibile. Nam sicut passio ab æterno disposita, sic prophetata ante tempus est. Quò ergo suam declararet potentiam, induceret ad penitentiam, ostenderet patientiam, curauit hostis suæ læsionem. Beda: Nunquam obliuiscitur pietatis suæ dominus, qui etiam hostes suos non patitur vulnerari: illi iusto mortem inferunt, iste persequentium vulnera sanat: mysticè docens, & ipsos si conuertantur, posse sanari, qui in suæ mortis confessione vulnerati sunt. Chry. Miraculum fecit, erudiens nos, vt eis qui malefaciunt nobis, beneficemus. Mat. 5. Benefacite his qui oderunt vos. Ad eò nulli non beneficus fuit, vt nos puderet quenquam vlcisci velle, ne dicam immerentem lædere, Dominus, vt sese declararet volentè omnia pati, conuersus ad principes sacerdotum & magistratus templi, qui aderant, vt res diligentius atque audacius fieret, veluti latronem violentum ac repugnantem expugnaturi. Latronum est nocere & latitare, ego nemini nocui, imò multa beneficia & sanitarum & doctrinæ præbui: non clam, sed clara luce, & in loco omnium celeberrimo, videlicet in templo docui, nunc nocte in tempesta silentem quæritis in secessu. Certè eadem erat vobis tum voluntas quæ nunc est, sed obstitit vobis eius voluntas, cui nemo potest resistere. Chry. Ideo in templo non tenuerunt, quia ausi non fuerunt propter turbam, quare dominus foras exiit, vt ex loco & tempore haberent aptitudinem. Hoc tempus vestræ voluntati concessum est, vt faciatis mihi

quæ vultis, ad quod est potestas tenebrarū, id est, dæmonū vos instigatiū. Bed. Ideo cōtra me in tenebris armamini, quia potestas vestra cōtra lucem mūdi est ignoratiæ tenebris obnubilata. Sed hæc omnia fiunt nō vestra violentia, sed dispensatione consilii dei viui, de quo olim iam vaticinatae sunt scripturæ pphetarū. Hactenus impediti diuina virtute, nunc cognoscendi & capiendi copiam acceperunt, Ioan. 10. Potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem iterum sumendi eam. Bern. O quis sine gemitu audiet, qualiter in illa hora mali homicidæ manus illas ligauerunt, quæ omnia creauerant? illum ceperunt, qui nos à captiuitate liberare venerat? illum traxerunt, qui ad suam dilectionem omnem trahit creaturam? Leo. Quicquid sacerdotum instinctu furor ille popularis audebat, ex hoc colligi potest, quoniam (Matthæo recte) manus iniecerunt. Dicturus, tenuerunt eum, quid necesse fuit præmittere, manus iniecerunt, (certum est enim quod eum non nisi manibus tenere potuerunt) nisi quia illatarum iniuriarum violentiam significare voluisset? Nam iniicere, violentiam importat, & hoc cum incertitudine. q. d. Cum magno impetu vndique manus in eum iniecerunt, & in terram prostrauerunt. Intuere ò anima deuora dominum, quàm patienter suscipit infelicis Iudæ oscula & amplexus, cuius paulò antè pedes lauerat, & summo cibauerat cibo: & quomodo se patitur ligari, capi, percuti, & furibundè duci, ac si esset malefactor, & omninò impotens ad se defendendum: quomodo etiam cōparitur discipulis fugientibus & errantibus. Videntes enim discipuli nullam esse spem, Iesū sese offerente ad necem, timentes, similiter tractari, immemores promissorum, deserto domino, fugerunt. Ioan. 16. Ecce venit hora, & iam venit, vt dispergamini vnusquisque in propria, & me solum relinquat. O quàm inhumanissimè dominum tractarunt, quam discipulorum intimè dominum diligentes, ex huius horrore inuiri & gementes, tanquam orphani fugerent. Iob. 19. Fratres meos longè fecit à me, & noti mei quasi alieni recesserunt à me, dereliquerunt me propinqui mei. Multi vsque hodie multa deo promittunt, & parua vel nulla præstant. Ecce nunc anima deo deuora, qua-

modo deus tuus tanquam latro duris vinculis est ligatus, vt te à peccatorum & gehennæ ignis vinculis absolueret. Liga nunc membra tua à peccatis in obsequiū Christi.

DE EXAMINATIONE, & peruersa condemnatione per pontifices.

ARTICVLVS XXXIII

Cobors autem & ministri Iudæorum & tribunus, Ioan. 18. comprehenderunt Iesum, ligauerunt eum, & adduxerunt ad Annā primum. erat Annas socer Caiphæ, qui erat pontifex anni illius. Erat autem Caiphas, qui consilium dederat Iudæis, Quia expedit unum hominem mori pro populo. Sequebatur autem Iesum Simon Petrus à longè, & alius discipulus. Discipulus autem ille erat notus pontifici, & introiit cum Iesu in atrium pontificis. Petrus autem stabat ad ostium foris. Exiit ergo ille alius discipulus, qui erat notus pontifici, & dixit ostiari: & introduxit Petrum. Et ingressus intro, sedebat foris in medio atrij deorsum, cum ministris ad ignem, & calefaciebat se: ut uideret finem. Circumsedentibus autem illis, erat Petrus in medio eorum. Quæ cum uidisset ancilla quædam ostiaria (una ex ancillis summi sacerdotis) sedentem ad lumen, & calefacientem se, & cum fuisset intuita, aspiciens illum, dixit: Nunquid & tu ex discipulis es hominis Ihesus? At ille negauit eum, neque scio quid dicis. Et exiit foras ante atrium, & gallus cantauit.

Cohors militum gētilium, quæ continebat. 500. viros, & dicebatur maior: vel. 300. quæ minor, & tribunus qui mille præerat, facinorosum in morem ligarunt, quò eum morte dignum ostenderent, & quia Iudas cautè ducendū monuit: & adduxerunt per torrentem Cedron trahentes & impellentes. Bonauen. Conspice nunc quomodo ducitur agnus sine macula ad victimam, ab illis inquisitinis verius Hierusalem festinenter & anxie, manibus post tergum ligatis, exclamatus, tunica non curiosè succinctus, capite discoopertus, curuus ex fatigatione, & vehementi acceleratione incedens. Quis tunc discipulorū corda doloris aculeus penetravit, cum viderent dilectum magistrum suum à suo discipulo traditum, quasi malefactorem duci ad mortem, quum & ille impiissimus Iudas pœnitentia ductus, tanta postmodum fuerit amaritudine ex hoc repletus, vt maluerit mori quàm vivere? Væ tamē illi, qui nec sic ad fontē misericordiæ per spem veniæ rediit, sed propter sceleris immanitatē perterritus, desperavit. Ad Annam duxerunt, quia primò in via dominus occurrebat Anna: ideo ne longiori ductu tumultus oriretur, & quia senior Caiapha, hinc eum honorare voluit, quò & ipse minoris criminis apud populum haberetur, si à maiori damnatum ætate, ipse condēnaret. Hic Caiphas, reliquis ambigentibus quid esset faciendum de Iesu, propter munus quod gerebat, propheticò spiritu afflatus, suaserat Iesum omninò tollendum è medio. Hunc Caiapham scribit Iosephus sibi pontificium precio comparasse à principe Romano, sed ita, vt modò hic, modò Annas in pontificium succederet, id quod palàm legē subuertebat. Sed heu, vbi & nunc illud Mat. 10. Gratis accepistis, gratis date: vāno omnia exposita sunt, & sacerdotia, & sacra quoque, & nihil est quod non obediat pecuniæ, Ecclesi. 10. Hoc dictum repetit Ioānes, quò Christi occisionem maximè rerorquet in principes, qui vt dicit Aug. immunes ab ea videri voluerunt, quum forent authores. Sic Act. 4. dixerūt discipulis, Præcipiendo præcepimus vobis, ne doceretis in nomine isto, & ecce replestis Hierusalem doctrina vestra, & vultis inducere super nos sanguinē hominis istius. Petrus autem parum feliciter tentata pugna (non dū tamen depo-

sita tota spe salutis) sequebatur. Ioannes, quia fortè aliquoties pisces portauerat, notus erat, qui & ita dulcis erat & mitis, vt etiam ab inimicis Iesu diligeretur. Atriū est spatium inter primam & secundam portam sub dio. Intuita ancilla Petrum curiosus, cœpit noscitare speciem discipuli: & quia timidus & tremulus incessit, suspectū habuit. Chrysostomus: Quid ais ô Petre? nōne dixisti, etiam si oportuerit me simul commori tibi, non te negabo? Marci decimoquarto. Quid ergo nunc dicis, nō sum discipulus eius? nec fers vnias ancillæ interrogationem? Non erat armatus miles, sed vilis ancilla: nec dicit, sed doctoris huius, sed hominis illius, quod miserentis erat, non terrentis. Non est hoc actum fortuito, sed ita placuit diuinę dispensationi, quò magis retunderetur fiducia Petri tam magnifica pollicentis, vt nunc ad mulierculæ vocē abnegarit dominum. O quàm multi vsque hodie, in ecclesia & concionibus constituti, pectora tundunt, peccata detestantur, bona proponunt: sed post malis societatibus iuncti, in omne flagitium defluunt. Difficile enim est, in mala societate ad peccatum non accendi, aut à firmitate charitatis non resolui, aut saltem per malam famam non denigrari. Eccle. 13. Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea: & qui communicat superbo, induet superbiam. Ecce petrus inter discipulos Christum filium dei confessus est, inter milites & ministros negabat se discipulum. Augustinus: Qui se negat Christianum, negat Christum. sunt enim qui confitentur se nosse Christum, factis autem negāt, Tit. 1. Ergo. 1. Corinthio. 10. Qui stat, videat ne cadat. Relinquit ergo societatem turbatus, nō aduertens galli cantum.

Pontifex ergo interrogauit Iesum de discipulis suis, & de doctrina eius. Respondit ei Iesus: Ego paulim locutus sum mundo, ego semper docui in synagoga & in templo quò omnes Iudæi conueniunt, & in oculis locutus sum nihil. Quid me interrogas? interroga eos qui audierunt, quid locutus sum ipsis: ecce hi sciunt que dixerim ego. Hæc autem cum dixisset Iesus, unus assistens ministrorum dedit alapam Iesu, dicens: Sic respondes

Atriū quid.

pontifici? Respondit ei IESVS: Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo: si autem bene, cur me cædis?

Annas igitur quò speciem aliquam legitimi iudicij præberet (sed reuera hoc agens, vt ex variis responsis Iesu aliquid excerperet, quod illi criminis vice posset impingi) interrogauit eum de discipulis quos seduxisset, & doctrina quam sparsisset in populum. Iesus intelligens eum non æqui iudicis animo percontari, quò verum cognosceret, sed fraudulenter venari quòd crimineretur, à suo suorumque testimonio relegat eum ad testimonium publicum & inimicorum, quò nullum potest esse certius innocenti. Mea doctrina, inquit, non fuit clancularia & feditiosa. loco & festis & tēplo celeberrimis docui. Nihil in occulto locutus sum, quòd idem nō sim palam docere ausus. Illorū erit certius testimonium, qui mihi nulla familiaritate iuncti sunt, plerique etiam oderunt. O be nigna mansuetudo saluatoris, velut ante iudicem stabat, & aduersus doctrinam suam æmulos testes allegabat. Verè magnum veræ doctrinæ indicium. nam æmuli quid calumniatur semper inquirunt, & suspecta semper doctrina quæ publicum fugit. Ioan. 3. Omnis qui male agit, odit lucem: qui autem facit veritatem, venit ad lucem. Duo interrogatus dominus, de altero respondet: docens nos, si de absentibus nihil boni scimus, taceamus errata, nō arodamus eorum vitam qui se defendere nequeunt. Discipuli enim ipsius omnes profugi facti sunt, in super & primus inter ipsos negauit se discipulum. Docuit insu per nonnunquam pro veritate fortiter respondendum, sed absque conuicio. Sed quidam non dissimilis domino suo, dedit alapam Iesu, q. d. Reuenter respondendum pontifici. Indignitatis plena fuit hæc alapa; & grauis, quam tam vigilanti studio describit euāgelista, qui multa tamen dura & opprobriosa præterit, vt ex aliis claret, & propheta prædixit, Threno. 3. Dabit percutienti se maxillam, saturabitur opprobriis. Attende & quis dederit, cui dederit, qualiter dederit. dicitur enim quòd manu armata, quemadmodū vestigium cicatricis insisteret in

veronica Romæ indicat. fertur fuisse idē Malchus cui auriculā redintegrarat. & coram quibus, quia inimicus & summis sacerdotibus. Poterat dominus Iesus & hunc impium pontificem perdere, & hunc impactorem alapæ cohibere, nisi voluisset suis exemplum exhibere quàm sint præpostera, quàm peruersa mundi iudicia. Et apud ethnicum iudicem auditur vicissim & interrogatur reus: apud pontificem, pro responso dabatur alapa, & dabatur ei qui iudex futurus est viuorum & mortuorum. Si false, inquit, loquutus sum & indiscrete, ostende. loquor apud iudicem, ei respondeo rogatus. Ostendit pro veritate nonnunquam fortiter respondendum, sed absque conuicio, ne mali impune se credant peccare, aliena rapere, omnes iniuria afficere. Augustinus: Quid ista responsione verius? quid dulcius? quid iustius? O nos miseri, qui mala rependimus, & quæ non possumus minamur.

Et misit eum Annas ligatum ad Caiapham pontificem principem sacerdotum, ubi omnes scribæ & pharisæi, sacerdotes & seniores conuenerant. Petrus autem sequebatur eum à longè usque in atrium summi sacerdotis. Stabant autem ministri ad prunas, quia frigus erat, & calefaciebant se. erat autem Simon Petrus cum eis stans, & calefaciens se. Et post pusillum, rursus cum uidisset illum alia ancilla, cœpit dicere his qui erant ibi circumstantibus: Et hic cum Iesu Nazareno erat. Dixerunt ergo ei qui circumstant: Nūquid & tu ex discipulis eius es? Negauit iterum cum iuramento, & dixit: Non sum, quia non noui hominem.

Quò res maiore eum autoritate geri videretur, conuenerunt eò omnes primores: vt cum Iesus corā tot examinatus esset & iudicatus, nihil superesse posset sinistra suspitionis. Ipsi enim causas secundum legem examinabant & iudicabant, sed quosdam ad præsidem referebant puniendas. Petrus nondum abiecerat animum, sed eminus sequutus est dominum, iam discipulatus, di-

scipulum nimirum mox abiuratus. Rabanus: In hoc maxima nobis est admiratione venerandus, quod dominus non reliquit, etiam cum timeret. Quod enim timet, est naturæ: quod sequitur, deuotionis: quod negat, surreptionis: quod poenitet, fidei. Augustinus: Non hyems erat, sed tamen frigus erat, quale solet in vere accidere. Chrysostomus: Iam ignis diuini amoris in eo tepuerat, ideo alij ignem requisit stans cum inimicis Christi, factus spes. Actor tolerantia potius quam imitator: ut quando non poterat iuuare magistrum, saltem videret quis esset finis. Siquidem nonnulla spes adhuc alebat animum Petri. Ministri ergo qui astabant, ancillæ verbis instigati, quum & ipsi curiosus hominis vultum & cultum contempleretur, coeperunt ex notis Petrum ut cunque noscitate. Rursus Petrus elapsus est periurio, nec interim venit in mentem quid prædixisset illi dominus, & quid illi promississet: tantus paor habebat hominem. Hac negatione arbitrabatur se futurum à periculo liberum, quem admodum se explicauerat ab ostiaria. Conueniebat magnificentum pollicitatorem, quod magis agnosceret suam imbecillitatem, à muliercula terreri ut post intrepidè nomen Iesu proficiens apud magistratus & reges, sciret eam fortitudinem esse non virium humanæ naturæ, sed spiritus diuini.

Et interuallo facto quasi horæ unius, dixit unus ex circumstantibus, cognatus eius, cuius abscederat Petrus auriculam: Nonne ego te vidi in horto cum illo? Et rursus qui astabant, dixerunt Petro: Verè tu ex illis es: nam & Galileuses, & loquela tua manifestum te facit. Iterum ergo negauit, & coepit anathematizare, detestari, & iurare, quia nescio hominem istum quem dicitis. Et continuo adhuc eo loquente, iterum gallus cantauit. Et conuersus dominus, respexit Petrum: & recordatus est Petrus uerbi domini quod dixerat ei Iesus: Priusquam gallus bis cantet, ter me negabis. Et egressus foras, sicut amare.

Quoniam pugna quanquam in tenebris acta, insignem fecerat cum, interuallo facto quasi horæ, ne crederetur surreptione toties Christum negasse, dicit ei vnus: Quid negas te esse de numero discipulorum istius, quum ego te viderim cum illo in horto? Et alii: Verè, inquit, es: siquidem non facies solū, sed & sermo tuus te prodit. Vides quibus gradibus ad exterminum malorum peruenit. Principio cõtu bernio se iungit malorum, nepe ministris pontificis: deinde Christi verbum, quo eum negaturum prædixit, à tergo reliquit: postremò sibi ipsi precatur ominaturque malum. Rabanus: Perseuerantia in peccato, dat incrementa scelerum: & qui spernit minima, labitur in maiora. Nec Petrus rediit, nec rediturus erat, nisi dominus efficaci contuitu suo reddidisset illi sibi, tacitoque afflatu prouocasset ad poenitentia lachrymas. Chryl. Non potuit diu manere in tenebris, quæ lux diuinæ respexit miserationis. Aug. Conuersio hæc spiritalis fuit, non corporalis, ab æquitate qua Petrum cadere permisit, quò erga peccates (ut dicit Chry.) duriorè sententiam, proprii casus intuitu réperaret, ad effectum suæ clementiæ. Hic est enim respectus pietatis diuinæ. Psal. 118. Aspice in me, & miserere mei. Victorinus: Egreditur foras, ut ab impiorum segregatus consortio, negationis sordes liberius fletibus abluat. Chry. Fleuit non propter poenã, sed quòd negauerat dilectum, quod ei quolibet supplicio molestius erat. Leo: Felices lachrymæ tuæ sancte apostole, quæ ad diluendam culpam negationis, virtutem sacri habuere baptismatis. Dicit Clemens papa discipulus Petri, quod ex tunc duxit in consuetudinẽ, post primum galli cantum surgere, & ad matutinum vsque huius negationis memor lachrymari, sed & quoties memoria ipsius incidit, lachrymis perfundebatur: quare semper sudarium in sinu gestabat. Nobis eodem quo Petrus itinere incedendum, si quãdo Christum malefactis negamus: si nostris votis promissis que non responдемus, tum lachrymæ, tum singultus edendi. Psal. 118. Exitus a quarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam. Hic imber erupens, extinguit fulmen iræ diuinæ. Non flet autem, nisi prius egressus è palatio Caipha. Nã illic quò quisque peior est, hoc sibi magis placet. Quantum periculũ, Christum discipulum notum esse in oculis pontificum & principum?

Lachrymæ
Petri.

nisi enim totum discipulum exuat, periclitatur de capite. Quod fecerat Petrus, idem facturi erant discipuli, si similis incidisset necessitas, sed in vno Petro Iesus docere voluit omnes, quia expauescens metu, peccauerat imbecillitate humana, non destinata malitia: meruit misericordiam, ne quis quauis grauiter lapsus, desperaret de venia, modò respiscat, modò animæ maculam lachrymis abluat: & ne quis sibi fidat, ne quis malorum confortio se admisceat. Quotquot ergo prolapsi sunt in graue crimen, orent dominum Iesum, vt dignetur oculos suos flectere ad sese, & protinus agnoscent vnde, quò reciderint, subducant sese à scelerato cõsortio, & lachrymis mutatum animum testantibus culpam abluant.

Principes sacerdotum, & omne concilium querebant falsum testimonium contra Iesum, ut eum morti traderent: nec inueniebant, cum multi falsi testes accessissent. Multi enim falsum testimonium dicebant aduersus eum, & conuenientia testimonia non erant. Nouissimè uero uenerunt duo falsi testes, & falsum testimonium feerebant aduersus eum, dicentes: Hic dixit, quoniam audimus eum dicentem: Possum destruere templum dei, hoc manufactum: & post triduum aliud non manufactum reedificare. & non erat conueniens testimonium illorum.

Quaquam animos haberent parricidales, tamen ob metum populi & præsidis, ne viderentur homicidæ potius quàm lætæ pietatis vltiores, studebant iustitiæ speciem aliquam prætexere. Nihil aliud sitiebant quàm mortem illius, qui omnibus gratis vitam offerebat æternam. Psal. 30. In eo dum conuenirent simul aduersum me, accipere animam meam conciliati sunt. Sed impiam hominum astutiam, diuina prudentia vertit in filij sui gloriam. Dum enim à multis examinatur, ac multis modis accusatur, omnes innocentiæ suæ testes fecit ac professores, etiã inimicos. Nullum autè certius innocentiæ testimonium, quàm quod ab inimico veritas extorquet: atque ibi crimen demum obliuiscendum queritur, quum prophanarum etiam legum æquitas nemini manum iniiciat, nisi prius criminis inui-

dia vehemens grauet aliquem. Solus erat Iesus, in quem nullam testimonium inuenire posset humana malitia. Subornant falsos testes, sed tanta ipsius fuit innocentia, vt hoc quoque difficile fuerit sic de illo mentiri, vt aliquam veri speciem haberet mendacium: quare testimonia conuenientia non erant ad finem intentum. Sed quoniam ad vnius testimonium nemo condemnabatur, Deo. 17. Venerunt duo falsi testes, ex verbis domini, quibus dixit se ab illis occidendum, & sub triduum reuicturum, mendacij occasionem fumentes, ea verba non intellecta deprauabant, quò res esset odiosior. q. d. Vsurpauit sibi diuinam potestatem. Tales sunt, qui alio sermone receperunt, quæ simplici animo pronunciata sunt, & peruertunt. Vide quò nihil Iudæi tuam legem faciant, vt innocentem de medio tollant. Exo. 20. Nò loqueris contra proximum tuum falsum testimonium. Exo. 23. Non suscipies vocem mendacij. Prouerb. 19. Testis falsus non erit impunitus. Isidorus: Falsus testis tribus est obnoxius. Deo, quem falsè iurando contemnit: iudici, quem mendacio fallit: & innocenti, quem falso testimonio lædit. In tribus, vt dicit Hierony. claruit falsitas istorum. In mutatione, nò enim dixit dominus, soluere possum, sed soluite, hoc est, vos soluetis: nec dixit, reedificabo, sed excitabo, quod nò de materialibus, sed corporis templo dicitur. In additione, quia addiderunt, dei, & manufactum. In intèctione, quia non in sensu quo dominus dixerat, retulerunt: nam quod dominus de morte & resurrectione dixerat, ipsi ad materiale templum torquebant.

Et exurgens princeps sacerdotum in medium, interrogauit Iesum, dicens: Non respondes quicquam ad ea quæ tibi obiciuntur, & isti aduersum te testificantur? Iesus autem tacebat, & nihil respondit. Rursus autem summus sacerdos dixit ei: Adiuro te per deum uiuum, ut dicas nobis, si tu es Christus filius dei benedicti. Iesus autem dixit illi: Tu dixisti. Veruntamè dico uobis, amodò uidebitis filium hominis sedentem à dextris uirtutis dei, & uenientem in nubibus celi. Tunc princeps sacerdotum

*Periuri qui
bus obnoxii
Falsitas testi-
monij istorum
in quot seu-
tibus clau-
ruerit.*

scidit vestimenta sua, dicens: *Blasphemavit. Quid ad huc egemus testibus? ecce nunc audistis blasphemiam, quid vobis videtur? At illi omnes exclamauerunt, dicentes: Reus est mortis. Tunc expuerunt in faciem eius. Et viri qui tenebant eum, illudebant ei cadentes, & uelauerunt & percusserunt faciem eius. Et ministri cum alapis cadebant, alij palmas in faciem eius dederunt, & interrogabant eum, dicentes: Prophetiza nobis Christe, quis est qui te percussit? Et alia multa blasphemantes, dicebant in eum.*

Videns princeps sacerdotum rem minus prosperè succedere, surrexit, & qui iudicis simulans imaginem, quasi Iesu facturus potestatem defendendi sui, sed reuera ex ipso ore venans vnde posset conuinci. Beda: Caiphas ad responsionem, dei filium provocat, vt ex responsione calumniam di inueniat occasionem. Dominus obtulit, sciens quicquid dicturus esset, rapiendum in calumniam, & vt mansuetudinis & patientiæ præberet exemplum, & quia accusationes inductæ erant falsæ. Augustinus: Aperta mendacia non sunt responsione digna. Plal. 24. Surgentes testes iniqui, quæ ignorabam interrogabant me. Tunc princeps sacerdotum patientia & silentio Christi commotus, arbitrans se contemni, (vt talium mos est) cuius vesania longa omnis erat mora, vt aliquid extorquere posset, vnde condemnaretur Iesus, ipsum adiurauit. Est autem adiuratio veritatis inquisitio sub respectu superioris potestatis. Erat hoc insidiosum problema pontificis impij. Si negasset se filium dei, exclamasset: cur igitur tibi sumis, quod non es? Si affirmasset, calumniaturus erat blasphemiam: si obtulisset adiuratus, visus fuisset contemnere deum, & autoritatem summi pontificis. Iesus ergo veluti deferens honori quem gerebat, & ob diuinis nominibus inuocati reuerentiam, sic veritatem confitebatur, se scilicet esse quod erat, tamè ita vt vitaret arrogantiam notam, & adiciens quod impios ab instituto facinore debuerat reuocare. Quod requirunt, fatetur quod ipse sit, eosque propria ipsorum conuincit sententia, quia legem no-

Adiuratio
quid.

uerant quæ Christum promittebat: quare respondet, vt ipsorum ignorantia inexcusabilis fieret. Subindicat autem se humilem tunc & ab impiis condemnatum, olim venturum cum potestate diuina, iudicem totius mundi, quæ velint nolint cognoscent. Hoc sermone magis irritatus princeps sacerdotum, quod ficto religionis studio Christi crimen faceret atrocius, discidit vestimenta sua. Furor illum paulò ante submauerat à sede, & tamen interim nescius assurgit filio dei: nunc lacerat vestimenta, vaticinans futurum, vt regnante vero pontifice Iesu, carnale pontificium aboleretur. Scissa est synagoga, Christi tunica manet integra. Hierony. Mos erat Iudæorum, scindere vestimèta audita blasphemiam, tali signo cordis dolorè indicantium. Sic Paulus & Barnabas populum diuinos honores offerre volentem, scissis tunicis compescuerunt, Act. 14. Summo tamen sacerdoti hoc inhibitum erat, Leui. 21. Sed ipsi contra legem agentes, apparenter CHRISTI SECUNDUM legem iudicabant. Chrysostomus: Magna istius Caiphæ malitia. primò sententiam tulit blasphemiam in Christum, & postea querit consilium. Pro nihilo, inquit, laboramus pro testibus habendis. Vide execratam malitiam. ipsi sunt iudices, accusatores, testes. & cùm legis præcepta se consummare arbitrati sunt, contra legis præcepta agunt, dicente scriptura Exod. 23. Infontem & iustum non occides: & eum qui venerat martem tollere, reum mortis dicunt. Non primum hoc audierunt modò, nam & antè filium deise dixit non semel, idque operibus testatus est, Ioàn. decimo, sed quum aliam causam inuenire non poterant, istam exaggerabant. Tunc veluti in iure damnatum sæuiri cœperunt ludibriis, quorum nihil non mansuetissimè passus est Iesus, vt absolutum exemplum tolerantiam suis exhiberet. Nemo ferèdis ignominiam superauit Iesum, edendis miraculis quidam superarunt. Expuerunt in faciem, in quam desiderant angeli prospicere, i. Petr. 1. ipsius qui speciosus est præ filiis hominum, Psalm. 44. quam tanto affectu expetierunt sancti. Lucæ decimo: Multi reges & prophetæ voluerunt videre quæ videtis, & non viderunt. Psalm. septuagesimonono: Ostende faciem tuam, & salui erimus. Hanc ipsi ostendit, sed eam velauerunt, non vt crimina sua vi-

Scissa vestis
Caiphe
quid signet.

PARS SECVNDA.

Christi fa-deret, sed vt à seipſis (vt dicit Raba.) sicut quondam in
cies quam Moyses, gratiam cognitionis absconderent, quò liberis
gratiosa, malitiam suam in ipsum exercerent. Erat enim tam gra-
 tiosa, & rara virtus de ipsius oculis exibat, (vt dicit Chry-
 sostomus) vt intuentes ipsum, occultè ad pietatē & amo-
 rem attraherentur. Traditus fuit dominus voluntati eo-
 rum: ideo vnusquisque vbi; & quomodo volebat, illu-
 debat. Hinc his contumeliis exprobrat ei, quòd Messias
 haberi voluisset; quòd prophetiæ titulo fuisset à populo
 insignitus. Bernardus: Alij manu versa percutiebant
 os eius mellissimum, alij sanctissimam euellabant barbam,
 alij per crines trahebant. Esaiæ quinquagesimo: Corpus
 meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus,
 faciem meam non auerti ab increpantibus & conspuen-
 tibus in me. O domine, ad quorum manus deuenisti?
 quanta est patientia tua? Sic dominus amore peccatri-
 cis animæ, cui dicit per hieremiam tertio: Tu autē forni-
 cata es cum amatoribus multis, tamen reuertere ad me,
 dicit dominus, & ego suscipiam te. tam multipliciter &
 enormiter illusus est. Tota nox in ædibus Caiaphæ con-
 sumpta est in perniciem & ludibrium Iesu, sacerdotibus
 & senioribus & reliquis in requiem se recipientibus. Tu
 anima deuota accumbe & quiesce ad pedes Iesu, si potes:
 sin autem, dole cum dolente, quoniam omnia propter te
 fiunt. Stude ergo horum exemplo omnem iniuriam, vi-
 lipensionem, & quæcunque opprobria quasi nihil cum
 gaudio sustinere. primæ Petri secundo: Christus passus
 est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequami-
 ni vestigia eius, qui peccatum non fecit, nec in-
 uentus est dolus in ore eius: qui cum male-
 diceretur, non maledicebat: cum pa-
 teretur, non comminabatur. Ca-
 ueat & quisque ne proximum
 conuiciis commatibusq;
 afficiat. Mat. 5. Qui di-
 xerit fratri suo,
 fatue, reus
 erit æterni
 ignis.

ARTICVLVS XXXIII. 218

DE P RAESENTATIONE
 & falsa accusatione coram
 Pilato & Herode.

ARTICVLVS XXXIII.

ET confestim mane factoc, onuenerunt principes sa-
 cerdotum cum scribis & pharisæis & uniuerso cōci-
 lio aduersus Iesum, ut eū morti traderent. & adduxerūt
 eum in cōcilium suum, dicentes. Si tu es Christi^s, dic nobis
 palam. Et ait illis: Si dixerō uobis, non credetis mihi: si
 autem & interrogauerō, non respondebitis, neque dimi-
 tetis. Et hoc autem erit filius hominis sedens à dextris
 uirtutis dci. Dixerunt autem omnes: Tu ergo es filius dei?
 Qui ait: Vos dicitis quia ego sum. At illi dixerūt. Quid
 adhuc desideramus testimonium: ipsi nanque audiuiimus
 ab ore eius.

Vt verò diluxit, iam legitimi concilij formam ex-
 hibituri cuncti conueniunt: & accitum in consilium su-
 um Iesum pertontantur, venantes aliquid ex illius di-
 ctis, quod in eo criminentur. In iudicio quæritur, ac desti-
 nata morte, post circumspiciunt quo titulo mortis causa
 possit intendi. Hieron. Attende anima deuota, quantū
 stuebant sanguinem Christi, qui non poterant clarā
 expectare lucem, sed summo mane accelerabant senten-
 tiam mortis contra dominum proferre. In priori conci-
 lio interrogarunt, si filius dei esset, vt si confiteretur, con-
 tra eum ex lege quæ deorum prohibet pluralitatem &
 diuini honoris usurpationem, sub mortis interminatio-
 ne, damnationis accusationem haberent. Verū quia Pi-
 latus gentilis erat, legis edicta paruipendens, & plures
 deos colens, quærent nunc, si ipse sit Christus ille, quem
 iuxta prophetarum oracula expectarent. Nouerāt Chri-
 stū de semine Dauid pmissum, Mat. 22. quare si simplici-
 ter pteretur se Messia, accusandi habuisset anam, q; re-

giam sibi vsurparet contra inhibitionem & imperatoris dignitatem, & sic vt seditiosus puniendus. Iesus ergo sciens illos sciscitari, non vt discerent veritatem, sed vt venarentur calumniam, respondit: Si dixerō vobis qui sim, non credetis mihi, sicut nec antea quando per opera hoc ostendi. Ioā. 10. Quousque animam nostram tollis: si tu es Christus, dic nobis palam. Respondit eis Iesus: Loquor vobis & non creditis. Opera quæ ego facio in nomine patris mei, hæc testimonium perhibet de me. Si autem vos perconter ex scripturarum testimoniis, qualis sit promissus Messias, & an ea signa competant in me, non respondebitis mihi ex animo, qui nec discere cupitis quod verum est, nec docere. Nimirum voluisset dominus Caiphā cum suis interrogare, & sic instruere & seruare: sed videbat apimos ipsorū ad falsitatem & calumnias prolapsuros. Sed quoniā humilē Christū per quem seruari poterāt, occidere quā amplecti maluerūt, scierēt sese cōspecturos iudicē & vltorē impietatis suæ, quæ seruatiorem promissum & expectatū tot seculis agnoscore noluerūt. Nā secundū diuinitatē semper est ad dexterā patris, hoc est, in vera æqualitate & eadē maiestate cū ipso: quo ad humanitatē verō per passionē ad maiestatis gloriam peruenit. Matth. 6. Et dominus quidē Iesus assumptus est in celum, & sedet à dextris dei. sciebant ex modo loquendi per fidē hominis, dominum seipsum notare, & quia filiū hominis seipsum dixit à dextris virtutis dei, quod propriè cōuenit Christo. Psal. 109. Dixit dominus domino meo, sede à dextris meis, hinc concludūt quod Iesus se filiū dei affirmaret. Ea vox visa est omnibus idonea ansa calumniā di, si modò profiteretur apertè se filiū dei. Iesus ingēuē fatetur hoc quod perpetuò inculcat, se dei filiū esse, seque olim sumpturū pœnā de malis, confessurūque ad dexteram patris. Hic rursus piaculum admittit, veritatem dicens. Quid egemus testimonio contra istum, vt mortis reus comprobetur? ipsi audiuius ex ore eius manifestam blasphemiam. In hanc sententiam facile pedibus discessum est ab omnibus, qui quocunque titulo decreuerant occidere Iesum. Quid enim longius à blasphemia abest, quā prædicare gloriam filij dei, quā in testificari futurum quod propheta futurum præ-

dixerāt? O obstupefcenda nequitia impiorum, videre inter tot sanctimonia & dignitate præcellentes, ne vnum quidem qui pro veritate vel verbum proferret: quin omnes vt lupi rapaces in agnū mitissimum sauiunt. O Iesupie, quantum cor tuum tanta cruciabat impietas.

Tunc surgens omnis multitudo eorum, uincientes Iesum, adducunt ad Caipha, & ligatum eum tradiderunt Pontio Pilato præfidi in pretorium. Erat autem mane, & ipsi non introierunt in pretorium, ne contaminarentur, sed ut manducarent Pascha. Tunc uidens Iudas qui tradidit eum, quod damnatus esset, poenitentia ductus, retulit tringinta argenteos principibus sacerdotum & senioribus populi, dicens: Peccauit, tradens sanguinem iustum. At illi dixerunt: Quid ad nos? tu uideris. Et proiecitis argenteis in templo, recessit: & abiens, laqueo se suspendit. Principes autem sacerdotum, acceptis argenteis, dixerunt: Non licet eos mittere in carbonem, quia precium sanguinis est. Consilio autem inito, emerunt ex eis agrum figuli, in sepulturam peregrinorū. Propter hoc appellatus est ager ille alcheldemac, hoc est ager sanguinis, usque in hodiernum diem. Tunc adimpletum est, quod dictum est per Hieremiam prophetam, dicens: Et acceperunt tringinta argenteos, precium appreciati, quem appreciauerunt ad filium Israel, & dederunt eos in agrum figuli, sicut constituit mihi dominus.

Tradiderunt vinctum præfidi, vt in damnatum animaduerteret, quò innoxij sanguinis inuidiam in eum deriuarent. Vidē. Mos erat Iudæorum, vt quem morte dignum iudicarent, vinctum iudici traderent. Leo: Tradiderūt Pilato, tanquā Romanis deuoti legibus, omne iudiciū potestati Cesaris reseruassent: sed experierunt executorē magis seuitiæ quā arbitrum causæ. Offerebāt enim duris nexibus vinctum, colaphis & alapis frequentibus cæsum, sputis oblitum, clamoribus prædamnatū, vt

inter tot præiudicia, quem omnes vellēt perire, non aude-
ret Pilatus absoluerē vincitur, vt nostra soluat vincula,
Psal. 115. Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam
laudis. Psal. 145. Dominus soluit compeditos. Ne immūdi
redderentur ingressu, non introierunt prætoriū, ad esum
azymorum panum: nam agnum præcedenti die comē-
derant. Ecce hypocrita isti, excolantes culicem, & came-
lum glutientes, formidantes maculari ingressu domus
alieni, cum ipsi tot artibus molirentur necem homini ni-
hil commérito, imò omnibus modis bēne merito. Augu.
O inopia cæcitatē humanā, habitaculo contaminaban-
tur alieno, sed non scelere proprio. Iudas tor indicis intel-
ligens Iesum damnatum, quem innoxium nouerat, &
hinc sibi damnationis imminere periculum, prout à do-
mino audiuit, quem prophetam nouerat, pœnitentia du-
ctus, (sed sera, quia sine spe veniæ, quanquam dolorem
haberet in corde, confessionem in ore, restitutionem in
opere) sacerdotibus reddidit pecuniam. Chryso. Vide
penitentiam vniq; fulgentem, proditor de seipso dat testi-
monium, & eorum qui condemnauerunt, oppilat ora.
Huius certē confessio debuerat commouere principum
animos, fatetur auaritiæ morbo factum, & innocentem
fatetur quem prodidit. At illi prorsus efferati, nec aliud
quam innoxium sanguinem sitiētes, responderunt: Quid no-
stra interest, an nocentem prodideris an innocentem? tu
opus tuum conspice, & onus tuum porta. Chryso. Accu-
satio est Iudæorum in nouissimo die, quod pœnitentiam
non egerunt, Iudæ flagitium confitente. Hilar. Professio
audax, emisse se iusti sanguinem audiuit, & tamen in ven-
dente scelus constituit, & extra reatum se esse credunt
nec intelligere volunt, quod si peccauit ille qui tradidit
sanguinem iustum, multo magis peccauerunt qui emerūt,
& precium offerendo discipuli in ad proditiōem provo-
cabant. Agnouit magnitudinem sceleris sui, sed non agno-
uit magnitudinem misericordiæ dei. Fleuit Petrus amarè,
& misericordiam cōsecutus est: fleuit & Iudas, sed abiecto
magis animo quàm conuerso: & ideo digressus, laqueo
se suspendit, vt eleuatus in aere se indignū cælo & terra
ostenderet, sed socium dæmonum in aere habitantium,
qui proditiōis culpam non solum non verè emendare

Penitentia
Iudæ quæ.

studuit, sed etiā proprii homicidij (vt dicit Rab.) scelus
addidit. Et vt in vocali arteria quæ vocem proditiōnis
edidit puniretur, quare suspensus crepuit medijs. Act. 2.
ne anima exiret per os quod dominū ea nocte oscula-
tum fuerat. Maluit se quā pecuniā perdere, vt dicit Beda:
quia pecuniam templo reddidit, se diabolo socium fecit.
Noluerunt pecuniam ponere in corbonam, siue in dona-
ria templi, quibus multum religionis tribui volebant:
atque interim produnt conscientiam suam sceleratam,
confitentes innoxium, cuius proditiōnem emerant. Ne-
que enim alio pacto poterant magis traducere suā impie-
tatem. Leo: Cuius cordis est ista simulatio? sacerdotum
conscientia capit, quod templi arca nō recipit. refutatur
illius sanguinis taxatio. Quantislibet vos protegatis fal-
laciæ umbraculis, manet initū cum proditore cōmerciū,
quo sanguinem iustum, sicut nō licuit, comparastis. Eme-
runt ex eis agrum figuli, secundum Hieronymū, in diffi-
mationem passionis Christi & veditiōnis, sed ordinatio-
nē diuina hoc factum est in memoriam in nocētis mortis
Christi, & iniustæ emptionis Iudæorū, & veditiōnis Iu-
dæ. Obserua secūdū Hieronymū in Hieremia, hoc testimo-
nium per Matthæum inductum nō reperi, sed sententia
Testimoniū
tialiter in Zachar. 11. Tamen legi, ait, nuper in quodam
Matthæi ex
volumine Hebræo, quod Nazaræ sectæ mihi Hebræus
Hieremia
obtulit, Hieremiæ apocryphū, in quo verba hæc scripta
quale.
repperi. Origen. In secretis Hieremiæ hæc continentur.

Iesus autem stetit ante præsidem. Exiuit ergo ad
eos foras præses, et dixit eis: Quam accusationem af-
fertis aduersus hominem hunc? Responderunt et dixe-
runt: Si non esset hic malefactor, nō tibi tradidissimus eū.
Dixit ergo eis Pilatus: Accipite eum vos, et secundum
legem uestram iudicate eum. Dixerunt ergo Iudæ: No-
bis non licet interficere quenquam: ut sermo Iesu imple-
retur, significans quā morte esset moriturus.

Quum Iesus stare ante præsidē veluti reus, quū esset
à Romanis iudex constitutus, leges Romanorū seruare

volens, ait: Mittitis hunc ad me capite plectendum: atqui non est moris Romani quenquam afficere supplicio, nisi conuictum de crimine capitali. Chrysoſtomus: Videns eum ligatum Pilatus & à tor ductum, non æstimauit hoc argumentum esse in alterabile actionis, sed interrogauit. Principes autem sacerdotum cognoscentes suas accusationes friuolas & falsas, nullam accusationem specificarunt, credentes se autoritate & multitudine posse quod uellent. Sit tibi, inquit, satis pontificum & sacerdotum autoritas & pharisæorum. Ita honoratos & uerediticos se haberi uolebāt, ut quicquid vel dicerent, vel facerent iustum haberetur. O quot hodie imitatores, qui ob status dignitatem se & iustos & bonos haberi uolunt. O inauditam innocentis domini blasphemiam, quem sicut non simplici morte, sed turpissima condemnare uoluerunt: sic non sunt contenti eum ut malefactorē & uemlibet, sed ut sceleratissimum infamare & publicum, cuius mala nulla tergiuersatione celari possint. Aug. Interrogetur & respondeant, à spiritibus immūdis liberati, languidi sanati, leprosi mundati, surdi audientes, cæci uidentes, mortui resurgentes: & quod super his omnibus mirabilius est, stulti intelligētes, utrum Iesus sit malefactor. Ipse enim est qui pertransiit benefaciendo, & sanando omnes oppressos à diabolo, Act. 10. & nūc à filiis diaboli ut malefactor accusatur, & talis, ut excusationem non admittat. Sed ista dicebāt, de quibus per prophetam prædixerat, Psalm. 24. Retribuebant mihi mala pro bonis. Hier. 18. Nunquid redditur pro bono malum, quia foderunt foueam animæ meæ? Accipite eum uos. Ironia esse potest. q. d. Si tantæ autoritatis & iustitiæ estis, ut nudis uerbis uestris sit credendum, iudicate eum, me non grauantes. Aut si quid est quod ad meum tribunal non pertinet, aut si quid huiusmodi commissum est quod uestra lex punire iussit, cum non sit alioquin Romanis legibus ueritum, accipite & iudicate. Sed quoniam ablatum erat eis sceptrum regni iudiciariæque potestas. Gene. 49. Non auferetur sceptrum de Iuda, nec dux de femore eius, donec ueniat qui mittendus est. vel secundum Bedam, supplicium crucis, quod sibi Romani reseruauerunt, aliis concessis ipsis. nam ipsum aliquoties lapidare uoluerunt, ut

*Andignitas
alicuius ma-
litiæ ex-
cuset.*

claret Ioan. 8. & 10. responderunt sibi non licere interficere quenquam, crucis scilicet supplicio. Vnde & sermo Iesu inpletus est, quo se prædixit tradendum gentibus ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum, Mat. 20. Luc. 18. Ut omnino intellegeremus, non solum mortem illi constitutam fuisse, sed delectum etiam mortis genus. Deus autem nunquam suis deest promissis, etiam si nos desimus tam deo, quam nobis ipsis læpe.

Cæperunt autem illum accusare, dicentes: Hunc inuenimus subuertentem gentem nostram, & prohibentem tributū dari Cæsari, & dicentem se Christum regem esse. Introiit ergo iterum Pilatus in prætorium, & uocauit Iesum, & dixit ei: Tu es rex Iudæorum? Iesus autem respondit: A temetipso hoc dicis, an alij tibi dixerunt de me? Respondit Pilatus: Nunquid Iudæus ego sum? gens tua & pontifices tui tradiderunt te mihi. Quid fecisti? Respondit Iesus: Regnum meum non est de hoc mundo: si ex mundo esset regnum meum, ministri utique mei decertarent pro me, ut non traderer Iudæis. Nunc autem regnum meum non est hinc. Dixit ergo ei Pilatus: Ergo rex es tu? Respondit Iesus: Tu dicis quia rex sum ego. Ego in hoc natus sum, & ad hoc ueni in mundum, ut testimonium perhibeam ueritati. Omnis qui est ex ueritate, audit uocem meam. Dixit ei Pilatus: Quid est ueritas? Et cum hoc dixisset, exiit iterum ad Iudeos.

Videntes se non posse consequi intentum, accusarunt in tribus quæ sibi uidebantur pulchrè cōmenti, quæ maximè cōmouerāt præsidem, eò quod pertinerēt ad læsam Cæsaris maiestatem. Quid his mendacis impudentius? Nam cæsari reddenda quæ Cæsaris sunt, dixit Matt. 22. Quæritus in regem, fugit. Ioan. 6. Messiam se esse factis ipsis declararat. Proinde etiam si se Messiam prædicasset, non oportebat obicere criminis loco, nisi declarassent in eum nō cōpetere, quæ de Messia prophetæ præ-

dixerant. Pilatus quanquā idololatra, tamē multo æquior Iudæorum sacerdotibus, satis se æquiter & prudenter in initio gessit. Quanquam enim à primoribus accusaretur Christus, non tamen subitam è vestigio tulit sententiā, sed clanculum accersito Iesu, examinat eum de intēto crimine. Publicitus noluit ob furorē populi. Duo prima non curavit. Primum, quia quum esset gētilis, de cæremoniis legis non magnopere pendit, sciens plures ipsos habere scētas, utpote Saducæorum & pharisæorum. Alterum, falsum relatione didicit, & quia novum non erat hoc disputari inter Iudæos. Intelligens verò obici de affectato regno Iesu, nec in specie quicquam apparet quod huic crimini faceret fidem, interrogavit an de iure rex esset, d. Tu ne es ille rex Iudæorum, quē dicuntur expectare? Hoc vnum diligenter exquirat, quod cætera non pertinerent ad rem publicam: cæterum hoc crimē videretur & ad Cæsaris maiestatem, & ad publicā tranquillitatem pertinere. Cauebat enim ne Romani tam nobili provincia priuarentur, & ipse propriæ personæ iacturam incureret. Iesus autem, tamen non ignoraret hoc esse falsū delatū à Iudæis, tamē ut Iudæorū malitiam detegeret, ait: Si à te cogitasti me fore regem, cōmunis iudex transit in partē: quo factō, semper suspecta est ventilatio rei. Si à teipso hæc causa sumpsit initium, iniustum est vt cogitatio præsidis per examinationem exquiratur, quare pande signa meæ rebellionis. Si alij dixerunt de me, inquisitionē fac ordinariam. Accusanti, non reo, incumbit probatio: si dictum eorum nō probatū credis, non iure procedis: si approbas, es iudex suspectus. Pilatus autem suam aperiens innocentiam, & Iudæorum malitiam, nequaquam, inquit, ex me hoc coniecto, quum Iudæus non sim: nec ex libris ipsorum cognoscere valeam quis ipsorum promissus sit rex, nec ipsi favere contra æquitatem. Tui & ipsorum primores te tradiderunt mihi, vt iudici. Si falsum est affectati regni crimē, quid igitur commissisti? apparet quod magni aliquid sit in causa. Quod si piaculum hoc abstergere potes, nos æquo animo audiemus. Hæc quoniā Pilatus simpliciter sciscitabatur vt liberaret innocentem, Iesus illi per ænigma dignatus est respondere, docens aliud regni

genus esse, de quo prophetæ fuissent locuti. Tho. Docet regni mundani imbecillitatem, quoniam à ministris habet fortitudinem, qui pro rege, qui vnus solus homo, cōtra inimicos pugnant: & regni superni firmitatē, quod nullo indiget: mains ergo illi regnum est. Augu. Non dicit, non est hic regnum meum, sed non est hinc, quia peregrinator à domino, inde non habens originem, sed hic est vsque ad consummationem seculi, recipiens bonos & malos, zizania & triticum. Matth. 13. Hoc non plene intelligens, audiens tamen Iesum non profus abnuere regis nomē, sed regni genus distinguere, ait: Ergo ne verū est te regem esse alicui, quodcunque sit istud regni genus quod ad nos non pertinet? Veritatem, ait dominus, quā à me interrogas, tu ipse profers: quia. vere sic est quod rex sim ego, nec tamen talis, vt aucuper mundanum regnum & Romanum. In hoc temporali regno temporaliter natus sum, & veni per incarnationis mysterium, nō per diuinitatis mutationem vel descensum localem, non vt dominarer per tyrannidem, nec vt fallam mendacio: sed vt testificer veritatem, Vera affirmando & in cordibus radicans, & falsa extirpando. 1. Ioā. 3. In hoc apparuit filius dei, vt dissoluat opera diaboli. Cuius simplex est animus, nec huius mundi cupiditatibus obæcatus, agnoscit & audit vocem meam. Duplex distinguit regnum. Alterum mūdanum, in pompa & gloria, deliciis & diuitiis. Matth. 20. Reges gentium dominātur earum. Luc. 7. Ecce qui in veste preciosa & deliciis sunt, in domibus regum sunt, & tale à se ablegat. Vnde paucos habuit discipulos, & eos imbelles ac reues, ipse inermis & imbellis, Videlicet aliis nitens prædidiis, eō quod regnū ipsius non esse terrenū. Alterum spiritus, quo sua gratia regnat in nobis, nostrāque vires suo subiicit imperio. Lu. 17. Regnum dei intra vos est. Romā. 14. Regnū dei non est esca & potus, sed iustitia & pax & gaudium in spiritu sancto. Rabanus: Duo requirūt vt quis sit de regno Christi, primò, vt doctrinæ ipsius veritas audiatur, Secūdo, vt opere impleatur. Col. 1. Qui eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnū dilectionis filij sui, in quo habemus redemptionem & remissionem peccatorum. Sic dominus vbique temperavit respon-

Duplex regnum.

Duo requiri vt sit quis de Christo regno.

sua, vt innocentiam probaret suam, nec daret operam vt elaberetur è iudicio, qui mori decreuerat. Non ergo displicuit Pilato verbum veritatis, quod etiam improbi amant: nam etsi fallere volunt, non tamen falli. Ad hanc amore conuersus, & dulcedine vocis eius allectus, quærit quæ sit veritas illa, cuius participatione homo efficeretur de regno Christi, quod singulare & extra communem hominum vsum intellexit. Sed videns veritatis lögam & difficilem rationem, ac timens dispendium temporis, non audita solutione, festinauit dominum liberare, innocentiam ipsius allegando, vt dicit Chrysofost. Sed neque idoneus fuit discipulus. *Esaia. 7.* Nisi credideritis, non intelligetis. Nouerat enim dominus eum in veritate non stare, sed contra veritatem falsam daturum sententiam.

Ait autem Pilatus ad principes sacerdotum & turbas: Ego non inuenio causam in hoc homine. At illi inualescebant, dicentes: Commouit populum, docens per uniuersam Iudæam, incipiens à Galilæa usque huc. Audiens autem Pilatus Galilæam, interrogauit si homo Galileus esset. Et ut cognouit quod de Herodis potestate esset, remisit eum ad Herodem, qui & ipse Hierosolymis erat his diebus. Herodes uerò uiso Iesu gauisus est ualde. erat enim ex multo iam tempore cupiens uidere eum: eò quod audierat multa de eo, & sperabat signum aliquod uidere ab eo fieri. Interrogauit autem eum multis sermonibus, & ipse nihil respondebat. Stabant autem principes sacerdotum & scribæ constanter accusantes eum. Spreuit autem illum Herodes cum exercitu suo, & illudit indutum ueste alba, & remisit eum ad Pilatum. Et facti sunt amici Herodes & Pilatus in ipsa die, nam antea inimici erant inimicem.

Quid multis, inquit, est opus? examinaui hominem de obiectis criminibus, nihil in eo criminis inuenio. At illi sibi cõsiliij quod argumētis vincere nõ poterant, clamorẽ

intendunt, crimina criminibus, mendacia mendacis conestentes. Imò seditiosus est, aiunt: cõmouit populũ suã doctrina, & turbauit. Theop. Peruertit populum, nec in vna parte tantum, sed in Galilæa incæpit, & peruenit vsque huc. Ob id Galilæam nominant, vt exosum & suspectum Pilato reddat, q̃ similis fuerit Iudæ Galilæo, qui rebellionem & tumultum excitauit, quare periit cum suis, *Actu. 5.* Est autem hoc peculiare crimen euangelicæ doctrinæ: commouet populum, & seditionẽ mouet, impiis aduersus inuisam veritatem insurgentibus. Verum non hic tumultus imputandus est euangelij præconibus, sed hominum insanabili malitiæ, qui veritatem salutiferam obrui maluit, quàm morbum animi deponere. Virtus autem est ignorantem docere, quod ipsi criminis vice inducunt. Beda: Pilatus de præmissa accusatione non interrogandum dominum per seipsum ratus, sed magis nata occasione cupit se ab eo iudicando liberum reddere: ne contra innocentem sententiam ferre cogeretur, quem inuidia traditum nouerat. Herodi illum misit audiendum, cre dens probabiliter quòd hominem suæ ditionis facillè liberaret, maximè innocentem. Egit & in hoc, vt dicit Rabanus, secundum legem Romanorum, quæ iubet quemlibet à suæ ditionis principe iudicari. Quãquam hæc quoque gesta sint diuini dispensatione consilij, vt ab omnibus tribunalibus referret dominus Iesus testimonium innocentia suæ, magis que traduceretur pontificum, scribarum, & primorum militia. Fuerat autem dominus in Galilæa conceptus, *Luc. 1.* nutritus, *Matt. 2.* & ibi bonam partem ætatis suæ transegerat, vnde uenit ad Iordanem ad baptismum, *Matt. 3.* Gauisus est Herodes præsentato sibi domino, non deuotione, sed curiositate, ex eo tempore cupiens uidere eum, quo post Ioannis decollationem rumore miraculorum ipsius audiuit. *Luc. 9.* Quis est iste de quo ego talia audio? Dolositate signum quærebat, simulans se credere more Iudæorum. (*1. Corinth. 1.* Iudæi signa petunt) cum intra se cogitaret extinguere omne semen Dauid, imitator paterni sceleris, quò ipse solus regnaret. Interrogabat Iesum, cupiens aliquid ab illo prolicere, non vt redderetur melior, sed vt suæ curiositati morem gereret, Iesus autem qui non

in hoc venerat ut impii principis libidini seruiret; sed ut omnium salutem procuraret, nihil respondit: nos interim docens, aliquando non promendum sermonem euangelicū, vbi constat indignos esse qui audiant. Gre. Iniquus redemptor noster, tacuit: expectatus, miracula adhibere contempsit, sese apud se in occultis retinēs, eos quos exteriora quaerere reperit, ingratos foris reliquit, magis eligens à superbientibus despici, quàm à nō credentibus vacua voce laudari. Non enim fastidiosis animis alta sunt pandēda mysteria, neq; prodigia faciēda corā lectātibus vanitatē. Stabant autē principes sacerdotū pertinaciter accusādo, & in accusatione perdurādo, tanto utique grauius & iniquius, quōd timebant ne ipsum Herodes abfolueret. Hęc enim erat ipsorum damnata constantia, vt Christus morti penitus traderetur. Spreuit illū tanquam simplicē & fatū, eō quōd nec sibi, nec accusatoribus responderet. Job. 12. Deridetur iusti simplicitas. Qualis rex, talia & latera eius. Eccle. 10. Secundū iudicem populi, & ministris eius. Non est enim verorū regū & iudicū, in iudicio cōstitutum illudere, sed vel damnare conuictum, vel absolue re innocentē. Vnde ludibrij causā veste alba induit. Hanc indignā ignominiam tulit dominus Iesus à crasso rege, & illius armato satellitio quo cingebatur, ne nō haberēt similes labra laſucas. Siquidē apud hoc hominū genus citius gloriam referet funambulus quispiā, aut pręstigator, quā veritatis euangelicę synēcerus prędicator. Ambr. Nō ocioſē veste alba induitur, immaculatę tribuens iudicia passionis, quōd agnus sine macula cū gloria, mundi peccatā susciperet. Nolēs autem offendere primores Iudæorū, remiſit Iesum ad Pilatum, gratum interim habens, quōd Pilatus hoc honoris habuerit sibi, vt videndi Iesu fecerit copiā. Nam antea inimici erant ob necē Galilæorum, quos Pilatus præter consensum Herodis occiderat. miscens sanguinē ipsorum cum sacrificiis, Luc. 13. Theop. Vide diaboli vbiq; coniungentem diſiuncta, vt Christi perficiat necem. Erubescamus, si causā nostrę salutis nec amicos in pprio scēdere cōseruamus. Ipse enim est pax nostra, qui fecit vtraq; vnum, Eph. 2. Caue autem ne vnquam auxiliares copias iūgas cum improbis, alioqui audies de domino illud. 2. Para. 19. Impio-

præbes auxilium, & ideo irā domini merebaris. Prover. 1. Fili, si te laſauerint peccatores, ne acquiescas illis. Impia verō pax est, quā conglutinat iniuriā veritatis euangelicę. Consideremus nunc quā opprobriosisimē fuerit dominus oblatuſ, q̄ falsissimē accusatuſ, quā mansuetē & patienter & silenter se habuit. Sic dei filius dignatus est de iudice ad iudicē duci, ac taliter irrideri, vt nos rei ab æternę mortis iudicio liberaremur, & æterna cōfusione, & demonum illusione, stolāque immortalitatis vestiremur, ac filij dei efficeremur. Non gloriemur itaque in vestium & mundi pompa, sed in domino.

DE EXCVSATIONE, ET in iusta condemnatione per iudicem.

ARTICVLVS XXXIII.

Pilatus autem conuocatis principibus sacerdotum, & magistratibus, & plebe, dixit ad illos: Obtulistis mihi hunc hominem quasi auertentem populum: & ecce ego cum coram uobis interrogans, nullam causam inuenio in homine isto, ex his in quibus eum accusatis. Sed neque Herodes: nam remisi uos ad illum: & ecce nihil dignum morte actum est ei. Emendatum ergo illū dimittā. Et accusauerunt eum summi sacerdotes in multis. & eum accusaretur à principibus sacerdotum & senioribus, nihil respondit. Pilatus autem rursus interrogauit eum, dicens: Non audis quanta aduersum te dicunt testimonia? Non respondes quicquam? Vides in quantis te accusant? Iesus autem amplius non respondit ei ad ullum uerbum, ita ut miraretur præses uehementer.

Pilatus vbi vidit remitti reū, nec successisse quod conatus fuerat, ex iudice cepit esse patron⁹ Iesu. Vide quo modo primores Iudæorū populum concitarūt, vt sese sequerentur de iudice ad iudicē, ad persequendum Iesum.

Attende quanta solertia verba librans, Christi enunciat innocentiam: qui cum quasi auertentem dicit ab obedientia Cæsaris ac legis Iudæorum, quia non credebat verū, q. d. vcs in probatione deficitis, iudicari autem sine sua confessione non potest. quare coram vobis interrogo si in aliquo deliquit, ex aliis incognitis mihi iudicare eum nō licet. Idem accidit Herodi, qui me certius poterat his, de rebus iudicare, peritus legum vestrarum: nam hac de causa reieci cognitionem ad illius tribunal. Beda: Audi cæce Iudæe, audi crudelis pagane. Pilatus ipse cōfiteatur neque se, neque Herodem dignum quid morte in Christo reperisse, sed tantum in illudendo innoxium alienæ crudelitatis obtemperasse clamoribus. Hierony. Lentus ergo Pilatus, nec satis erga veritatem seuerus, quia timebat accusationem (Prouer. 29. Qui timet hominem, cito corruet) subiungit, Proinde præstat, imitari nos Herodis æquitatem. pœna quapiam non capitali castigatum dimittam hominem. Beda: Flagris & ludibriis illum quantum iubetis afficiam, dummodo innoxium sanguinem non siciatis. Audientes Iesum viuum dimittendum, & accusationes suas subuersas, exarserunt sicut ignis in spinis. Ex iudicibus fiunt accusatores: Nam summi sacerdotes, ne qua posset elabi Iesus, varios criminum articulos in illum congerunt, vt ex multis aliquod saltem esset, quod moueret iudicem non admodum iniquum. Dominus vt patientiæ & mansuetudinis daret exemplum, nihil respondit, neque ad sui excusationem, neque ad dictorum refragationem, neque ad accusantium improperationem, ne crimen diluens dimitteretur, & crucis utilitas differretur, vt dicit Hierony. Rursum ergo quum instarent accusatores, Pilatus cupiebat ex ipso elicere quo liberaretur. Chry. Quia corruptum erat iudicium, agnus coram tondente se obmutuit, Esa. 53. Mirabatur ergo præfes hominem innoxium, in periculo capitis tanta mansuetudine obticefcere, sciens quod falsè posset se excusare, præsertim cum haberet iudicem pro se. Augu. Non voluit propheta vt nunquam loqueretur, quibusdam enim interrogationibus respondet, sed propter illa in quibus non respondit, dicta est similitudo de agno, vt non reus suo silentio, sed innocens haberetur.

Cūm

Cūm ergo iudicaretur, vbicumque non aperuit os suum, sicut agnus, non aperuit, id est, non sicut mali sibi conficius de peccatis conuincetur propriis, sed sicut mansuetus, qui pro peccatis immolabatur alienis. Amb. Dominus tacet, & bene, qui defensione non indiget. ambia defendi, qui timent vinci. Non ergo accusationem tacendo confirmat, sed despicit non refellendo.

Per diem autem solennem consueuerat præses, & necesse habebat eis dimittere unum ex uinctis, quemcunque uolissent & petissent. Habebat autem tunc uinctum unum insignem, qui uocabatur Barrabas. Erat autem Barrabas latro, qui cum seditiosis erat uinctus, & in seditione fecerat homicidium. Congregatis autem illis, respondit Pilatus & dixit: Est autem consuetudo uobis, ut unum dimittam uobis in pascha. Quem ergo uultis dimittam uobis, Barrabam, an Iesum qui dicitur Christus? Sciebat enim quod per inuidiam tradidissent eum summi sacerdotes. Pontifices autem & summi sacerdotes & seniores populi, persuasurunt populis, & concitauerunt turbam, ut magis Barrabam dimitteret eis, Iesum uerò perderet. Et cum ascendisset turba, cœpit rogare sicut semper faciebat eis. Respondens autem præses, ait illis: Quem uultis uobis de duobus dimitti? Exclamauit simul uniuersa turba, dicens: Non hunc, sed tolle hunc, & dimitte nobis Barrabam.

Pilatus in sacerdotibus nihil esse præsidij sentiens, cōfugit ad populum, sperans vt illorum fauore liberaretur Iesus. Bed. Hæc consuetudo non erat legis præceptū, sed ex antiqua patrū traditione descenderat, ob memoriam liberationis ex Aegypto, qua uinctum liberabant, & hanc ab imperatore sibi seruari impetrarant. Chryf. Per hanc consuetudinē eripere tentauit, & vt Iudæis ne umbra quidē excusationis remaneret, manifestus homicida in cōparatione Christi adducitur. Nam ob facinora insignis erat & populo inuisus. Nec hoc temerè accidit,

Ee

sed dispensatione diuina, ne quid esset unde nõ haberet testimonium innocentiae suae dominus Iesus. Illud enim magnopere referebat, vt cõstaret omnibus mortem eam nobis redimẽdis fuisse gratis impensam. In hunc quoniã sciebat p̄ses publicũ esse ciuitatis odium, sperabat fore, vt citiũs pateretur dimitti Iesum de multis bene meritum, quã hominẽ publicæ tranquillitatis hostem. Auger hoc crimen Pilati, quod non ignorantia, sed scienter delinquit, sciens per inuidiã traditum. Quum populus in stare, vtrũ mallent sibi donari, suasu leniorum & sacerdotum factum est, vt sibi poscerent Barrabã, & huius loco Iesus occideretur. Chry. Putabant se astruere posse Iesum deteriorem latrone, ac adeo nequam, vt neque pro pietate, neque pro festi prerogatiua deberet liberari, itaque p̄ses non consentiens, vt liberam prout solebãt, haberent ex omnibus optonem, pro nunc proposuit illis, vtrum è duobus sibi vellent condonari diei festi gratia. Populus seductus vnã clamabat: Non hunc quem tu vis, sed tolle hunc, qui grauis est nobis ad videndũ. Ambro. Non immeritõ homicidæ absolutionem petunt, qui innocẽtis flagitant occisionem. Tales leges habet iniquitas, vt quod oderit innocentia, iniquitas diligit. Augu. Quid hoc est dicere, nisi quod occidatur ille qui viuificat mortuos, & dimittatur latro vt iterum occidat viuos?

Iterum locutus est ad eos Pilatus, uolens dimittere Iesum: Quid igitur faciam de Iesu, qui dicitur Christus? At illi succlamabant omnes, dicentes: Crucifige crucifige eum. Erat autem quasi tertia. Ille autem tertio dixit ad eos: Quid enim mali fecit iste? Nullam causam mortis inuenio in eo. Corripiam ergo illum & dimittam. At illi magis clamabant, & instabant uocibus magnis, postulantes ut crucifigeretur: & inualecebant uoces eorum.

Pilatus furorem populi compescere uolens, ac simul sperans quod miriori poena quapiam forent contenti, interrogat de Iesu innocenti quid agendum, dum latro publicus festo donatur. Bed. Quãta perditorum crudelitas,

qui non solum occidere innocentem, sed pessimo genere mortis occidere desiderat? Pendentes enim in ligno crucifixi manibus & pedibus, producta morte necabantur, diu uiuẽtes in cruce, non quia vita longior eligebatur, sed quia mors ipsa protẽdebatur, ne dolor citiũs finiretur. mala fuit (Bernar.) electio, sed peior innocentis crucifixionis postulatio. Nam tanta ipsis exhibuit beneficia, ex cõ passione ipsorum deesseuit incommoda, Luc. 19. Ac ne sic quidem pilatus cessit illorum clamoribus, sed tertio conatus est illos compescere. Chryl. Intuere quã sapienter non ait, quia peccauit & dignus est morte, donare eũ festo: sed primum eum excusat, & eruens eum à causa omni, tamen ex superabundanti rogat, vt si nollet vt innoxium dimittere, saltem vt noxium donarent festo. q. d. Iniustum est innocentem tam despecto mortis gerere perire, ubi latro manifestus dimittitur liber. Non enim solum studebant Iesu vitam eripere, sed famam etiam honestam abolere, quod est homicidio crudelius. nã lex execrabilem pronunciat, quisquis pender in ligno. Deute. 21. Beda: Quia totam suam accusationem quam aduersus dominum intulerant, crebra ac sollicita Pilati excusatione & examinatione videbant euacuatam, tandem impudenter ad solas se preces conuertunt: vt quod criminando & quasi rationando nequiuerunt, postulando & uociferando perficerent. Quanto ergo magis Pilatus ostendit domini innocentiam, tanto magis furens populus damnationis clamabat vindiciam.

Tunc ergo apprehendit Pilatus Iesum, & flagellauit Milites ergo p̄stitis suscipiẽtes Iesum, adduxerunt eum intrõ in pratorium, & congregauerunt ad eum uniuersam cohortem: & exuentes eum, chlamidem cocineam circumdederunt ei: & plectentes coronã de spinis, posuerunt super caput eius, & arundinem in dextera eius. Et ueniebant ad eum, & genu flexo ante eum, illudebant ei, dicentes: Aue rex Iudæorum: & dabant ei alapas. Et expuentes in eum, accipiebant arundinem, & percutiebant caput eius, & ponentes genua adorabant.

Pilati quãtum initio erga Christum liberatio nẽ studiũ.

Et postquam illuserunt ei, exiit iterum pilatus foras, & dixit eis: Ecce adduco eum uobis foras, ut cognoscatis quia in eo nullam causam inuenio. Exiit ergo Iesus portans spineam coronam & purpureum uestimentum. Et dixit eis: Ecce homo.

Præces, ubi tentatis omnibus perspiceret sese nihil proficere apud furentem Iudæorum populum, iuxta morem Romanorū iussit Iesum virgis cædi. Egrediamur ad horrendum hoc spectaculum. Spoliatur uestibus corā omnibus speciosus forma præ filiis hominū. Psalm. 44. suscipit flagella spurcissimorū tam dura quā dolorosa: flagellatur vndique: nihil in pulcherrimo corpore non saucium plagis, liuore oblitum. fuit vndique sanguis regius de omnibus partibus corporis. Superadditur, spissatur, reiteratur liuor super liuorem, fractura super fracturā, quousque tam tortoribus quā insectoribus fatigatis solui iubetur à columna. O homo perditæ, omnis huius tu contritionis causa existis: ecce agnus innocens que nō rapuit exoluit, & tu neque deuotionis gratitudinem, neque compassionis rependis affectū. Sed nec eo crudelitatis contēti phanati homines, addunt capiti spineā coronā, eamque profundant, velut regnum affectatum exprobrantes homini humili & contempto. Et quoniam veteres reges purpura utebantur, cui coccineus color similis est, exutum veste purpurea circumdederunt eum, vt dicit Ioannes, alij chlamydē dicunt coccineam. Fuit autem corona de iuncis marinis, qui ob sui duritiem calceamenta de supergradientium penetrant: & quia fuit per modum infule seu pilei, totum caput ambiendo confixit. Chryl. Mille puncturis caput eius impleuerunt, ita vt sanguis copiosissimè per faciē & genas deflueret, oculos & aures replens. Addunt regij sceptri loco arundinem in manu, quo decrare volunt inanitatē regni arrogati. A dorationis simulatione irridēt, vnde alapas haud dubium quin grauissimas dabant. Excreant in gloriosam illā faciē, de qua dicitur Sapient. 7. Candor est lucis æternæ. Psalm. 79. Ostēde faciē tuam, & salui erimus. In maiorem contemptū & doloris augmentum, caput illud angelis reuerendum

Corona
Iesu vnde,
seu qualis.

percutiebant, & derisorie adorabant. Bonau. Cerne nunc caput illud plenum spinis, ictibus arundinis vulnerari grauissimè, totum sanguine madens, qui commixtus spuris, ipsum vt leprosum fecit apparere. Esa. 53. Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit, & nos reputauimus eum quasi leprosum, & percussum à deo & humiliarum. Ansel. Attende quis est hic qui ingreditur habens quasi imaginem regis, & nihilominus serui despectuissimi confusione repletus. Coronatus incedit, sed ipsa corona cruciatus est, mille puncturis speciosum eius caput diuulnente: regali purpura induitur, sed in ea magis despicitur quā honoratur. sceptrum in manu gestat, sed eo ipso venerandum eius caput feritur: adorant coram illo & regem conclamant, & continuo ad conspuendum amabiles eius genas subiliunt: maxillas palmis percutiunt, & honorabile collum eius exhonorāt. Ad omne genus ludibrii sese mansuetissimè præbebat Iesus omnium rerum dominus, quod nos (qui quum nihil sumus, tamen animos excelsos ac præferoces gerimus) doceret lenitatem, & in malis tollerantiam. Hæc autem passus est fieri Iesum Pilatus, vt Iudæorum odiū hac hominis afflictione placaret. Sed non excusatur à toto: quia cum iudex esset populi, innocentem absolueret debuit, & nocentium nequitiam coercere. Eccle. 7. Noli querere fieri iudex, nisi valeas virtute irumpere iniquitatem, ne fortè extimefcas faciē potentis, & ponas scandalū in agilitate tua. Pro. 17. Qui iustificat impium, & qui condemnat iustum. abominabilis est vterque apud deum. Præses itaque rursus egressus, tērat an posset multitudinis sauitiam mitigare. Audis semper inculcari innocentiam Christi. Non inuenio, inquit, etsi intentatum crimen verberibus elicere ac tortura contenderim. August. Exiit Iesus non clarus imperio, sed plenus opprobrio, spineam gestans coronam & purpureum uestimentum. O quantus dolor cor apprehendit maternum, tota doloribus, tota amaritudine ex filio spectato plena. Ecce homo. Augu. Si regi inuidetis, iam parcite, quia denictum videtis, seruet ignominia, frigescat inuidia. Eccle. 13. Omne animal diligit sibi simile, & omnis homo ad similem sibi coniungetur. O homo, ecce homo propter te natus. Esa. 9. Parvulus natus est no-

bis, & filius datus est nobis. Cum hominibus conuersatus, Baruch. 3. Pro hominibus immolatus. Esaia. 53. Oblatus est quia ipse voluit. Ansel. O pie Iesu, illudendum te misit Pilatus Herodi, illudum recepit, in conspectu irrisorum te stare iussit: nec pepercit amarissimis verberibus virginam carnem tuam diuellere, plagas plagis, liuores liuoribus infligens. O domine, quid tanta amaritudine dignum commiseras? Prorsus nihil. ego homo perditus, totius contritionis tuæ causa fui. Amor tuus, & iniquitas mea, sic fecit imbecilem.

Cum ergo uidiissent eum pontifices, clamabant: Tolle tolle, crucifige crucifige eum. Dixit eis Pilatus: Accipite eum uos, & crucifigite. ego enim non inuenio in eo causam. Responderunt ei Iudæi: Nos legem habemus, & secundum legem debet mori, quia filium dei se fecit. Cum ergo audisset Pilatus hunc sermonem, magis timuit: & ingressus est iterum in prætorium, & dixit ad Iesum: Unde es tu? Iesus autem responsum non dedit ei. Dixit ergo ei Pilatus: Mihi non loqueris? Nescis quia potestatem habeo crucifigere te, & potestatem habeo dimittere te? Respondit Iesus: Non haberes potestatem aduersum me ullam, nisi datum esset tibi de super. Propterea qui me tradidit tibi, maius peccatum habet. & exinde querebat Pilatus dimittere eum. Iudæi uero clamabant: Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris. Omnis enim qui se regem facit, contradicit Cæsari.

Hoc spe & aculo, quo quatuor barbarorum feritas poterat mitescere, non solum non sunt mitigati Iudæorum animi, sed magis etiam accensi sunt, ut quod hæcenus successisset perficerent. Tolle, inquiunt, quia grauis est nobis etiam ad uidendum. Sapient. 2. Bis ingeminant, crucifige, quo mentis ostendunt pertinaciam, & desiderij uehementiam. Psalm. 21. Aperuerunt super me os suum, sicut leo rapiens & rugiens. Rabanus: Salubrius ingeminarent, miserere mei deus, miserere mei. Pilatus intelligens ex captata misericordia nihil esse spei, metu tentat furo-

rem illorum coercere. Ego, inquit, iuris administrator sum, non alieni odii vindex: & nocentes legum autoritate punio, non sum innocentiae carnifex. Vos hominem vestro periculo abducite, & si uidetur, crucifigite, ego non soleo crucifigere nisi nocentes & facinorosos: in hoc nulum crimen inuenio. Nec enim satis est reo crimine imponere, nisi certis argumentis probetur quod obiectum est, præsertim quoties de periculo capitis hominis agitur. Iudæi audientes Pilatum tanto studio patrocinantem Iesu, nec omnino committendum ducerent, ut aliquo pacto elaberetur Iesus, crimen commenti sunt, quod apud iudicem peritum legis graue uideri posset, d. Quauis nihil commisisset aduersus leges Cæsareas, tamen secundum legem nostram, sibi diuinitatem arrogans in Deum blasphemus, debet mori, Leuit. 24. Mira peruersitas & cæcitas, quasi mentitus sit quia se dixit filium dei, quum id & per scripturas, & opera ostenderit. Ioan. 5. Opera quæ dedit mihi pater ut faciam, hæc testimonium perhibent de me. Scrutamini scripturas, in quibus putatis uos uitam æternam habere, illæ sunt quæ testimonium perhibent de me. Non ergo arrogantiae, sed ueritati adscribendum, quæ omnibus anteponenda est. Magis timuit, ne si dimitteret, contra legem ageret, à iudæis accusandus: si non dimitteret, filium dei crucifigeret, & sic factum enorme fecisset, filium dei flagellando: & ne secundum glossam apud Cæsarem accusaretur crimine læsæ maiestatis, se maiorem iudicando, qui potius fuerat ad imperatorem mittendus. Chrysosto. Pilatus timore percussus, inquisitionem extra tumultum facit. Non autem de patria, quam antè in accusatione audierat, sed generis origine quaerit, qua cognita, refelleret quod affectu affectu uideri filius dei: quæ apud ethnicos tum fabulis poetarum creat proditum, & vulgò credebatur quosdam ex deo & homine natos, semideos haberi. Sed dominus responsum non dedit, quia secundum Chrysosto. quaestio supra captum erat humanum, Esa. 53. Generationem eius quis enarrabit? Et ne secundum Augustin. passionem prolongaret, vel impediret. Nouit enim Pilatum hæc omnia tentare, quò tandem uitam illi lucrifaceret, nec ignorans futurum, ut omnibus tentatis obstinato

Timoris
Pilati
causæ.

Iudæorum furori cederet, ne videretur omnia conatus vt elaberetur, nolens ad mortem actum fuisse. Pilatus admiratus hominis silentium in capitis periculo, cum iudicem haberet tam fauentem, vt eum ad respondendum prouocaret, mihi, inquit, non loqueris? Chryso. Eodem nauit seipsum Pilatus, cur enim non dimisit, quem innocentem nouit & toties proclamauit? Tunc dominus abiecto silentio, humiliter imperito dans doctrinam, vt eum à fastu & errore quo tenebatur, erueret: Habes, inquit, tu quidem potestatem iuxta leges humanas, sed in me nullam haberes, nisi permissum esset ab eo, cuius potestas superat omnem humanam potestatem. Ostendit eum aliena legatione fungi, porro eos quorum legatione fungeretur, non à se, sed aliunde imperij gubernacula tenere, nempe à deo. Rom. 13. Non est potestas nisi à deo. Qui verò à deo magistratum gerant, nisi suo malo perire velint, quod iustum est, iustè exequantur oportet. Deuter. 16. Propterea quia hæc dicis studio dimittere me, & quia fecisti humano timore, non inuidia fecisti, minus quidè quàm is qui me tibi auaricia vel inuidia tradidit: sed tamen peccasti. Hoc audito, Pilatus cum intelligeret hominis & modestiam & innocentiam, ac Iudæorum malitiam, suamque æquitatem non esse reo incognitam, cui hoc magis fauebat, quòd videret eum nec mortis periculo commoueri, tentabat omnes vias, vt aliquo pacto Iesum absolueret. Id sentientes Iudæi, quòd crimè illud prius ex lege intentatum præles negligeret, nec cessaret hoc agere modis omnibus, vt Iesus dimitteretur: ad prius crimen redeunt, quod ostendunt nec ipsi iudici tutum negligere, quanquam paulò antè satis superque explosum fuit. Si nihil, inquit, ad te pertinet quòd peccauit in deum nostrum, certè ad te pertinet quòd peccauit in Cæsarem. Non es amicus Cæsaris, qui faueas Cæsaris hosti, Raba. Licet regnum Christi in nullo esset contra honorem imperatoris, Iudæi tamen calumniosè sic arguebant. Pilatus verò non audebat vel in minima apparentia quicquam agere contra Cæsaris honorem. Augustinus: Non potuit Pilatus contemnere Cæsarem authorè potestatis suæ, quemadmodum legem gentis alienæ.

Pilatus autem cum audisset hos sermones, adduxit foras Iesum, & sedit pro tribunali in loco qui dicitur lithostratos, hebraicè autem Gabbatha. Erat autem parasceue, hora quasi sexta. Sedente autem illo pro tribunali, misit ad illum uxor sua, dicens: Nihil tibi & iusto illi. multa enim passa sum per usum hodie propter illum. Et ait Iudæi: Ecce rex uester. Illi autem clamabāt: Tolle tolle, crucifige eum. Dixit eis Pilatus: Regem uestrum crucifigam? Responderunt pontifices: Non habemus regem nisi Cæsarem. Videns ergo Pilatus quia nihil proficeret, sed magis tumultus fieret, accepta aqua lauit manus coram populo, dicens: Innocens ego sum à sanguine iusti huius, uos uideritis. Et respondens uniuersus populus, dixit: Sanguis eius super nos & super filios nostros. Tunc Pilatus uolēs satisfacere populo, adiudicauit fieri petitionem eorum, & dimisit illis Barrabā, qui propter homicidium & seditionem missus fuerat in carcerem; quem petebant: Iesum uerò flagellis cæsum, tradidit uoluntati eorum, ut crucifigeretur.

Beda: Erat locus ille sublimis & altus ante domum Pilati, vt coram omnibus euidentiùs de facto inquireretur, & obiectiones diluerentur. Dicitur autem parasceue præparatio latinè, quia illà diè Iudæi cibos parabant pro sabbato sequenti. Primus homo sexta diè, hora quasi sexta, mandatum transgressus fuit, sic secundus crucifixus. Sedente illo in sede iudicaria, cõfugit diabolus ad antiqua uascula, vt quemadmodum terrenum Adamum è paradiso eiecit, itè secundi Adami, qua exulandus erat, mortè impediter. Productus est igitur Iesus tanquam reus, foras, quò in eo condemnando nullius iudicij esset species legitima obseruata. Ecco, inquit, quem & qualem de affectato accusatis regno. Sed magis placebat Iudæis ignominiosa mors, sperantibus fore, vt crucis ignominia prorsus abominabilem Iesu redderent memoriam, qui nomen illius sic extincti proficeretur. Pilatus, rridens il-

Qua hora præparatus Adam, eadem condemnatus Christus.

lorum pertinacem insaniam : quid, inquit, an regem vestrum tanta afficiam ignominia, ut suffigam in crucem? Sed tanta erat vlciscendi libido, ut sese vitro in æternam seruitutem addiceret, quò se sum libertatis authorem extinguerent. Chrysostomus: Quia voluntariè negauerunt Christum & regnum cælestè, iusto Dei iudicio facti sunt serui potestatis terrænæ. Daniel. nono: Et nõ erit eius populus qui eum negaturus est. Videns præses se nihil proficere laborâdo pro Christi liberatione, saluo fauore populi & Cæsaris, sed q̄ magis turbatio fieret populi in cõtrarium clamantis, ait: (Hieronymus) Ego quidem innocentem volui libertati reddere, sed quoniam seditio oritur, & rebellionis crimen contra Cæsarem mihi imponitur, sicut lauo manus, sic & conscientiam. Innocens ego sum. Vos videritis quid vobis contingat pro culpa quàm committitis. Ego quidem minister legis sum, vox vestra sanguinem fundit, vnde pœnam sentietis. Beda: Mos erat antiquorum, lauare manus coram populo, quum quis innocentè se ostendebat à delicto. Ambrosius: Manus quidem lauat, sed facta non diluit: iudex enim nec inuidiæ cedere debuit alienæ, nec timori, ut sanguinem funderet innocentem, & morti addiceret innoxium. Nec hac voce deterriti sunt infelices Iudæi, vltionè sanguinis sibi imprecantes & posteris, Sed Christus clementior in illos quàm essent in sese, neminem repulit à venia, modò respicere. Complures enim post adorauerunt crucem Christi, qui tunc in turba clamauerunt, tolle tolle, crucifige eum. impetus & pertinacia non permiserunt eos aspiciere quantum malum sibi & filiis imprecarentur, ut dicit Chrysostomus. Tunc Pilatus à veritate auditum auertens, & à iustitia declinās, pietate relicta, in impietatem versus, nolens Iudæos offendere, nullumque suspicans malum, tam pauperem & si innocentè condemnare, maximè cum appareret contradicor, tandè tradidit illum crucifigendum, cui pauld ante fauerat. Leo: Sic iudex iniquus vno timore percussus, & fauore victus qui plurimis p̄suasionebus vincere tentauit, lotis manibus, ore polluto, iisdem labiis misit Iesum ad crucem, quibus eum pronunciauerat innocentem. Vide & alta mente reponè apud te iniquam sententiam, animaduer-

tito qui sint iudices, qui accusantes, qui testes, quæ acta & merita causarum. Iudicatur ut homicida, qui nos è mortis faucibus eripit, excipit truculentam sententiam, demittit atque in terram defigit inclytam faciem, interim tamen ut agnus tacitus sese præbet ad omnem contumeliam, nostris malis debitam ignominiam in se transfrens: ut nos eueheret ad suam gloriam. Esa. 53. Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros, ipse portauit. Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras, atque tritus est propter scelera nostra.

DE CRUCIFIXIONE, & voluntaria ex- piratione.

Uscipientes autem Iesum postquam illuserunt ei, exsuerunt eum purpura, & induerunt eum uestimentis suis, & educunt ut crucifigerent. Et baiulans sibi crucem, exiit in eum qui dicitur caluarie locum, hebraicè autem golgotha. Et cum exeuntes ducerent eum, apprehenderunt prætreuntem, quempiam homin. m Cyrenæum, nomine Simonè, patrem Alexandri & Rufi, nientem de illa. Hunc angariauerunt ut tolleret crucem eius, & imposuerunt illi crucem portare post Iesum. Sequebatur autem illum turba multa populi & mulierum quæ plangebant & lamentabantur eum. Conuersus autè Iesus ad illas, dixit: Filie Hierusalè, nolite flere super me, sed super uos ipsas flete & super filios uestros: Quoniam ecce uenient dies, in quibus dicent: Beate steriles & uirtres qui non genuerunt, & ubera quæ non lactauerunt. Tunc incipient motibus dicere, cadite super nos: & collibus, cooperite nos. Ducebantur autè & alij duo nequam cum eo, ut interficerentur,

Exiit purpura, qua ludibrio habitus est: & induit propriis, vt ab omnibus agnoscat, & quò omnibus qui ei fauerant, magis esset opprobrio. Nihil enim non exco- gitant malorum scelerù ministri, quo Christum profus extinguant, porròque doloribus afficiant. P. sal. 38. Et do- lor meus renouatus est. Non enim potuerunt sine magno dolore vestes impactæ vulneribus extrahi, quin & vul- nera à nouo rumperentur, vt totus sanguine perfunde- retur. Ipse humiliter crucè sibi baiulat, nam & hoc pro- curatum est à Iudæis, ne quid ignominia deesset. Chry. Quia lignum crucis vt prophanum vitabant, Christo im- ponunt, condemnato, neficii implentes scripturâ. Esaia. 9. Et factus est principatus super humerù eius. 1. Pet. 2. Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignù. Bonaué. Cerne hic eum, quomodo vadit curuus sub cruce, vehementer anhelâs, tota nocte opprobriis & verberibus fatigatus. Credendum est piè, omnem scapularum cutè vsque ad crudæ carnis reuelationè defricatam fuisse, & priora vulnera aut innouata, aut in vnum vulnus nimia conficatione, redacta. Siquidem (vt historia tradit) crucis lignum longum fuit. 15. pedum, & grossum, in quo perfectæ staturæ vir pulcherrimus exaltâdus erat, vt omni populo còspicius esset. Ioan. 3. Sicut exaltauit Moyses serpentem in eremo in ligno, sic exaltari oportet filium hominis. Syriis dicitur golgatha, id est, caluarie locus, q̄ funestus esset ossibus & caluariis interfectorum, vt locus quoque responderet figuræ. Nam víctima qua consecra- batur testamētū, extra scepra populi immolabatur, Heb. 13. Quorum enim animalium sanguis infertur pro pecca- to in sancta, per pōtificem, horum corpora cremâtur extra castra: propter quod & Iesus vt sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est. Exeamus igitur ad eum extra castra, improperium eius portantes. Imposuerunt Simoni volenti nolenti domini crucem, vt Iesu præcedente baiularet post illum. Chry. Hoc nō misericordia moti fecerunt, sed quo citius ad mortè peruenirent, & ne aliquo casu impèdissentur. per iudicem, quem inuitum ad sententiam induxerant, cum ad liberationem innocentis esset propèsus. Bern. Iesus nimis passionibus affectus, graue crucis pòdus expedite portare nō poterat

*Cruce Iesu
quanta.*

quosdam necessitas adigit ad amplectendam crucem Ie- su: verum hæc est felix necessitas, quæ propellit ad salu- tem. Apostoli neminem cogunt ad Christum, sed milites cogunt. Bed. Multa turba, sed non eadem mente, domini crucem sequebantur, quidam enim vt cuius mortem im- petrauerant, morientem læti aspicerent: mulieres verò vt quem viuere desiderabant, moriturum, morientem, & mortuum plorarent. Non autem solus mulierum ideo inducitur planctus, quin numerus etiam innumerus cre- dentium virorum de eius passione fuerit mœstissimus: sed quia sexus fœmineus quasi contemptibilior, liberiùs poterat præsentibus sacerdotum principibus & magi- stratibus, quid contra eos senserit, ostentare. Quò fuit an- tè famosior, eò iam plures sequebantur ad videndum spe- ctaculum. Sacerdotibus igitur ac scribis gaudētibus, mu- lieres plangebant & lamentabantur de morte innocen- tis. Dominus verò qui nouit eos qui sunt eius (2. Tim. 2.) prætermissa furentis populi turba, ad amantes & plan- gentes se feminas, & oculos & ora conuertit. Theop. Nō prohibet eas simpliciter flere, sed arguit causam & mo- dum flendi, quia plorabant quâ pro se Christus patere- tur, & non pro totius generis humani salute. Sic & nos passionem ruminantes, causam passionis, hoc est pecca- ta nostra descamus. Admonuit ergo, quò propriam cala- mitatem & filiorum suorum, imminentesque pœnas ac culpam propriam deplangerent. Sunt qui aliorum erra- ta & miseriam plangunt, seipsos negligentes. Eccle. 30. Misereere animæ tuæ placens deo. Beatæ steriles, grauius enim cruciatur materna pietas in malis liberorū, q̄ pro- priis. Nunc exultant primores cū popularibus, quasi re- bene gesta: sed tūc cū venerit ille dies vltionis diuinæ, tanta formido malorum ingruētium corripet animos il- lorum, vt montibus dicturs sint, cadite super nos.

*Quatenus
mulieres
flere vetue-
rit Iesus.*

Quòd si in uiridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?

Si illorum malitia tale exemplum edidit in hominem vndiquaque inculpatum, quale exemplum edi conuenit in eos qui prauis cupiditatibus vndiq; corrupti, non po- tuerunt ad vllam bonam frugem adduci? Bernardus: Si tu dominator, arbor sancta, lignum fructiferū & benedi-

Etum, tatum pateris, quid erit de nobis miseris qui lignum
 sumus aridum & aptum igni? Prouerb. 11. Si iustus in ter-
 ra recipit, impius & peccator quanto magis? Et ne quid
 superesset ignominia, procuratum est vt simul alij duo
 facinorosi ducerentur cum eo, vt nocens ex flagitiosorum
 consortio existimaretur.

Et postquam uenerunt in locum qui dicitur gol-
 gotha, quod est interpretatum, caluarie locus, dederunt
 ei uinum myrrhatum bibere cum felle mixtum. Et cum
 gustasset, noluit bibere. Ibi crucifixerunt eum, et cum eo
 duos alios, unum a dextris, et alterum a sinistris, medium
 autem Iesum. Et impleta est scriptura, dicens: Et cum
 iniquis deputatus est. Scripsit autem et titulum Fila-
 tus, causam ipsius, et posuit super caput eius. Erat au-
 tem scriptum: IESVS Nazarenus rex Iudeorum.
 Hunc ergo titulum multi legerunt Iudeorum, quia prope
 ciuitatem erat locus ubi crucifixus est Iesus. Et erat
 scriptum hebraice, graece, et latine. Dicebant ergo Fi-
 lato pontifices: Noli scribere, rex Iudeorum, sed quia
 ipse dixit, rex sum Iudeorum. Respondit Pilatus: Quod
 scripsi, scripsi.

Locus caluarie dictus, quod hominum illic occisorum
 carnis & ossibus albicaret. Hic, ne qua pars esset corpo-
 ris sine poena & cruciatiu, aut ne quid omitteretur Iudi-
 brij, dabant ei uinum acidum myrrha & felle corruptum
 Multo aliter didicerunt a Salomone, Prouer. 13. Date sice-
 ram merentibus, & uinum his qui amaro sunt animo,
 vt bibant & obliuiscatur egestatis suae, & doloris sui non
 recordentur amplius. Augu. Quicquid in ligno perdidit
 Adam, hoc Christus in ligno inuenit. Nam sicut Adam
 inobediens, manus extendit ad lignum, vetitum gustans
 cibum feria sexta, hora sexta: sic & Christus patri obedi-
 ens, innocentes manus extendit in ligno crucis feria se-
 xta, hora sexta. Theop. Quia enim per lignum mors in-
 trauerat, necesse erat vt per lignum exterminaretur. Bre-

uiter hic euangelista transeunt, nobis vero non transeun- *Cōtemplā-*
 ter ruminandum. Principio hic obserua rursus exui Chri- *da circa le-*
 stum corona, vestibisque omnibus, hinc stillicidium to- *su cruci-*
 to corpore ebulli, hinc cruore omnia consperguntur. *fixionem*
 Heu heu domine, qui caelum vestit diuersis luminaribus *quae.*
 & terram floribus, ante crucem exiit vestibibus suis.
 Nudari uoluit, vt nos indueret nunc indumentis virtu-
 tum & gratiae, deinde in futuro gloriae & gaudiorum.
 Secundo, quomodo nudus coram omnibus sedet, defixis
 in terram luminibus, dum singula parantur, cernitur ab
 omnibus, ridetur ab omni humano solatio destitutus. Ac-
 celerat pia ac mœstissima mater amaritudine plena, ve-
 lo capitis cingens & regens uerenda. Tercio, quae dire cru-
 ci affigitur. Bonauen. Conspice quae despicabiliter ipsum ar-
 ripiunt, & sicut ribaldum uilissimum dorso tenus super
 crucem prosterunt, furibundè brachia extendentes, &
 cruci affigentes. Similiter & de pedibus factum induere,
 quos traxerunt quantum uolentissimè potuerunt. Erant *Clauis qua-*
 clauis quadri & obrui in acuminibus, quare carnem, ner- *les.*
 uos, & ossa secum intra foramina trahebant, maximum
 dolorem inferentes. Psal. 21. Foderunt manus meas & pe-
 des meos, dinumerauerunt omnia ossa mea. Sic enim ex-
 tensus fuit, vt omnes iuncturae ossium discerni & dinu-
 merari potuissent, quae maxima fuit poena. Ber. O anima
 deuota, uolue & reuolue corpus dominicum, & ubique
 inuenies dolorem & cruorem. Verè tam miserabiliter pe-
 debat rex gloriae, tamque poenaliter iudex uiuorum & mor-
 tuorum, vt solo aspectu in eius compassionem mollesce-
 re potuerint corda lapidea. Nam post crucifixionem poe-
 nosam in sublime crucem leuantes, magno impetu mi-
 serunt in foramen petrae, quod parant clamantes & insulta-
 tes: Sic eleuari decet qui se regem fecit. Et huius uolenti-
 ti lapsu, uulnera manuum & pedum innouata sunt & aper-
 ta, & sanguis copiosissimè effluxit. Esa. 53. Iple autem uulne-
 ratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter sce-
 lera nostra. Quarto, quod latronibus ueluti princeps latronum
 sociatur. Chry. Pariter crucifigunt latrones, non tam inimi-
 ci latronum: participes enim erant sceleris eorum, nam Pilato dice-
 re, quae uultis uobis dimitti, latrones latronem petierunt, do-
 minum autem occiderunt. Ideo autem fecerunt, ut passionem domi-

ni macularent, & ipsum infamarent q̄ nō sine causa passus sit. Quicquid autem Iudæorum malitia potuit ex cogitare in ignominiam domini Iesu, id ille vertit in gloriam suam, nōstramque salutem. Crux probrosa, per illum facta est triumphale signum, cui mundus inclinatus caput, quod adorant angeli, quod tremunt dæmones. Invenit illic condemnatus, qui faceret ex latrone paradisi civem, tantum aberat ut supplicij societas contaminaret ipsum. Sic visum est diuinæ sapientiæ, quod vel tam insigni exemplo nostram frangeret superbiam, qui pro malefactoris etiam laudem expetimus ab hominibus. Chrysostomus: Mos erat olim Romanorum, scribere titulum, hoc est, causam mortis, ut intuentes legerent q̄ secundum leges iuste iudicati essent. Cautum est igitur à præside, ne quisq̄ vel indigna, vel peregrina titulum ignoraret, quo ipsum à latronum facinore segregat, ac in Iudæorum malitiam & infamiam crimen reicit, dum in regē propriū insurrexerunt. Movit autem illorum animos, quod honorificentior esset q̄ vellent. tantum erat studium impiis abrogandi nominis, cui vni debebatur omnis totius mundi gloria. Augustinus: Quid loquimini insani? quid fieri contradicitis, quod mutare nullo pacto potestis? Nunquid enim propterea non erit verum, quia Iesus dixit, rex sum Iudæorum? Si corrumpi non potest quod Pilatus scripsit, corrumpi potest quod veritas dixit? Nam & confirmādo Pilatus quod scripserat, ait: Quod scripsi, scripsi, ut impleretur scriptura in titulo Psal. Ne corumpas titulum inscriptionem. Rex ergo est Christus Iudæorum, imò & gentium, sed Iudæorum circumcisione cordis in spiritu, non litera, Romano. 2.

Milites ergo cum crucifixissent eum, acceperunt uestimenta eius, (& fecerunt quatuor partes, unicuique militi partem, mittentes sortem super eis, quisque quid tolleret) & tunicam. Erat autem tunica inconsultilis, de super contexta per totum. Dixerunt ergo adinvicem: Non scindamus eam, sed sortiamur de ea cuius sit. ut scriptura impleretur, dicens: Partiti sunt uestimenta mea sibi, & super uestem meam miserunt sortem. Et milites quidem

quidem hæc fecerunt: & sedentes, obseruabant eum.

Claret, nudum Christum crucifixum, honore sibi in die palmarum exhibito in uestium prostratione, in contumeliam verso. Tunica quæ sic erat contexta ut distili non posset, forte provenit, quam beata virgo propriis manibus creditur fecisse. Tali enim uestimēto pauperes ibidem vi solebant. Non enim ob preciositatem diuidebant, sed in contemptum & derisum domini, qui se regem dixerit, & ad complacendum Iudæis. Hæc autem tamen prophanis animis à militibus gererentur, tamen imprudentes subseruiant vaticinio prophetarum, ut hinc agnosceretur is esse, de quo prædixerat spiritus sanctus in Psalms. vigesimo primo. Obseruabant ne vel suapte natura & virtute è manibus eorum elaberetur, vel alieno præsidio, id est, populi expectantis, raperetur. Augustinus: Hæc custodientium diligentia nobis profuit, ut quod diligentius custodiebatur, eò magis virtus resurgentis appareret.

Tunica in
consultis
quale fue-
rit indumē-
tum.

Et stabat populus expectans. Prætereuntes autem blasphemabant eum, mouentes capita sua, & dicebant: Vah qui destruis templum dei, & in tribus diebus illud reedificas. Saluum fac te ipsum. Si filius dei es, descende nunc de cruce. Similiter & principes sacerdotum illudentes ad alterutrum cum scribis & senioribus, dicebant: Alios saluos fecit, semetipsum non potest saluum facere. Si Christus rex Israel est, descendat nunc de cruce, ut uideamus & credamus ei. Confidit in deum, liberet eum nunc si uult. Dixit enim, quia filius dei sum. Id ipsum autem & latrones qui crucifixi erant cum eo, improperebant ei, & conuiciabantur. Illudiebant autem & milites accedentes, & acetum offerentes, & dicentes: Si tu es rex Iudæorum saluum te fac.

Nec his tantis iniuriis saturari potuerunt, sed exprobrabant velut iam victo, ludibrij causa motis captibus, di-

centes: Nunc ostende quid possis: exere vires istas quas iactitas. P sal. 21. Omnes vidētes me, deriserunt me, locuti sunt labiis, & mouerūt caput. Sperauit in domino, eripiat eum. Chrysoft. Cōsidera nunc vocem filiorum diaboli, quomodo imitantur patrem suum. Diabolus dixit: si filius dei es, mitte te deorsum: isti dicunt, si filius deus es, descende nunc de cruce. Imō quia filius dei est, non descendat, nisi per eius mortem genus humanum à morte liberetur æterna. Maius fecit à morte resurgendo, nec creditur, sed infidelitatem pecunia redemerunt, Matth. 27. Sed neque tantis opprobriis mitigari potuit pontificum & sacerdotum odium. Hinc Leo: Principes sacerdotum quibus indulgentiam saluator petebat, supplicium crucis irrisionum aculeis exasperabant, & in quem manibus amplius sauire non poterant, linguarum tela iaciebant. Si rex Israel est, vt videri voluit, declaret nunc quid possit. Talia iactabant in eum audiente populo, qui solebat admirari Christi miracula, quō animos illius penitus alienarent ab eo. Quin & in totum autoritatem illi abrogant, velut ex ipsa re conuincentes eum nec esse Messiam, nec filium dei, quem esse se professus fuerat, si non descenderet de cruce. At non in descensu, sed in perseuerantia sita erat mundi salus: ea plus valuit apud Iesum, quam principum conuicia. O densissima cæcitas, quum prophete occidendum prædixerint, & lex præfiguravit. Dan. 9. Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus meus, & non erit eius populus qui eum negaturus est. Esa. 53. Tradidit in mortem animam suam. O quanta inhumanitas, homini in tam incomparabili supplicio constituto non solum non condolere, sed tam contemptibiliter insultare. P sal. 68. Quoniam quem tu percussisti, persecuti sunt, & super dolorem vulnerum meorum addiderunt. Greg. Qui de cruce descendere noluit, de sepulchro surrexit, & non crediderunt ei. Si enim insultantibus credens de cruce descenderet, virtutem patientiæ nõ demonstraret. Atque vt omni ex parte conuiciis incessetur piissimus & innocētissimus Iesus, latrones quoque similia quedam exprobrabant illi. Nec minora conuicia milites ad omne facinus proclui. Iudæorum fauore corrupti, in eum iaciebant, acetum offerentes quō citius moreretur. Scri-

bit plutarchus de Antonio, quod acetum ei administrabant, quō celerius ex vulnere moreretur.

Iesus autem dicebat: Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.

Dominus vt perageret salutiferum illud pro omnibus sacrificium, continuit virtutem diuinam, & humanam naturam totam omnibus cruciatibus exposuit: & adeo non recessit, aut vltus est tam atrocem maledicentiam etiam morienti irrogatam, & ipsa cruce acerbiolem, vt patrem interim deprecatus sit pro eis, & alterum è latronibus receperit in paradysum suum. Ignis ille diuini amoris, ipsius pectus adeo sibi mancipauerat, vt nihil nisi clementiam, nihil nisi fauorem erga nos, & commiserationem spiraret. Bonauē. O verbum potius dulcedinis & veniæ. Considera anima mea, quā fuit dulcis amor domini nostri Iesu Christi super impios hostes suos, quādo nõ solum pleno corde fuit indultor, sed etiā efficacissim⁹ intercessor, & piissimus excusator. Vnde ad modū sapientis aduocati, primò captat beneuolentiam, non iudicem alloquens qui sic non receditur, sed paterno nomine suo blandiēs genitori, sicque cōcludit nihil tanto filio denegandum, quia quæ placita sunt ei, facit semper, Ioānis. 8. Bern. O ratio quæ paterno dulcescit nomine, omnium petitionum mearum impetrandarū mihi fiduciam præstat. Secundo petitionē format, d. Dimitte illis. Non ait, examina pater, vide pater, sed dimitte. q. d. Et si iustitia punitionem requirat ex actibus suis, misericordia tamē remittat gemitibus meis. Securè hæc petere poterat, quia mediator dei & hominū. 1. Tim. 2. suscipiens super se patris seueritate & hominis iniquitatē. Esa. 53. Propter scelus populi mei percussit eum. Tertiò addit facti excusationem. Erant enim inter hos qui hoc animo persequebantur, quo paulus persequebatur ecclesiā dei. 1. Tim. 1. Qui prius sui persecutor, blasphemus, & contumeliosus, sed misericordiam dei consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate. Per hanc enim ignorantiam peccatum eorum, præsertim gentilium atque simplicium Iudæorum, alleuabatur. Non enim scierunt se filium dei trucidare, sed hominem blasphemum. Impleuit quod do-

*Necessitas
mutem
dimittendi
quanta.*

cuit. Mat. 5. Orate pro persequentibus & calumiantibus vos. Esa. 53. Et ipse peccata multorum tulit, & pro transgressoribus orauit. Hoc exemplo tam insigni discimus magnam nobis condonandi errata proximorum necessitatem impositam. Nonne vehementer impudens videbitur, qui quum se Christi discipulum fateatur, peccator in peccatorem vindictam molitur? Augustin. Vox est carnis, sicut peccauit, sic puniatur: vox est pietatis Christianorum, sicut cecidit, sic releuetur: sicut dolet, sic curetur. Væ ergo iis qui venæ odii retinent ad tam præclarum pietatis exemplum, hæc antè remittunt offensam, quã mors miseram rapiat animã. Mart. 18. Sic pater meus cælestis faciet vobis, si non remiseritis vnusquisque fratri suo de cordibus vestris. Augustinus: Non est peccatum tam magnum quod deus poenitenti non dimittat, qui crucifigentibus se dimittit.

Vnus autem ex his qui pendebant latronibus, blasphemauit eum, dicēs: Si tu es Christus, saluum fac te metipsum & nos. Respondens autem alter, increpabat eum dicens: Neque tu times deum, qui in eadem damnatione est: & nos quidē iuste, nam digna factis recipimus, hic uerò nihil mali gessit. Et dicebat ad Iesum: Domine, memento mei dum ueneris in regnum tuum. Et dixit illi IESVS: Amē dico tibi, hodie mecum eri. in paradiso.

Instigatus & hic perditionis filius, dominum verbis contumeliosus laceffit. Si tu es ille rex Iudæorum, inquit, expedi potentiam tuam, te ipsum serua, quin & nos experiamur potentiam tuam, qua hætenus multis opem contulisti. Cæterum alter considerata tam admirabili Iesu mansuetudine, increpabat sceleris & supplicij consortem, d. Tu si moriturus non vereris homines, certè deum metuerè debes qui morituro insultas, præsertim quum sis illi supplicij socius, vel hoc solū debebat te à cõuiciis cohibere, etiam si socius esset criminis. Prouerbio- rum decimoquinto: Per timorem domini declinat omnis à malo. Nunc alia est illius, alia nostra conditio.

Ambrosius: Nos cecidimus, hic uiuificat: nos aliena furati sumus, hic largitur propria, imò seipsum gratis impendit. Quatuor indicij fidem veram indicat. Consortem latronis increpando. Seipsum accusando. Ambro. Priorem blasphemiam sequenti diluit confessione, uisã Christi patientia. Christum excusando. Nam & hoc testimonium reddidit in cruce, vnde quaque manifestata illius innocentia. Quarto memoriam petiit in bonum, Mira fides, quum videret pendentem ac morientem in cruce, moriturus & ipse, salutem velut à rege petit. Glos. Ecce quanta virtus fidei in latrone, quia nec timore Iudæorũ astantium, nec proprio dolore, nec focij sui blasphematione, nec Christi apparente infirmitate, nec apostolorũ fuga & negatione, retrahitur à veritatis confessione. Roman. 10. Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Subindicat autem regnum quoddam non iam humile, sed augustissimum & perpetuum. Psal. 144. Regnum tuum regnum omnium seculorum, quo protestatur se credere Messiam in lege promissum, cuius est regnum cælorum. Iesus autem, qui mutus erat ac surdus ad omnia conuicia, non est surdus ac mutus cum fiducia postulanti, nimirum requiem ac refocillationem pollicens mox à peracto supplicio. Ansel. Credo domine, certè ubi tu vis, & ubi tu es, paradus est: & esse tecum, hoc est esse in paradiso, quomodo venerabilis ille confessor & gloriosus martyr tecum fuit per totum illud hodie, & postea omni tempore. Ambro. Pulcherrimum datur affectandæ cõuersionis exemplum, quod tam cito latroni uenia datur. Cito dominus ignoscit, quia cito ille cõuertitur, semper dominus plus dat quod petatur: memoriam petiit, & regnum accepit. Nemo ergo desperandus cuius incertus est exitus, nemo quamlibet inueteratus despondeat animum quin respiscat. imitetur latronem, agnoscat errata, adeat medicum & vitæ largitorem. Oret, vrgeat, instet. Domine, memento mei quum iam sis in regno tuo.

Stabat iuxta crucem Iesu mater eius, & soror matris eius, Maria Cleopha, & Maria Magdalene. Cum uidisset ergo Iesus matrem, & discipulum stantem quem diligebat, dixit matri sue: Mulier, ecce filius tuus. De-

inde dixit discipulo: Ecce mater tua. Et ex illa hora accepit eam discipulus in suam.

O affectuosissimum, dolorosum, omniq; compasione dignissimum verbū. Astabat fide, & plena in deum fiducia qua sciebat futurum, vt hac crudeli morte seruandi essent omnes qui crederent in filium. Id ob oculos posuit virgo: alioqui defecisset in tot filij vaicē adamatī opprobriis & suppliciis. Stabat ergo mater iuxta crucē, & inter cruces latronum non auertebat oculos à filio, angustabatur & ipse. Aug. Cruciat te domine Iesu crux tua, sed non minus mater tua: cruciat te dolor tuus, sed non minus dolor eius. Non est mirum si dolēs & condoles, si pateris & compateris bone filij in desolatione matris, in separatione matris, in commendatione matris. Nunquam te deseruit, non in infantia, nō in adolescentia, non in iuuentute, non in tua passione. Nunquā tibi defuit eius solatium, sed nec eius obsequium. Lactauit infantem, audit & sequitur prædicantem, videt & compatitur patientē, contemplatur opprobria, intuetur vulnera, audit tua verba. Tu verò bone Iesu, quāquam esset dolor intolerabilis, plaga insanabilis, in agonia mortis, in vltimo spiritu constitutus, non obliuisceris matrem tuam, caput inclinans ad eam, & discipulo in matrem commendans. Chrysost.

*in Mulieris nomine cur le-
sus matrem
appellari.*

O bone Iesu, quid matrem tuam dulcissimam, quæ te tam diligenter nutriuit, reuerenter tractauit, dulciter lactauit, tam durè alloqueris. mulier, inquis? Sed ideo hoc factum cerno, ne matris dolorem amplius excitares. non enim tunc tempus erat dulciter alloquendi, nec matris nomen exprimendi. si enim dulcius locutus fuisset, credo quòd virginis cor crepuisset. Commendatur virgo virgini, vt esset inter eos grata societas & floridus aspectus. Data est omnibus in matrem & aduocatam, quam post deū, summè amare & venerari debemus. Atq; ex eo tempore discipulus ille suscepit erga eam effectum filij, per omnia curam illius agens. Magna laus Ioannis, quod à Iesu diligitur, & ei mater committitur. Aug. considerare libet bona mater, dei genitrix, nutrix & filia desolata, quis fuerit dolor tuus & angustia. Vides crucifixum vnigenitum tuum, mutas filium in patrem, magistrum in discipulum,

regem in militem, dominum in seruum, omnipotentem in deficientem. Reuera viscera tua penetrat gladius, cōfigit animam tuam lancea, & clauus laniat mētem tuam, spinarū aculei lacerant cor tuum. Filij tui amarus aspectus deest tibi præ amaritudine lachrymarū, defunt verba, deest fortitudo, marcescit pulchritudo. Vulnera filij tui sunt vulnera tua: crux filij tui, est crux tua, mors eius, est mors tua. Nutrix bona, quomodo amittis alumnū tuum, mater filium, ancilla dominū? vno die priuaris patre & filio. Lignū crucis, cathedra fuit docentis. exēplo enim suo nos instruit, vt à filiis cura parentibus impendatur. 1. Tim. 5. Qui suorum & maximè domesticorum curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior.

A sexta autem hora tenebræ factæ sunt super uniuersam terram, usque ad horam nonam, & obscuratus est sol. Et circa horā nonam exclamauit Iesus uoce magna, dicens: Heloi Heloi, lamazabathani. Quod est interpretatum: Deus meus, deus meus, ut quid dereliquisti me? Quidam autem illic stantes & audientes, dicebant: Ecce Eliam uocat iste.

Ab hac hora qua maximè sol feruere solet, quasi detestans tantam hominē impietatem, obdixit faciem suam, eo morituro qui lux est totius mundi. Nihil est quod non compatiatur morienti Christo, solus homo non compatiatur, nō agnoscit, neque sui creatoris vicem indoler. Tum Iesus omni mortalium solatio destitutus, clamauit ad patrem, referens prophetiam de ipso prædictā. Psal. 21. Præ nimia doloris angustia, in quo veritas humanæ naturæ ostenditur, & virtus diuinitatis. Nam in omnibus membris patiebatur, & propter complexionis teneritudinem summe erat passibilis & doloris perceptiuus. Vnde & singule animi vires sibi ipsis permittebantur, & nihil ex superioribus in inferiores redundabat, quòd dolor vehemens & tristitia mitigari posset: & sic secundum humanam naturam videbatur quodammodo derelictus, nō quod diuinam posuerit naturam, quia quod semel assumpsit, nunquā depofuit, sed quò diuina potētia humanas vires lineret omnifariā affligi, vt interim incommo-

da omnia irrogata clarè intelligerent, sentirètque distinctissimè. Vnde patet, nullum vnquam viatorem sic perniciosè derelictum, quomodo à deitate humanitas Christi derelicta est. Iustus quidem multipliciter consolatus est, redūdantiam spiritualis lætitiæ non solum non prohibendo, sed & augmentando. Iniustus verò & si non est specialiter consolatus, tamen non prohibuit quin dolor intensus partis sensitivæ rationem obtunderet & absorberet, & sic minus à parte intellectiva sentirentur, vt evidenter veritas illius patesceret. Thren. 1. O vos omnes qui transitis per viam, attendite & videte, si est dolor, sicut dolor meus. Quidam non satis intelligentes hanc vocem, suspicati sunt ipsum implorare Eliæ auxilium. vel fortè Iudæi solito more domini verbum deprauantes, imbecillitatis ipsum arguebant. Tales & hodie sunt multi semperque futuri sunt pseudo prophetæ, nihilo melius interpretantes verba Iesu quam illi fecerunt.

Postea sciens Iesus quia omnia consummata sunt, ut scriptura consummaretur, dixit: Sitio. Vas ergo positum erat aceto plenum. Et continuo currès unus ex eis, acceptam spongiam circumligatâ hyssopo, implevit aceto. Et imposuit arundini, et offerens ori eius, dabat illi bibere. Cateri verò dicebant: Sine, uide anis, si ueniat Elias ad deponendum eum.

His peractis, quum Iesus sciret nihil superesse quod ad legitimam victimam pertineret, vt hoc quoque accederet quod prophetia prædixerat Psal. 68. & quò veram ostēderet mortem quam pro omnibus oppetebar, ait: Sitio. Solet enim sitis vulnera & sanguinis profusionem comitari, quæ nonnunquam est illis supplicii morte atrocior. Psal. 21. Sicut aqua effusus sum, & dispersa sunt omnia ossa mea. Aruit rāquā testa virtus mea, & lingua mea ad hæsit faucibus meis. Magis tamè nostram fiebat salutem, pro qua ista patiebatur, sed Iudæi præter fel & acerū nihil offerunt. Bæ. O bone Iesu, quid clamas, sitio? Ignoras quoniam inimici tui in siti tua non terecrabunt vino, vel sicera, aut aqua de torrente munda,

sed acido aceto? Quid ergo clamas, sitio? Nonne tu es fons vitae, de quo potant omnes angeli? Nonne tu potasti sitientem populum in deserto? Nonne tu es qui operis calum nubibus, & paras terræ pluuiam? Vt quid ergo sitis? Sitio, inquit, peccatorum conuersionem, lachrymas compunctionis, compassionis, & deuotionis. Chryso. Si decem millia haberemus inimicorum, & si insanabilia passi sumus, videntes eos interfici, flectimur: hi verò in his quæ videbant, non facti sunt mansueti, sed sauebant magis, & insaniam intendebant: & spongiam offerentes, aceto potabant, ac deridebant, quasi Eliæ implorasset auxilium. O quantum virginem doluit cor, filio in tanta anxietate succurrere non valens.

Cum ergo accepisset Iesus acetum, dixit: Consummatum est.

Significās ritè omnia peracta, nihilque esse prætermisum, quod ad eius sacrificij ritum pertineret. Lu. 18. Ecce ascendimus Hierosolymam, & consummabuntur omnia quæ scripta sunt per prophetas de filio hominis. Leo: Degustato aceto quod illa vinea dabat, quæ ab authoris sui plantatione degenerans, conuersa fuerat in amaritudinem vitis alienæ (Hier. 2.) consummatum est, inquit, hoc est, impletæ sunt scripturæ. non est amplius quò insaniam furentis populi expectem. nihil minus pertuli quàm prædixi, peracta mysteria infirmitatis, propinata documenta virtutis. O quantum doluit, quod tanti operis consummatio in tot infidelibus & ingratis Christianis perdita fuit. Vnde cum in cruce passionem suam offerret, abundantissimas fundit lachrymas, videns tantam præcitorum multitudinem & electorum paucitatem: quas lachrymas etiam euangelistæ taceant, quia multa sunt quæ fecit Iesus, quæ non scripserunt, Ioan. 21. Apostolus tamen non tacuit, Hebr. 5. Qui in diebus carnis suæ præces supplicationesque ad eum qui posset saluū illum à morte facere, cū clamore valido & lachrymis offerens exauditus est pro reuerentia sua. Et quidem cum esset filius dei, didicit ex his quæ passus est, obedientiam: & consummatus, factus est omnibus obtemperantibus sibi, causa salutis æternæ.

*Quid Iesus
siterit.*

Et iterum clamans uoce magna, ait: Pater, in manus tuas commendo spiritum meum. Et inclinato capite expirans tradidit spiritum.

Cur Iesus animam suam patri commendauit.

Glof. Patrem inuocans, dei filiū se declarauit: Spiritū uerò cōmendans, non defectum uirtutis, sed confidentiam paternæ potestatis insinuat, ad quem reuertitur expleto salutis nostræ munere, in quod destinatus erat. Ioan. 17. Opus consummaui, quod dedisti mihi ut faciam. Bernardus: Quid est quod ille cōternus & consubstantialis dei patris filius, animam suam deuotè & manifestè in manus patris cōmendat, cui non minus cōmendata esset, etiam si hoc non dixisset? Nunquid non timuit quod demon sibi obuiaret in exitu animæ, tanquam aliquid sui credens inuenire? Absit, nam antè ait in cœna, Ioan. 14. Venit princeps mundi huius, & in me non habet quicquā. Fecit hoc nos erudiens, qui terra & cinis sumus, quod disceremus spiritum nostrum manibus patris commendare: ne à mundi huius principe egressus cōprehendatur, qui in nobis (heu) non pauca quæ ad eū pertinent, inueniet. Atha. Commendat patri per se uniuersas uiuificatos, omnes enim in Christo unum sumus. Ut autem omnibus palam esset, illum non defecisse, quemadmodum alij deficere solent paulatim exhausto corporis vigore, mox à valido clamore, ac uerbis articulatè prolatis, sponte deposuit animam. Ioan. 10. Potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo iterum sumendi eam. Ambro. Ex modo moriendū ostendit, quod in obedientia patris mortuus est. Philip. Factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. O qualis erat anima uirginis matris, cū audiuit clamantem, uidit lachrymantem & morientem. Verè tunc impletū est Simeonis oraculum, Luc. 2. Et tuam ipsius animam pertransibit gladius. Aspice ò homo in authorem uitæ & salutis tuæ, ecce quæ non rapuit soluit, Psalm. 68. Mortuus est enim pro peccatis nostris, 1. Petr. 3.

Et ecce uelum templi scissum est in duas partes à summo usque deorsum: & terra mota est: & petra scissæ sunt: & monumenta aperta sunt: & multi

corpora sanctorum quæ dormierant, surrexerunt. Et exeuntes de monumentis post resurrectionem eius uenerunt in sanctam ciuitatem. & apparuerunt multis.

Protinus omnia testata sunt mortem efficacem domini Iesu. Si quidem uelum templi, quod separabat sancta à reliqua parte templi, ultrò scissum est, indicans Mosaicæ legis umbras posthac euanturas, ad conulescentem euangelij lucem. Cessant umbræ simul atque pròdit ueritas: nec erat futurum ut ullus sacerdos introiret in sancta, semel immolata uictima, quæ sola sufficit pro expiandis totius mundi peccatis. 1. Ioan. 2. Ipse est propiciatio pro peccatis nostris: & non pro nostris tantum, sed etiam pro totius mundi. Hiero. Omnis creatura compatitur Christo morienti, sol obtenebratur, petra scinduntur, uelum templi diuiditur, terra concutitur, sepulchra aperiuntur: & solus homo miser redemptori non compatitur, pro quo patitur. Bernard. Ascendit Christus in altum, ut ab omnibus uideretur: alta uoce clamauit, ut ab omnibus audiretur: uoci lachrymas addidit, ut homo compateretur, qui ad hanc uocè nō concutitur, terra grauior est, petra durior, sepulchro fetidior. Multi de monumentis in die Paschæ exierunt, & apparuerunt multis, præcones & socij resurrectionis. Nam primitiæ dormientium Christus.

Centurio autem qui ex aduerso stabat, & qui cum eo erant, custodientes Iesum, uiso terræ motu & his quæ fiebant, & quia sic clamans expirasset, timuerunt ualde, glorificantes deum & dicentes: Verè hic homo iustus filius dei erat. Et omnis turba eorum qui simul aderant ad spectaculum istud, & uidebāt quæ fiebant, percutientes pectora sua, reuertebātur. Stabant autē omnes noti eius à longè.

Centurio qui multos supplicio morientes conspexerat, quum uidisset Iesum præter aliorum morem, statim à valido clamore effluisse spiritum, Iudæorum malitiam cōdemnans, ait: uerè &c. Agnosce primitias gentiū Christi uirtutè profitentiū. Qui hominem profitetur ac dei filium, hominè ac deum profitetur, tamen si centurio qui-

Centurio demans, ait: uerè &c. Agnosce primitias gentiū Christi uirtutè profitentiū. Qui hominem profitetur ac dei filium, hominè ac deum profitetur, tamen si centurio qui-

dem adhuc dei filiū sentiebat hominem insigniter deo-
charum. Beda: Qanta cæcitas Iudæorum, qui tot per do-
minum virtutibus patris, tantis in morte eius appa-
rentibus signis, credere noluerunt, & insensibiliores gē-
tibus, dominum glorificare vel timere noluerunt. Bern.
Centurio incircuncisus carne, non autem aure, qui ad v-
nam expirantis vocem sub tot infirmatum iudiciis, do-
minum maiestatis agnouit. Considera quomodo serua-
tor, vbiq; seruator est: in cruce moriturus, seruat latro-
nem: mortuus, illic trahit centurionem ad professionē
christianam. Sic & qui ad spectaculum supplicij vene-
rant (plures enim attraxerat Iesu, vel studium vel o-
diū) partim dolore (quod homo tam innocens, tā benefi-
cus, tot indigna passus esset) partim metu vindictæ di-
uinæ (quam sibi malè conscij ex ostentis conspectis su-
spicabantur imminere) pectora tundebant. Quem enim
in vita viderant humilem & asperabilem, cum in morte
viderunt potentem, & ita vt omnia rerum elemē-
ta sese concuterent. Chrysosto. Ecce quā cito post
mortem Christi passio sortita est effectum, & oratio
quam fecit, pater ignosce illis, quia nesciunt quid fa-
ciunt, Luca. 23. Qui enim prius eius mortem impetrasse
gaudebant, post mortem eius timentes, deum amplius
glorificabant. Steterant haud procul à cruce amici, dum
affaretur matrem, sed deinde in locum se contulerunt
non tam vicinum, quo cætera spectarent. Potest tamen
de aliis accipi. Psalm. 87. Elongasti à me amicum &
proximum.

DE SEPELITIONE, & studiosa sepulchri cu- stoditione.

ARTICVLVS XXXVI.

G **I** Vdæi ergo (quoniam Parasceue erat) ut non
remanerent in cruce corpora sabbato (erat es-
sum magnus dies ille sabbati) rogauerunt Illa-
tum, ut frangerentur eorum crura, & deponeren-

tur. Venerunt ergo milites: & primi quidem fregerunt
crura, & alterius qui crucifixus est cum Iesu. Ad Iesum
autem cum uenissent, & uiderent cum iam mortuum, nō
fregerunt eius crura, sed unus militum lancea latus eius
aperuit, & continuo exiit sanguis & aqua. & qui ui-
dit, testimonium perhibuit, & uerum est testimoniū eius.
Et ille scit quia uera dicit, ut & uos credatis. Facta enim
sunt hæc, ut scriptura impleretur, dicens: Os non commi-
nuctis ex eo. Et iterum alia scriptura dicit: Videbunt in
quem transfixerunt.

Erat dies magnus ille, qui ab apparatu sacrorum græ-
cis parasceue dicitur. Iam enim homines religiosi pera-
to tam crudeli facinore, perinde quasi re bene gesta, ad
Mosaicam victimam purè celebrandam intenderant a-
nimū, ignorantes quod paschalis agnus ille uerus iam
esset immolatus. Sabbati reuerentiam prætexunt, quum
interim aliud in mente gerant. Populi metuebant sedi-
tionem ob uisa miracula futuram, scque in fama, substā-
tia, ac corporibus periclitaturos, siquidem omnes resi-
piscerent, ut aliquota iam pars resipuit: maturandum
igitur putant ad sepelienda corpora. Quum uiderent iā
exanimem Iesum, superuacaneum esse putarunt frange-
re eius crura, sed vnus militum, Longinus nomine, quod
certior esset eius mors, lancea latus aperuit. Chryf. Ape-
ruerunt eius costam lancea, & mortuo corpori de reli-
quo conuicantes, in mortuum enim corpus militē con-
uiciari, plus fuit quā crucifigere. Isidorus: Longinus la-
tus saluatoris aperuit, & non tantum ueniam, sed & e-
piscopatus honorem, ac martyrij coronam inuenit. Nam
tactu sanguinis Iesu illuminatus, quum esset cæcutiens,
& intus fidei lumine credidit. & per apostolos baptiza-
tus fuit. Exiit sanguis & aqua, magno mysterio de-
clarantes quod eius mors nos ablueret à peccatis, &
quod eadem vitam nobis largiretur æternam. Nam ba-
ptismus aqua constat, in sanguine uita est hominis. Hu-
ius enim sanguis credentes seruat à morte, huius mysti-
cus elus nos ab Aegyptia seruitute, hoc est, à mundi ca-

*Longinus
quis qualis
ve fuerit.*

Sacramen- piditatibus & peccati tyrannide liberos, transmittit
tis sua vis terram caelestem. Hoc vim tribuit omnibus sacramen-
vide. tis. Ephes. 5. Christus dilexit ecclesiam, & seipsum tradidit
 pro ea, ut illam sanctificaret, mundans eam lauacro aquae
 in verbo vitae. Praeter naturam autem est, ut de corpore
 vulnerato mortuo fluat vel aqua vel sanguis. sed qui vi-
 dit, testimoniū perhibet. Ioā. 3. Quod vidimus, testamur
 ait dominus. Haec tamen casu geri videbantur, diuini ta-
 men consilij desperatione gestat sunt, ut hanc etiam ex
 parte prophetarum oraculis rerum euentus responderet.
 Quia enim duo dilexerat, ideo duplex scripturae adducit
 testimonium. Quia crura non fracta. Exo. 12. de agno pas-
 schali huius figura: Os non comminuetis ex eo. Et quod
 olim videbunt in quem transfixerunt, Zacha. 12. Eodem
 enim corpore venturus est, quo pependit in cruce, tamen
 si glorioso: tamen vestigia vulneris ostendet omnibus, &
 fontem frustra apertum incredulis exprobrabit, cuius
 profluxu sanari poterant.

² Post haec cum sero factum esset, quia erat pa-
 rasceue, quod erat ante sabbatum, quod illucescebat,
 ecce venit quidam homo diues nomine Ioseph, qui ca-
 rat nobilis decurio, uir bonus & iustus, (Hic non con-
 senserat consilio & actibus eorum) ab Arimathia ci-
 uitate Iudaeae, qui & ipse expectabat regnum dei, eo
 quod discipulus esset Iesu, occultus autem propter me-
 ritum Iudeorum. Hic audacter accessit ad pilatum, &
 petiit ut tolleretur corpus Iesu. Pilatus autem mirabatur
 si iam obiisset. Et accersito centurione, interrogauit
 eum si iam mortuus esset. & ut cognouit à centurione,
 donauit corpus Ioseph. Ioseph ergo mercatus sindo-
 nem, & deponens illud, inuoluit sindone munda. Ve-
 nit autem & Nicodemus, qui uenerat ad Iesum primam
 nocte, ferens mixturam myrrhae & aloes. Acceperunt
 ergo corpus Iesu, & depositum ligauerunt illud
 linteis cum aromatibus, sicut mos est Iudaeis sepelire.

Erat autem in loco ubi crucifixus est dominus Iesus, hor-
tus, & in horto monumētum, quod exciderat sibi Ioseph
in petra, in quo nondum quisquam positus fuerat. Ibi er-
go propter parasceuem Iudeorum, quia iuxta erat mo-
numētum, posuerunt eum. Et aduoluit Ioseph saxum
magnum ad ostium monumētī, & abiit. Erant autem ibi
Maria Magdalene, & altera Maria, sedentes contra
sepulchrum.

Itaque morte iam multorum experimento certa con-
 probataque, supererat ut sepultura resurrectionis fidem
 multis modis confirmaret. Multa praecleara euangelista
 de hoc viro praedicant, quod bonus, quod iustus, non ob-
 scuro genere natus, locuples, quod Christi (quod omniū
 maximum est) discipulus, tamen occultus. Nam lege
 sanxerant, ut qui se profiteretur discipulum Iesu, submo-
 ueretur de synagoga. Ioan. 9. Nondum enim datum ro-
 bur per spiritum, ut contemptis omnibus Iesu nomen
 profiteri possent. Deinde spem futurae resurre-
 ctionis & felicitatis aeternae, ab Arimathia, alio nomi-
 ne Ramatha, unde Samuel fuit, 1. Reg. 1. Chryso. Ca-
 litus prouisum est, ut iste Ioseph diues esset, ut haberet
 quod in sepulturam domini exhiberet, ut nobilis decu-
 rio quod ad praesidem accedere posset, ut iustus, quod cor-
 pus domini mereretur. Iesus enim quandiu uiuebat, im-
 piis etiam sese pulsandum & conspuendum permisit:
 mortuus. statim sibi dignitatem suam vindicat: nec tra-
 ctari vult nisi ab honestis & piis, nec conspici quidem
 nisi à discipulis aeternae vitae destinatis: nos imagine
 docens, ne quis dignitatem suam in hac vita vindicet.
 Is igitur quoniam bene sentiebat de Iesu, fretus nobi-
 tate sua, adiit Pilatum. Mirabatur Pilatus si iam esset
 mortuus vir florente aetate, cuius crura non fuissent
 fracta, quum multis fractis cruribus soleant etiam bidentium
 aut tridentium viuere. Hieronymus: Nemo cum Pilato mi-
 retur, quod Iesus tam cito mortuus fuerit, adhuc super-
 uiuentibus latronibus: multa enim crudelia per totam
 noctem perpessus est usque in horam nonam, quan-
 do latrones inquiete fuerunt. Venit & Nicodemus un-

gentum quo corpora defunctorum à corruptione præseruatur; ferens. Hi scientes quòd liuor solet à morte conquiescere, freti fauore præsidis, audent mortuo supremi honorem exhibere, quem vitium palàm conuenire non audebant. Honos qui viuus exhibetur, non caret suspitione vel periculo; cæterum honor qui vitro defertur mortuo, certissimum est virtutis indicium. Nihil adhuc altius sentiebant, nisi quòd vir innocens & probus deòq; charus fuisset, cuius memoriæ deberetur hoc hõnoris, quòd periisset oppressus inuidia virtutis, quod ferè summis viris solet accidere. Nihil interim sperabant de resurrectione Christi, de qua Iesus paucis modò discipulis tantum significarat, sed ita, vt tum meminissent magis quam crederent. Honorificè ergo sepelierunt, non vt condemnatum, sed magnificum & honoratum. Esa. 11. In die illa radix Iesse, qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur, & erit sepulchrum eius gloriosum. Maguam curam patres antiqui habuere de sepultura, vt claret Genesi. 23. 49. 50. & in libris Regum. In alieno sepultus fuit sepulchro, sicut & loco natus, quia non habuit vbi caput suum reclinet, Mat. 8. Propter nos egeni factus, vt nos illius inopia diuites effemus. 2. Corin. 8. Et quia pro alienis mortuas peccatis. In nouo, ne alius diceretur ex eo resurrexisse, in quo solus positus fuerat, nec poterat videri suffossum sepulchrum, quòd in solida rupe fuerat excisum. Nam secundum Bedam, erat domini rotunda de subiacente petra excisa, tantæ altitudinis, vt homo manu sua vix culmen posset attingere, habens introitum ab oriente, & in parte aquilonari locum domini corporis de eadè petra excisum, septem pedum longitudine. O quæras hic fudit lachrymas, quatos edidit singultus incluta mater vnigeniti innocentissimi, quando comminus latus, pedes, & lauciu caput, ad eòque totum corpus anima duertit? Deosculabatur, ruit in cruenta vulnera, in laceru pectus, ploras plorat, non est qui cõsoletur eam, quia plena erat amaritudine. Traxit eam natura, tota deperibat in filium, vbi satis superque contemplata est inextinguibile mater, omnes mœrentes & lugeres sepelierunt eam. Maria in his mulieribus declaratur constantia, quanquam nondum absoluta fides, quæ spectatrices ac testes aderat co-

*Sepultura
apud veteres
quanta
cura.*

*Sepulchrũ
Christi quare
Maria
insepeliendo
Iesu dolor.*

rit quæ gerebantur, omni iam spe destituta, nihil aliud quam mœrebant. Quarum sedulitas pia profuit nobis ad salutem, & confirmandam resurrectionis fidem. Dum enim quæruunt vngendum mortuum, comperunt vitium. Vngamus & nos vitiorum mortificatione, & bona conuersatione & fama. 2. Cori. 2. Christi bonus odor sumus in omni loco, si donec munda puræ cõscientiæ inuoluamus, & in intimo cordis reformato virtutibus sepeliamus, cordèque vigilanti custodiamus, vt persecuet nobiscum, quòd per ipsum resurgamus.

Altera autem die quæ est post parasceuem, conuenerunt principes sacerdotum & pharisæi ad Pilatum, dicentes: Domine, recordati sumus quia seductor ille dimisit adhuc uiuens, post tres dies resurgam. Iube ergo custodiri sepulchrum usque in tertium diem: ne forte ueniant discipuli eius, & furentur eum, & dicant plebi: Surrexit à mortuis: & erit nouissimus error peior prior. At illis: Habetis custodiam. ite, custodite sicut scitis. Illi autè abeuntes, munierunt sepulchrum, signantes lapidem, cum custodibus.

Miseri ac phanatici homines veritate destituti, semper sibi metunt, confugiunt ad alia præsidia. Cõueniunt ad Pilatum confirmaturi resurrectionis veritatem, dum eam conantur impedire: & quò callidius gloriam & famam Christi conantur impedire, eò plus glorificauerunt. vide autem quàm manifestè se ipsam, etiam nescia, prodat falsitas. Recordati, inquit, sumus &c. quum id ipsum multò aliter & in passione, & antè, & in aliud transferint. Non sufficit eis sepulchri clausura magno lapide, nec militum multitudine, nisi lapidem in ostio monumenti sigillis obsignassent. Dum ergo resurrecturo conatur exitum occludere, auxerunt miraculum & fidem resurrectionis, signantes lapidem, ne quid fraudis esse possit vel in custodibus. Ecce commemorata passio quam imitari debemus. Si enim compatimur, & conregnabimus. Rom. 8. Si commortui sumus, & conuiuemus: si sustinebimus, & conregnabimus.

DE RESVRRECTIONE

Domini, & apparitione, Luc. xxiii.

Ioan. xx. Mat. xxviii.

ARTICVLVS XXXVII.

Mar. 16. **E**T cum transisset sabbatum, Maria Magdalene & Maria Iacobi & Salome, emerunt aromata, ut uenientes ungeret Iesum. Et ualde mane una sabbatorum ueniunt ad monumentum, orto iam sole.

Quanta uere diligenti paucitas.

Sabbatismus cur ex sabbato in diem dominicam translatus.

Nunquā uerū perfectūque amor, quin ad maiora semper contendat, destituitur aut uiribus aut cōsolatione finali. Cant. 8. Fortis ut mors dilectio. Pauci diligūt uerē & purē etiā in uita. Ecclesi. 6. Est amicus secundum tempus suum, & non permanebit in die tribulationis. Est amicus socius mensæ, & non permanebit in die necessitatis. Sed pauciores in die mortis, temporalē substantiam, non animæ salutē quæretes. Paucissimi uerō post mortem. Unde dominus cōqueritur. Psalm. 30. Obluioni datus sum tanquā mortuus à corde. Istæ autē dominum prædicantē sequebantur, ministrantes ei de facultatibus suis, Luc. 8. Assistebāt morienti, Ioan. 19. ungerē quærebant mortuū, Statim enim ut occidisset sol, & rediisset operandi tēpus, parauerunt, Luc. 23. Subsecutæ autem mulieres quæ cū eo uenerāt de Galilæa, uiderunt monumētum, & quemadmodum positum erat corpus eius. & reuertentes, parauerunt aromata & unguenta. & sabbato quidem siluerunt secundum mandatum. Eodem tempore dominus sabbatum suum peragit conquiescens in sepulchro, peracto iam opere salutis in die parasceues, ut intellegeremus per eundem esse restitutum genus humanum, per quem fuerat conditum. Ioan. 1. Omnia per ipsum facta sunt. Et quoniam adueniente ueritate cessare debent figuræ tanquā completæ, ideo post quietem dominici corporis in sepulchro, propter octauam resurrectionis, in diem octauum ecclesia diei septimi trātulit sabbatismum. Prima omnium Maria nominatur Magdalene, quia ductrix & investigatrix aliarum. Unxerat pedes, apud quos remissionem inuenit peccatorum, Luc. 7. Caput, & commenda-

ta quoddam opus bonum fecit præueniens, quod modo uolebat, Mar. 26. totum scilicet ungete corpus, quod à corruptione & uermium corrosionē præseruaretur. Sed hoc satis superque per Iosēph & nicodemum actitatum est. Ioan. 19. Humano quodā affectu, nō diuino, dominū diligebāt, non reminiscētes neque credētes quod se tertia die resurrexerunt prædixerat. Hinc scriptum est Psalm. 15. Non dabis sanctū tuum uidere corruptionē. De quo Luc. 1. Et quod nascetur ex te sanctū, uocabitur filius dei. Et ualde mane, Ioan. 20. cum adhuc tenebræ essent, Luc. 24. Valde diluculo ueniunt ad monumentum, portantes quæ parauerant aromata. Mar. 28. Vespere autē sabbati, quæ lucebat in prima sabbati, uenit Maria Magdalene, & altera Maria uidere sepulchrum. Quum enim adesset uespere sabbati prioris, hoc est, extrema pars noctis, cuius finē excipiebat diluculum diei sequentis, quū dies appropinquare incipit, qui primus erat dies hebdomadæ secuturæ, uenerunt: hinc Ioannes dicit quod tenebræ erant, cum scilicet exierunt: sed orto sole uenerūt ad monumentū ut ait, Marcus: quia cum dies illucescit, dicimus solem ortum, quanquam necdum nobis reddatur uisibilis: sic & in diluculo dicimus adhuc tenebras esse. Mirandus mulierum feror, quum naturale sit horridum uidere mortuum, etiam matri filium, istæ tamen iam per diem & duas noctes sepultum, ungerē & contrectare quærunt.

Et dicebant ad inuicem. *Quis reuoluet nobis lapidē ab ostio monumenti? Et respicientes, uiderunt reuolutum lapidē, erat quippe magnus ualde. Et introeuntes in monumentum, uiderunt iuuenem sedentem in dextris, coopertum stola candida. & obstupuerunt.*

Monumentum tripliciter clausum erat, grandis lapidis aduolutione, sigilli appositione, & militum ualatione, Mar. 27. Sed isti ad angeli apparitionē territi, uidentes sepulchrum uacuum, abierant. Erat autē lapis ingens, nec muliebrium erat uirium eam amolliri. dum ergo anxietate circūspiciunt quomodo possit amoueri, subito uidēt sublatū. Quomodo sublat⁹ sit, idicat Mar. 28. Et ecce terræ mot⁹ factus est magnus, angelus enim domini descendit de

Hh ij

Quotupliciter sepulchrum Iesu clausum

cælo, & accedens reuoluit lapidē, & sedebat super eū. Erat autē aspectus eius sicut fulgur, vestimentū eius sicut nix. Præ timore autē eius exterriti sunt custodes, & facti sunt velut mortui. Beda. Resurrexit dominus mane de sepulchro, in quo positus fuerat vespere, quo impletū est illud Psal. 29. Ad vesperum demorabitur fletus, & ad matutinū læticia. Quod autem terramotus domino resurgente factus est, sicut ipso moriente, significat corda terrena prius per fidem passionis & resurrectionis eius fore concutienda, & saluberrimo pœnitentiæ pauore permota, ad vitam sublimenda perpetuam. Si autem terra sic tremuit quum dominus ad veniam suorum surgeret, quo modo contremiscet, cum noxiorum omnium surget ad pœnam? Chrylost. Cuius gratia venit angelus & leuauit lapidē post resurrectionem? Certè propter mulieres, quæ cum viderant poni in sepulchro. vt crederent quoniam surrexit, vident sepulchrum vacuū. Sedebat super eum, tanquam imperterritus dominici sepulchri custos, & resurrectionis doctor. Greg. In fulgure terror timoris est, in candore blandimentum lenitatis, Rab. Timoris anxietate custodes sunt exterriti, qui amoris fiduciam non habuerunt: & facti sunt velut mortui, qui resurrectionis veritatem credere noluerunt. Beda: Ad designandum quia is cuius gloriā resurrectionis nunciabat, & terribilis est ad damnandum reprobos, & benignus ac blandus ad consolendū iustos. Quia enim Christus deus & homo est, inter acta humanitatis eius, angelorum ministeria deo debita non desunt, sicut inquisita sancti euangelij copiosissimè probat historia. Reuolui lapidē, non vt egressuro domino ianuā pandat, sed vt egressus iam facti, præstet hominibus inditium. Ausæ sunt autem ingredi, pietas enim addebat audaciam sexui. Moxque ingressæ monumenti vestibulū, videntes angelū, tamen lætum & bonum, tamē quia subitū & inexpectatū spectaculū, obstupuerē. Hier. Habuit hic angelus totaliter formā resurrectionis, quam mortē timentibus ostendit. in reste claritatem, in ætate in corruptionē, in fulgure subtilitatem & ægilitatem. Obserua tamen tres ipsius cōditiones, & Christi & nostræ resurrectionis gloriā designantes. Prima, quia secundum Hiero. non senex, non infans,

Tres ægeli
apparentis
cōditiones.

sed iucundus ætate. Seue. Viderunt iuuenem, vt viderent nostræ resurrectionis ætatem, quia nescit resurrectio ætatem senectutis: vbi mori & nasci nescitur, ibi ætas nec adiungit detrimentum, nec indiget incrementis. Ephe. 4. Donec occurramus in vnitatem fidē & agnitionis filij dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi. Secunda, quia sedens in dextera. Nam prospera & æterna venerat nunciare. Greg. Quia redemptor noster iam corruptionē vitæ præsentis transierat, rectè in dextera angelus qui resurrectionis ipsius gaudium nūciabat, sedebat. Bed. Nec prætereundum quare testis resurrectionis sedens apparuerit, cum is qui natiuitatis eius gaudium euangelizauit, iuxta pastores sterisse legatur. Stare quippe pugnantis est, sedere regnantis. Stetit, quia is quem prædicabat, ad debellandum mundi principem venit: sedit, figurans eum qui superato mortis authore, sedē regni ascendit perpetui. Matt. 28. Data est mihi potestas omnis in cælo & in terra. Tertia, quia coopertus stola candida, ad designandum angelicæ splendorem puritatis, & quia nunciatus veræ lucis. Matt. 13. Tunc fulgebunt iusti sicut sol in regno patris eorum.

Qui dixit illis: Nolite expauescere. Iesum queritis Nazarenum crucifixum, surrexit, non est hic. Ecce locus ubi posuerunt eum. sed ite, dicite discipulis eius & Petro, quia præcedet vos in Galilæam. Ibi eum uidebitis, sicut dixit uobis.

Vt ergo gloriā intelligerent resurgentis, pauorem à cordibus eorum amouit, consolans eas. Isti, inquit, merito exanimantur ad gloriā resurgentis; qui peruerserant in infidelitate sua. cæterum nolite timere vos. Angelus bonus apparitione sua primò terret ob fragilitatē conditionis humanæ, sed statim confortat sua allocutione, ac in fine lætificat iucundā sua visione. Contrā malus semper magis magisque terrore suum auget. Hinc intentionē mulierum bonam cōmendat, quod Iesum qui crucifixus erat, quærerent. Gal. 6. Mihi absi gloriari nisi in cruce domini nostri Iesu Christi. Surrexit propria virtute, iam præstitit quod se facturum promissit. non est hic secundum huma-

nant naturam, qui nusquam deest secundum diuinã. Hiero. 23. Cælum & terram ego impleo. Quare superuacaneũ est officium quod illi paratis. Matt. 28. Non est hic. surrexit enim sicut dixit. Venite & videte locum vbi positus erat dominus. Si ergo mihi non creditis, illius memoretote verborum. hæc vobis fidem faciens, si mihi parum creditis. Quin potius abite. Matt. 28. Et cirò euntes, discite discipulis eius, vehementer morte eius exanimatis, & Petro, quò sibi culpam dimissam agnoscat, quia præcedet eos in Galilæam: ibi videbunt viuum, quem duxerunt mortuum. Ne ergo eis solum hoc resurrectionis gaudium crederent esse, noua legatio illis iniungitur. Hiero. Mulieribus dicitur vt annuncient apostolis, vt quia per mulierẽ mors annuntiata est, ita & per mulierem vita resurgẽs. Vnde sicut in primorum tentatione parẽtum talis fuit processus, q̃ a malo angelo ad mulierẽ, a muliere ad virtũ processit: sic nũc vite annunciatio a bono angelo ad mulieres, a mulieribus ad viros peruenit. Grego. Galilæa, transmigratio facta interpretatur. iam quippe redẽptor noster a passione ad resurrectionem, a morte ad vitã, a poena ad gloriã, a corruptione ad incorruptionẽ transmigrarat. Sic in Galilæa conspiciedus permittitur, quia illi speciem eius contẽplari merebũtur, qui modò trãsmigrãt de vitis ad virtutes, de amore mundi ad amorẽ dei, declinãtes a malo, & facientes bonũ. Psal. 36. sapiẽtes & quærẽtes non terrena, sed cœlestia. Col. 3. Fœlices qui Iesum quærũt medicũ animarũ, sed offerua q̃ & Nazarenus dicitur, teste angelo, & crucifixus. Si ergo salutẽ inuenire volumus, odore bono virtutũ floreamus. 2. Cor. 2. Christi bonus odor sumus in omni loco. Psal. 91. Iustus vt palma florebit. Eccle. 24. Ego quasi vitis fructificãui suauitate odoris, & flores mei fructus honoris & honestatis. Et carnis cõcupiscẽtiã mortificemus. 1. Cor. 5. Expurgate vetus fermentum, vt sitis noua conspersio, sicut estis & azymi. etenim pascha nostrum immolatus est Christus. Gal. 5. Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitis & concupiscentiis suis. Hiero. Breuis sententia in syllabis, sed ingens in quantitate promissio. Ibi est gaudij nostri fons, & salutaris aeternæ origo præparata. Ibi congregantur dispersi ones, ibi videbitis, sed non sicut vidistis. Matt. 28. Ecce prædixi vobis.

Cur mulieres iussæ nunciare Christi resurrectionẽ

Et ingressæ, nõ inuenerunt corpus domini Iesu. Et Luc. 24. factum est dum mète consternatæ essent de isto, ecce duo viri steterunt secus illas in veste fulgenti. Cum timerent autem, & declinarent vultum in terram, dixerunt ad illas: Quid quæritis uiuentum cum mortuis? Nõ est hic, sed surrexit. Recordamini qualiter locutus est vobis, cum adhuc in Galilæa esset, dicens: Quia oportet filium hominis tradi in manus hominum peccatorum, & crucifigi, & die tertia resurgere. & recordatæ sunt verborum eius.

Pavidis & cõsternatis ob corporis domini ablationẽ, in quo & viuebant & moriebantur, angeli astiterunt, sicut apostolis domino ascendente in cælũ, A. G. u. hæc ipsa species angelorũ, resurrectionis triumphũ præfererebat, qui & blãdo alloquio placidõque subleuãt attonitarũ mentes. Quid quæritis, inquit, eum qui viuunt, in sepulchris mortuorũ? Recordamini, Luc. 18. Matth. 20. Clarẽt quòd dominus nõ solum discipulis, sed & deuotis sceminis prædixit passionẽ suam, & resurrectionem. Prædixerat se moriturum, prædixerat & genus, & tẽpus mortis, sed idem prædixit se tertio die reuiãturum. Agnoscite tẽpus, sub vesperam parasceues depositus est de cruce, & in monumento hoc conditus. Is primus a morte dies suppuratur. Sabbatum totum conquieuit in sepulchro. Nunc tertij diei diluculum est, quem ille simul exoriens ab inferis, toto mundo lærum ac faustum esse voluit.

Et egressæ a monumento, nunciauerunt hæc omnia illis undecim, & ceteris omnibus. Erat autem Maria Magdalene, & Ioãna, & Maria Iacobi, & ceteræ, quæ cum eis erant, quæ dicebant ad apostolos hæc. Et uisæ sunt ante illos sicut deliramentum uerba ista, & nõ crediderunt illis.

Marc. 16. At illæ exeuntes, fugerunt de monumento. Inuaserat enim eas tremor & pavor. & nemini quicquã dixerunt: Timebãt enim. Nam pavor mentis & tremor corporis inuaserat eas, partim ob magnitudinẽ miracu-

li, partim ob ingēs gaudiū, & desiderium ac spem vidē-
di Iesum rediitū. Mat. 28. Et exierunt citō de monumē-
to; cum timore & gaudio magno, currentes nunciare di-
scipulis eius. Sed alii nihil dixerunt hominibus, præter
quā discipulis, qui ob metum Iudæorum sparsim collecti
latitabant, oblitī & ipsi ferē omnīū quæ audissent à Iesu,
ac propemodū desperātes, quæ vidissent, quæque audis-
sent ab angelis. Cæterū ob rē incredibile quā nuncia-
bant, sexus infirmior nō inuenit fidem apud apostolos,
quos ideo dominus passus est esse tardiores ad credendū,
vt pluribus argumētis confirmaretur resurrectionis do-
minicæ fides. Theo. Est naturaliter incredibile morali-
bus miraculum resurrectionis, ideo deliramēta videban-
tur. Nominatur autē prima Maria Magdalene, quia prin-
cipalior & magistra aliarū ac feruentior, vt probat eius
vigilantia, diligentia, & perseverantia. Hinc Ioannes de
ipsa sola mentionem facit.

Ioan. 20.
K

*Vna autem sabbati Maria Magdalene venit me-
cum adhuc tenebræ essent, ad monumentum, & vidit lu-
pidem sublatum à monumento. Cucurrit ergo & venit
ad Simonem Petrum, & ad alium discipulum quem a-
mabat Iesus, & dixit illis: Tulerunt dominum meum, &
nescimus ubi posuerunt eum.*

Venit diluculo, vt dicit Lucas: nec sola, quia dicit, ne-
scimus: nec ad solum Petrum, vt claret ex Luca 24. Pe-
trus autem surgens, cucurrit ad monumentum, & pro-
cumbens, vidit linteamina posita. Hoc clarius Ioannes
subsequenter explicat.

*Exiit ergo Petrus & ille alius discipulus, & ve-
nerunt ad monumētum. Currebant autem duo simul, &
ille alius discipulus cucurrit citius Petro. & venit pri-
mus ad monumentum: & cum se inclinasset, vidit posita
linteamina, non tamen introiuit. Venit ergo Simon Pe-
trus sequens eum, & introiuit in monumentum, & vi-
dit linteamina posita, & sudarium quod fuerat super
caput eius, non cum linteaminibus positum, sed separa-*

*tim inuolutum in unum locum. Tunc ergo introiuit &
ille discipulus, qui uenerat primus ad monumentum. Et
uidit, & credidit: Nondum enim sciebant scripturam,
quia oportuit eum à mortuis resurgere. Abierunt ergo
iterum discipuli ad semetipsos.*

Quantū non crederent esse verū quod narrabāt mu-
lieres, tamen eō profecit illarum assertio, vt cæteris disci-
pulis partim metu, partim desperatione percussis, Petrus
& Ioannes periculum faciuri currebant ad monumentū
qui sicut animo, ita & corpore coniuncti erant, Christum
comprehensum secuti, Ioan. 18. Templum ad orā dumin-
gressi, Act. 3. Ad Samaritanos missi, Act. 8. Ioannes ætate
agilior, prior venit ad monumentum, inclinendo & pro-
spiciendo per ostium domus vidit posita linteamina, vt
liqueret facilē corpus non esse sublatum à furibus, qui to-
tum corpus vt erat obuolutum potius abduxissent, cum
aromatibus, linteis, & sindone, si non ob precium rerum,
certē ob id quod nō tantum habuissent ocij, ad detrahē-
da corpori vnguenta quōuis visco tenacius inharētia,
& suo quæque loco digerenda. Non tamen ob reueren-
tiam Petri, qui & officio senior erat & ætate, introiuit.
Mox aduenit Petrus, qui cognita re ex Ioāne, vt tardior
fuerat in cursu, ita audacior fuit pariter & curiosior in
vestigando. Non enim sufficit ei à longe prospexisse, sed
veritatem voluit certius inuestigare. Vnde vidit lintea-
mina angelico famulatu ad resurrectionis certitudinem
ordinatē posita: Secutus eum Ioannes credens sublatū
corpus. Nondum credebant eum reuixisse, tantum illud
credebant esse verū quod dixerat Maria, corpus sublatū
à monumento. Nondum enim plēnē intellexerant scri-
pturam propheticam, quæ certō prædixerat futurum vt
Iesus moreretur, ac tertio die reuiuisceret. Ecce quan-
tum periculum, non intelligere, nescire scripturas. Hinc
dominus Saducæis resurrectionem generalem neganti-
bus, ait Matthæi 22. Erratis, ignorantes scripturas & vir-
tutem dei. Vnde, 2. Petri. 1. Et habemus firmiorem pro-
pheticum sermonem, cui benefacitis attendētes, quasi
lucernæ lucenti in caliginoso loco, donec dies illucescat,

& lucifer oriatur in cordibus vestris. Lucæ. 24. Abiit (Pe-
trus) secum mirans quod factū fuerat. Dubitans ne quis
corpus sustulisset è monumento, variāque cogitās, à qui-
bus, quōve consilio id factum fuisset, quod corpore subla-
to videret relicta linteamina, veluti per ocium subtra-
cta corpori, quæ sine negocio nō poterant auelli, eaque
non temere desiecta, sed commodè in suum reposita lo-
cum, semoto ab his sudario, quo tectum fuerat caput Ie-
su. Gregorius: Hic diuinæ dispensationis magnitudo pē-
senda est, quia discipulorum corda & accenduntur vt
querant, & differuntur ne inueniant, quatenus infirmitas
animi, ipso suō mœrore cruciata, purgator ad inue-
niendū fiat: & tanto validius teneat, quanto tardius in-
uenit quod quærebat.

Ioan. 20.

L Maria autem stabat ad monumentum foris plorās,
Dum ergo fletet, inclinavit se & prospexit in monumē-
tum: & vidit duos angelos in albis sedentes, unū ad ca-
put, & unum ad pedes, ubi positum erat corpus Iesu. Di-
cunt ei illi: Mulier quid ploras? Dicit eis: Quia tulerunt
dominum meum, & nescio ubi posuerunt eum.

Clarè hic patet, quod dominus fidelis est, & seipsum ne-
gare non potest, iuxta Apostolum, 2. Timoth. 2. Quæsi-
uit antea in domo Simonis, & inuenit, audiréque meruit.
Dimittuntur tibi peccata tua, Luc. 7. Iterum nunc que-
rit ad monumentum plorans, nec antea cedit loco, donec
inueniat. Aug. viris redeuntibus, infirmiore sexum in
eodem loco fortior figebat affectus, & oculi qui domi-
num quæserant & non inueniebant, lachrymis iam va-
cabant, amplius iam dolentes quod erat ablatus de mo-
numento, quàm quod fuisset occisus in ligno, quoniam
magistri tanti, cuius ei vita subtrahata fuerat, nec memo-
ria remanebat, Greg. Amanti semel inspexisse non suffi-
cit, quia vis amoris intentionem multiplicat inquisitionis.
Quæsiuit enim prius, & minime inuenit: persevera-
uit vt quæreret, vnde contigit vt inueniret: actumque est
vt desideria dilata crescerent, & crescendo caperēt quod
inuenissent. Sancta enim desideria dilatione crescunt, si

autem dilatione deficiunt, desideria non fuerūt. Tum an-
geli quoque vt illius mœrorem consolarentur, vtrō cō-
pellant flentem. q. d. Potius gaudendum esset quā flendū.
Tulerunt, inquit, dominum meum. Suum dominum ap-
pellat, & etiānum mortuū amat, nihil sperans de resurre-
ctione, tantum in hoc discruciat, quod corporis sit ad-
empta præsentia.

Hæc cum dixisset, conuersa est retrorsum, & vi-
dit Iesum stantem, & non sciebat quia Iesus est. Dixit
ei Iesus: Mulier quid ploras? Quem quæris? Illa existi-
mans quia hortulanus esset, dixit ei: Domine, si tu sustu-
listi illum, dicito mihi ubi posuisti eum, & ego eum tol-
lam. Dixit ei Iesus: Maria. Conuersa illa, dixit ei: Rab-
bi, quod dicitur Magister.

Cum ergo fletet, adest omnium mœrentium consola-
tor Iesus. Chry. Cur non expectauit angelorum respō-
sum, quum ad minus homines multæ reuerentiæ appa-
rerent? Quia domino apparere angeli asurrexerūt, quod
ipsa aduertens, ad eū conuersa est, sed non cognouit, quia
fidē resurrectionis non habuit. Greg. Quia amabat & du-
bitabar, videbat & nō cognoscebat, eūque illi amor ostē-
debat, & dubietas abscondebatur. Interrogatur causa do-
loris, vt augeatur desideriu, quatenus eū nominaret quē
quæreret, in amorem eius ardentius æstuarer. Suspiciens
illa quod cultor & custos esset eius loci in quo erat mo-
numentū, quia in humili apparebat specie, ne subito sua
specie conspectus, mulierē expauesceret, domine, ait & c.
Gre. Consuetudo feruenter animantium est, vt nullū pu-
erit ignorare, quod ipsi indefinenter reuoluunt in cor-
de: Vnde more ebriorum ex amore loquitur, qui ratio-
nem & possibilitatem parum attendunt, æstimantes suā
potestatem parificari dilectionis feruori. Suspiciabatur enim
quod amicus quispiam ob Iudæorum metū curasset cor-
pus clandestinū asportandum, ne veniret in manus Iu-
dæorum, & secus tractarent quàm vellet. Gre. Fortitan
hæc mulier errando non errabat: nam & verè hortula-
nus est, eradicans germina mala, & inserens semina vir-
tutum, & fructus spiritus. Est autē in potestate corporis

PARS SECVNDA.

Quomodo
Iesus cum
Magdale-
na quære-
ndus.

gloriosi, exhibere sese prout vult, visibile & inuisibile, talē ergo se exhibuit choris, qualis erat in eorū cordibus, vt gradatim manifestā forentur veritatis notitiā. Sic lo-
let nōnunquā domin⁹, cōsolationis gratiā abscondere, vt quærentis mentē inflāmet quō ardentius quæretur: vt cū inuētus fuerit, cū maiori lætitiā recipiatur, & recept⁹ fer-
uentiori cautela teneatur. Cant. 3. Inueni quē diligit ani-
ma mea, tenui eū, nec dimittā. Quæram⁹ ergo cū Maria, si volumus inuenire. Cordialiter. Deu. 4. Cū quæseris domi-
nū, inuenies eū, si tamē toto corde quæseris, & tota tri-
bulatione animæ tuæ. Psal. 118. In toto corde meo exquisi-
ui te. Diligēter. Pro. 8. Beat⁹ homo qui audit me, & qui vi-
gilar: ad fores meas quotidie, & obseruat ad postes ostiū
mei. Qui, me inuenerit, inueniet vitā. Ge. 3. Surgā & cir-
cuibo ciuitatē, per vicos & plateas quærā quē diligit ani-
ma mea. Quæsiui illū, & nō inueni. Inuenērūt me vigilēs
qui custodiūt ciuitatē. num quē diligit anima mea, vidisti?
Vigiles, angeli sunt. Esa. 62. Super muros tuos Hierusalē
cōstitui custodes, tota diē & nocte nō tacebunt. Pauliū
cū pertransissēm illos, inueni quē diligit anima mea ef-
ficaciter: quia enim perseverauit, nullāque aliā cōsolatio-
nem admisit, meruit primā omnium inuenire. Psal. 76.
Renuit consolari anima meā: memor fui dei, & delecta-
tus sum. Cāt. 8. Aquæ multæ nō potuerūt extinguere cha-
ritatem, nec flumina obruēt illam. Si dederit homo om-
nem substantiā domus suæ pro dilectione, quasi nihil de-
spiciet eam. Iesus igitur delectatus tanto mulieris deside-
rio, voce iam nota & familiari cōpellat eam. Illa subito
gaudio rapta, solito titulo compellat præceptorem, sen-
tienti vim occultā, solitamque dulcedinem. Orige. O mu-
tatio dexteræ excelsi, conuersus est dolor magnus in gau-
diam magnū, mutatæ sunt lachrymæ doloris in lachry-
mas amoris. Non ei sufficit videre, sed ex vehemēti de-
siderio, qui intimē & immediatē cupit vniri amato, pro-
cidens voluit osculari pedes illius, memor adhuc veteris
familiaritatis. Nouerat, quia senserat, quoniam virtus de
illo exhibat & sanabat omnes, Luc. 6. Iesus autē sciens il-
lam nihil adhuc magni de se sentire, quanquam syncerē-
ter & flagranter amaret, à contactu corporis prohibuit
Noli me tangere. corpus idem est quod pendit in cru-

ARTICVLVS XXXVII.

ce, sed iā immortalitatis gloria decoratū. tuus autē affe-
ctus adhuc carnem sapit, quia nondū ascendi ad patrem
meum. Quod cum fecero, mittam vobis spiritum conso-
latorē, qui vos perfectos reddet eodēq; spiritali cōsortio
dignos. Necdum enim credis me patri æqualem, sed in-
feriorem & purum hominem. Satis sit interim tuo desi-
derio, quod me cōspexeris, quodq; loquentem audieris.

*Dixit ei Iesus: Noli me tangere. nondum enim ascendi
ad patrem meum. Vade autem ad fratres meos, & dic
eis: Ascendo ad patrem meum & patrem uestrum, deū
meum & deum uestrum. Venit Maria Magdalene annū-
cians discipulis, quia uidi dominum, & hæc dixit mihi.*

Abi potius ad fratres meos, ob mortem meam desola-
tos, & hoc gaudij quod ex meo conspectu es adeptus, quā
primū illis imparti, hisque verbis meis annuncia, quod
in hoc reuixi, dies aliquot. cum eis cōmoratus, terras re-
linquam & ascendam ad patrem. Deponant ergo terre-
nos affectus, & animum ad spiritalia ac caelestia erigāt.
Seue. Vocat fratres, quos corporis sui fecit esse germa-
nos, quos patri suo adoptauit in filios, quos præsciuit sibi
coheredes, quibus specialia amicitie indicia demonstrauit.
Augustinus: Non ait, patrem nostrum, quia non eodem
modo, quia meum per naturam, uestrum per gratiam.
Neque ait, deum nostrum, sed meum, sub quo & ego ho-
mo sum: & uestrum, inter quos & ipsum mediator sum.
Origenes: Sequamur huius mulieris affectum, vt perue-
niamus ad effectū. ploret vnuquisque ad Iesum, & quæ-
rat fideliter, apparebitque ei qui non celauit se peccatri-
ci quærenti. Læto hoc felicitique conspectu exhilarata, dū
properat commissam sibi legationem à domino expedi-
re, venit ad reliquas socias mulieres, lento adhuc gradu
ipsam præstolantes, indicans quod viderit dominum,
Quæ quasi exanimatæ, quod tam fausto sua negligentia
fuisent priuatæ spectaculo, per dominum simul consola-
ri meruerunt, Matthæi. 28.

*Ecce Iesus occurrit illis dicens: Aucte. ille autem
accefferunt, & tenuerunt pedes eius, & adorauerunt* Matt. 28.
M

Tunc ait illis Iesus: Nolite timere. Ite, nunciate fratribus meis ut eam in Galileam. ibi me uidebunt.

Currunt ergo ut hoc gaudium cōmunicent discipulis, quib⁹ occurrit Iesus, quō certiora nūciare possent. Hier. mulieres merentur audire, Auete, ut maledictum Euz mulieris, in mulieribus solueretur. Quibus pauidis ut animū redderet, ait: Nolite timere: quō & rectius perciperent quæ essent dicenda. Paulatim erexit animos suorū ad alacritatē, & spem peractæ resurrectionis. Hinc deterninat locum apparitionis, & promissæ visionis, ut ex loco probetur veritas, & ex promissō accēdatur charitas, Angelus apostolos nominauit discipulos, subiectionis & humiliationis ratione, domino dans honorē quamq̄ dominus fratres ipsos uocet charitatis amore. Hebr. 2. Non cōfunditur fratres eos uocare. Beda: O q̄ felices scēmīe, quæ triumphū resurrectionis mūdo meruerūt nunciare, ac mortis quā Eua serpēntino affectu cōtraxit, imperium disruptum prædicare. Quanto feliciores animæ virorum ac mulierū, quotquot in die iudicij percussis pauore ac digna ultione in die iudicij reprobis, ipsæ cælesti gratia adiutæ, triumphare de morte, & gaudium beatæ resurrectionis meruerint intrare? Rab. Per hoc quōd sic occurrit in eis, ostendit se omnibus iter virtutum inchoatibus, ut ad salutē peruenire queant, adiuuando occurrere. Esa. 64. Occurrissi latanti & facienti iustitiam. Chrys. Te nuerunt pedes eius, & cum superabundanti ad eum lætitia currentes, acceperunt per tactum coniecturam & certitudinē resurrectionis. Fortassis aliquis uestrū uellet & secundum illas effici mulieres, & pedes detinere le su. Potestis & nunc quicumque uultis, non pedes & manus tantum, sed & caput illud detinere sacrum, terribilibus porientis mysteriis pura cōscientia. Mar. 16. Surgens autem Iesus mane prima sabbati, apparuit primō Mariæ Magdalena, de qua eiecerat septem daemona. Illa uadēs nūciauit his qui fuerant cum eo, lugentibus & stētib⁹, & illi audietes quia uisus esset ab ea, & uiueret, nō crediderunt. Ad eō exciderat q̄ toties se tertio die promiserat resurrecturū, ut nec Mariæ crederent. Hierony. Humani generis culpa abciditur uade processit. Aug. Resurgen-

tem dominū priores scēmīe apostolis nūciauerūt, quia uiro mortem scēmina in paradiso nūciauit, ideo uiris scēmīe in ecclesia uitā nūciauerunt. Resurrectionem Christi apostoli gentibus erant prædicaturi, quam apostolis scēmīe nūciauerunt. Sed nulla in clytæ caelorum fit mentio reginæ, quæ domi residens, fide certissima filium resurgentem expectabat, quare cū reliquis ad uigendū non properauit. Cui & dominus ante omnes apparuit dicens, ut sentit Amb. Salus sancta parens, confortamini, dimittite fletus. tempus est gaudij & lætitiæ, quoniam regni ianua aperta est, hoste generis humani deuictō. Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra. Cōfirmat hoc autoritas præcipientis honorare parētes. Ipse autē qui non uenit soluere legē, sed adimplere, semper ipsam honorauit. Humiliter obediēdo, Luc. 2. Descendit cū eis Nazareth, & erat subditus illis. Gratanter defectū subleuando in nuptiis, aquam in uinum mutando, Ioā. 2. Fideliter commendando in morte ipsam discipulo, Ioan. 19. Nouerat in immensum maternum excedere affectum. Unde Tobias fili⁹ Raguelt ait: Ego noui quia pater meus & mater mea, modō dies computant, & cruciatur spiritus eorum in ipsis. Si ergo primō Magdalena præ apostolis, & Petro inter apostolos apparuit, præ cæteris amore simul & dolore flagrantibus, quanto magis matri præ omnibus diligenti & dolenti? Psalm. 53. Secundū multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificauerunt animam meam. Quod euangelistæ nullam de hoc faciant mentionem, mirum non est, quum nec ubi Petro, nec quando uel ubi apparuerit Iacobo scripserint, quum tamen Lucas clarē dicat quōd apparuerit Petro singulariter, Luc. 24. & apostolus primæ Corinthio. 15. quod plus quā quingentis apparuerit fratribus, & Iacobo & c. Et quia eorum propositum erat resurrectionis testes inducere, sed matris testimonium inefficax est pro filio. Et tertio, quia hoc pro cōstanti reliquerunt omnibus credibile.

Quæ cum abissent, ecce quidam de custodibus uenerunt in ciuitatem, & nunciauerunt principibus sacerdotum omnia quæ facta fuerant. Et congregati cum senio-

ribus consilio accepto, pecuniam copiosam dederunt militibus, dicentes: Dicitis quia discipuli eius nocte uenerunt, & furati sunt eum uobis dormientibus. Et si hoc auditum fuerit apud præsidem, nos suadebimus ei, & securos uos faciemus. At illi accepta pecunia, fecerunt sicut erant edocti. & diuulgatum est uerbū istud apud Iudæos, usque in hodiernum diem.

Quo resurrectionis fides etiam inimicorum testimonio confirmaretur, milites terramotu, & angelica apparitione stupefacti, veritatem resurrectionis nunciauerunt. Rab. Simplex animi æquitas, & indocta hominum rusticitas, sæpe veritatem rei prout est sine fraude manifestat, at contra uersuta malignitas falsitate uerisimilibus uerbis, pro uero commendare decertat. Unde consilium a se inuicē acceperunt quo ueritatē peruerterent: quum res esset manifestior quā ut possit dubitari, mēdaciū redimunt pecunia, quæ admodum antē proditoris operam redemerāt, nisi quæ maiore summa redimunt operam mēdaciū quā proditoris. Hiero, Custodes miracula confitentur: Illi autem qui post tale testimonium debuerant conuerti ad poenitentiam, & Iesum querere resurgentē, perseuerant in malitia, & pecuniam quæ in usus templi data fuerat, uertunt in redemptionē mēdaciū, sicut & antē triginta argenteos Iudæ dederāt proditori. Omnes ergo qui stipe tēpli in his quæ conferuntur in usus ecclesiæ, abutuntur in aliis rebus, quod suam expleant uoluptatem, similes sunt sacerdotibus mēdaciū & sanguinem saluatoris redimētibus. Chry. Verē formam mendaciū habebat quod dicebant. qualiter enim furarētur homines pauperes & idiotæ, & neque apparere audētes? Si enim Christo uiuente fugerunt, qualiter mortuo eo non timuissent tot militum multitudinem? Nunquid ostium sepulchri potuerunt euertere? Lapis imminēbat magnus, multis indigēs manibus. Nunquid nō etiā erat sigillū superimpositū? Quare nō persuasibilia sunt quæ de furto dicitis. Unde per quæ resurrectionē conantur obumbrare, eam inclarescere faciunt. Dicentes enim quod discipuli furati sunt, fatentur corpus non esse in sepulchro. furum autē ostēdit

dit mendax custodia militum, & pauor discipulorum. Remigius: O stulta infania, dormientes testes adhibes. si dormierunt, quomodo furum uiderunt. si non uiderunt quomodo testes sunt? si uiderunt, cur fures non detinuerunt? Et quod processit impietas? Si auditū, inquit, fuerit à præside quod furum sublatū sit, ne timueritis, quia suadebimus uerum esse quod dicitis, ita quod nihil uobis imputabit. Hiero. 9. Docuerunt linguam suam loqui mendacium, ut iniquē agerent laborauerunt. Sic omnes qui errant, & in errorem mittunt. 1. Timot. 3. semper in peius proficiunt. Confiungunt, imō redimunt pecuniis mendacia, quod suos semel inspicienter conceptos tandem pertinaciter constabulant errores. ad humana confugiunt susfragia, quod multitudine & autoritate periciant, quod ratione & ueritate non possunt. Chryso. Non mireris si pecuniæ milites superauerunt, quæ apud discipulum tantum ostenderunt uirtutem, ut facerent eum magistrum proditorem. Rab. O pestis magna auaritia, semper bonis animis detestanda. Quid illesum, quid inconcussum dimittis? Tu genus hominum confundisti, tu discipulum Christi comitē ab apostolatu præcipitasti, tu milites custodientes sepulchrum captiuaasti. Eccle. 10. Et pecuniæ obediūt omnia. Inuenit commentum tam friuolum in populo fidem. Rab. Error emptimendaciū, per quod resurrectionis denegant ueritatem, perseuerat in Iudæis, ne in Christū credant, & reatu eos constringit perpetuo.

Et ecce duo ex illis ibant ipsa die in castellum Lucæ. 24
quod erat in spatio stadiorum sexaginta ab Hierusalem N
nomine Emmaus: & ipsi loquebantur ad inuicem de omnibus quæ acciderant. Et factum est dum fabularentur, & secum quærerent, & ipse Iesus appropinquans, ibat cum illis: Oculi autem eorum tenebantur, ne cum agnoscerēt. & ait ad illos: Qui sunt hi sermōnes, quos cōfertis ad inuicem ambulantes, & estis tristes? Et respondens unus ex eis cui nomen Cleophas, dixit ei: Tu solus peregrinus es in Hierusalem, & ignoras quæ facta sunt in illa diebus?

Quam fructuosum sit ac salutiferum, & cor & corpus cum domino & in domino habere occupatum propter ipsius assentiam, & præsentiam, *.Seruauere modum magistri binos mittētis, Lucā. 10. ob charitatis legem ac testimonium veritatis. Inter eūdem varios miscent sermones, ita vt sit, præferim vbi quid mœroris est in animo. Erant enim morte domini vehemēter perturbati, iāque propemodum animum desponderant, ac spem abiecerant. Tandem illis multa in ipsos de Iesu commentantibus, & ecce lupus (quod dici solet) in fabula. Iesus enim qui promiserat sese futurum in medio, vbicunque duos comperisset de se loquentes, Matth. 18. etiam iuxta corporis præsentiam tum exhibuit, quod iuxta spiritum nunquam facere desinit. Quemadmodum adesse gaudet de se confabulantibus dominus Iesus, ita satanas adesse gaudet his qui miscent confabulationes, bonorum morum corruptices. Imò spiritus mendax in ore est omnium malorum. 3. Reg. 21. Ad decipiendum. Hinc admonet Petrus, 1. Pet. 4. Si quis loquitur quasi sermones dei Ephe. 4. Omnis sermo malus de ore vestro non procedat: sed si quis bonus ad ædificationem fidei, vt det gratiam audientibus. Felices cum quibus ambulat Iesus, quia nihil habent timere, cum salutem secum habeant. Luc. 22. Quando mihi si vos sine sacco & pera, nunquid aliquid defuit vobis? At illi dixerunt: Nihil. Mar. 16. Post hæc autem ducibus ex his ambulantis ostensus est in alia effigie, euntibus in villam. Nam in potestate est corporis gloriosi, quomodo & quando vult apparere. Greg. Quia amabant & dubitabant. ideo dominus eis foris apparuit, & quis esset, intus: non ostēdit. Sic Syri nec locum nec Heliseum cognouerūt. 4. Reg. 6. sic nec fores Loth Sodomitæ Gē. 19. Gre. Interrogat, vt instruendi occasione accipiat. sic Gene. 3. Adam, vbi es? O quā exactè in iudicio exquiret, qui sint sermones nostri. Mat. 12. Dico vobis, quoniam omne verbum ociosum quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicij. Causam tristitiæ inquiri, quò liberius loquantur, nam de morte domini tristes erant. 2. Cor. 7. Quæ secundum deum tristitia est, poenitentiam in salutem stabilem operatur: seculi autem tristitia mortem operatur. Prou. 25. Sicut tinea vestimento & vernis

ligno, ita tristitia viri nocet cordi. Eccl. 10. Tristitiam non des animæ tuæ, & non affligas temetipsum in consilio tuo. Iucunditas cordis hæc est vita hominis, & thesaurus sine defecione sanctitatis, & exultatio viri, longauitas. Habet autē hoc propriū humanus affectus, vt quod cuique valde cordi est, putet nemini ignotum esse, & nemini non esse curæ. Res, inquit, omnibus est notissima, quicunque versantur Hierosolymis. Beda: Peregrinū putabant, cuius vultum non agnoscebant. Sed reuera peregrinus erat eis, à quorū naturæ fragilitate, percepta iam resurrectionis gloria, longè distabat, & à quorum fide, vt pote resurrectionis eius nescia, manebat extraneus. Fuit & in hoc mundo peregrinus. Ioa. 1. In propria venit, & sui eum non receperunt, docēs nos in hac miseriarū valle peregrinos esse. Hinc David psal. 38. Aduena ego sum apud te & peregrinus, sicut oēs patres mei. 1. Para. 2. 9. Peregrini sumus coram te & aduenæ, sicut omnes patres nostri. Dies nostri quasi umbra super terram, & nulla est mors. Hebræ. 15. Non habemus hic manentē ciuitatem, sed futurā inquirimus. Nam dum sumus in hoc corpore, peregrinamur à domino. 2. Cor. 5. Est autem peregrino necessariū, primò oneris depositio retardantis. sic ipse mortalitatem deposuit. Ideo admonet Aposto. Heb. 12. Deponentes omnne pondus & circumstantias nos peccatū, per patientiā curamus ad propositū nobis certamen, aspicientes in authorem fidei & consummatorē Iesum, qui proposito sibi gaudio, sustinuit crucem cōfusione cōnrepta, atq; in dextera dei sedet. 1. Pet. 2. Obsecro vos tanq̄ aduenas & peregrinos, abstinere vos à carnalibus desideriis, quæ militat aduersus animam. Gal. 5. Caro concupiscit aduersus spiritū & spūs aduersus carnē. Ro. 8. Si secūdū carnē vixeritis, moriemini: si autē spū facta carnis mortificaueritis, viuetis. Secundò, itineris recti cōseruatio. Pr. u. 12. In semita iustitiæ viua, iter autē deuiū ducit ad mortē. Ioa. 14. Ego sum via, veritas, & vita. Hinc 1. Ioa. 2. Qui dicit se in Christo manere, debet sicut illa ambulauit, & ipse ambulare. 1. Pet. 2. In hoc enim vocati estis, quia Christus passus est pro nobis, vobis relinquēs exemplū, vt sequamini vestigia eius. Ioa. 12. Qui sequitur me nō ambulat in tenebris, sed habebit lumē vitæ. Tertiò, Alieni negocij despectio. nō enim ar-

Peregrinus quomodo fuerit Christus.

Peregrinatio necessaria quæ.

tendit quid alij agunt 1. Ioa. 2. Nolite diligere mūdū, neq; ea quæ in mundo sunt si quis diligit mundū, nō est charitas patris in eo. Iac. 4. Quicumq; enī voluerit amicus esse seculi huius, inimicus dei constituitur. Quarto, ad patriā festina p̄fectio. Hebr. 4. Festinemus ingredi in illam requiē. Col. 3. Si confurrexistis cū Christo, quæ sursum sunt querite, vbi Christus est in dextera dei sedens: quæ sursum sunt sapite, nō quæ sup̄ terrā. 2. Cor. 5. Scim⁹ enī quoniā si terrestribus dom⁹ nostra hui⁹ habitationis dissoluatur, q̄ ædificationē ex deo habemus, domum non manufactā aternam in caelis Nā & in hoc ingemiscimus, habitationem nostrā quæ de caelo est, superindui cupientes: si tamē vestiti, & nō nudi inueniamur. Nā & qui sumus in hoc tabernaculo, ingemiscimus grauati, eo q̄ nolumus expoliari, sed superuelitri, vt absorbeatur quid mortale est, a vita.

2. *Quibus ille dixit: Quæ? Et dixerunt. De Iesu Nazareno, qui fuit vir propheta, potēs in opere & sermone coram deo & omni populo. Et quomodo eū tradiderunt summi sacerdotes & principes nostri in damnationem mortis, & crucifixerunt eum. Nos autem sperabamus quia ipse esset redempturus Israel, & nunc super hæc omnia tertia dies est hodie quod hæc facta sunt. Sed & mulieres quædam ex nostris terruerunt nos, quæ ante lucem fuerunt ad monumentum: & non inuento corpore eius uenerunt, dicentes se etiam uisionem angelorum uidisse, qui dicunt cum uiuere. Et abierunt quidam ex nostris ad monumentum, & ita inuenerunt sicut mulieres dixerunt: ipsum uerò non inuenerunt.*

Tum dominus quasi discere uolēs, quū docturus uenisset, interrogat: illi simpliciter uelut hospiti & rerum gestarū ignaro, summā negocij exponunt, ingenuē p̄tentes quū nihil adhuc sentirēt de Iesu dignū ipsius dignitate, quū de resurrectione sp̄e penē oēm abieciisset. Beda: Prophetā fatentur, filiū dei tacent, uel nondū perfectē credētes, uel solliciti ne incidere in manus Iudæorum persequentiū, quia nesciebant quis esset, quod erat uerura celantes, &

*Ematias
quæ nō de
Iesu fides.*

subiungunt: Potens in opere. non enim solū foris uerbo mouebat auditum, sed intus per gratiam. Matt. 7. Erat enim docens sicut potestatem habens. Ioa. 7. Nunquā sic locutus est homo. Act. 1. Cœpit facere & docere. Scribæ uerò dixerunt, & non faciebant, Matth. 23. Nec coram deo, sed solū coram populo. Matt. 23. Omnia opera sua faciunt, vt appareant hominibus. Magnum est coram deo esse bonum per rectam intentionem. Psalm. 15. Providebam dominum deum in conspectu meo semper. Et coram populo per bonam conuersationem. Roman. 12. Prouidentes bona non tātum coram deo, sed etiam coram omnibus hominibus. Quanquā Iudas ipsū tradiderit cupiditate auaritiæ, & Pilatus peruersitate iustitiæ, tamen principes dicuntur hoc fecisse, quia omniū causa erat. Io. 19. Gens tua & pontifices tui tradiderūt te mihi. Neq; quicquam affulget certioris spei, nisi quod mulieres quædam ē sodalirio nostro, nos nouo & inaudito nuncio magis etiam attonitos reddiderunt. Glos. De non inuento corpore plus mœsticiam addiderunt, quàm de nunciata resurrectione gaudium, quō recrearentur, attulerunt. Metuebant enim ne Iudæi ipsis imponerent, corpus auferendo. Beda: Ecce se ipsos arguunt, quod in illo redemptionem sperauerunt, quem mortuum, sed non resurgere uiderent. Errabant autem, temporalem, non spiritualemente redēptionem intelligentes. Psalm. 29. Quia apud dominum misericordia, & copiosa apud eum redēptio. Vnde & de promissione resurrectionis tacent, nescientes cui loquerentur, quam tamen tacitē innuunt, signanter tertiam diem exprimentes. Sed ne uideantur mulierum uerbis tāquam meticulosi territi, addunt testimonia uirorum. Ex nostris, inquit, quo se fatentur discipulos Iesu. Tones ab eo audierunt tertia die se resurrecturum, Matthæi. 12. 20. 26. Ioannis. 2. & se rediuiuum conspectui ipsorum præbiturum. Ioannis. 16. Iterum uidebo uos, & gaudebit cor uestrum, & gaudium uestrum nemo tollet a uobis. unde sp̄e conceperant, sed uerbis mulierum & Petri ac Ioannis tota conderat.

*Et ipse dixit ad eos: O stulti & tardi corde ad credendum in omnibus quæ loquuti sunt propheta. Non-
li iij*

ne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam? Et incipiens à Moysè & omnibus prophetis, interpretabatur illis in omnibus scripturis quæ de ipso erant. Et appropinquauerunt castello quò ibant, & ipse se finxit longius ire. Et cogerunt eum, dicentes: Mane nobiscum, quoniam aduersperascit, & inclinata est iam dies. & intrauit cum illis. Et factum est dum recumberet cum eis, accepit panem, & benedixit ac fregit, & porrigebat illis. & aperti sunt oculi eorum. & ipse euauit ex oculis eorum, & dixerunt adinuicem: Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in uia & aperiret nobis scripturas? Et surgentes, eadem hora regressi sunt in Hier. salem: & inuenerunt congregatos undecim, & eos qui cum illis erant dicentes: Quia surrexit dominus uerè, & apparuit Simoni. Et ipsi narrabant quæ gesta erant in uia, & quomodo cognouerunt eum in fractione panis.

Quum hac narratione discipuli simpliciter declarassent, quàm vacillarent animo, quàm in exigua spe essent de promissis domini, tum Iesus nondum patitur agnoscere se, sed ueluti doctior quispiam Iesu discipulus, obiurgat illorum tarditatem, & castigat incredulitatem. Quæ ista nunc noua uobis videntur postea quàm gesta sunt, quum hæc omnia tot retro seculis gerèda prædixerint prophetarum oracula. Pet. 1. De qua salute exquiserunt atque scrutati sunt propheta, qui de futura in uobis gratia prophetauerunt, scrutantes in quod uel quale tempus significaret in eis spiritus Christi: prænunciens eas quæ in Christo sunt passionēs, & posteriores glorias. Luca. 18. Ecce ascendimus Hierosolymam, & consummabuntur omnia quæ scripta sunt per prophetas de filio hominis. August. Quod intelligimus, debemus rationi: quod credimus, authoritati: sed quod opinamur, errori. Nonne doceri hoc, a statu cælesti prodita scripturæ, sic fuisse uisum consilio diuino, ut Christus hæc omnia pateretur, quæ passus est, &

sic noua ratione per mortè repareret uitam, per crucem assereret regnum, per ignominiam intraret in suam gloriam? Ecce Christus non sine passione intrauit in gloriam suam, quomodo ergo nos in alienam? Beda: Hoc nobis in loco nõ ullam scripturam interpretandi, sed gemina nos ipsos humiliandi necessitas incumbit, qui neque in scripturis quantum oportet edocti, neque ad implenda quæ nouimus, quantum decet, sumus intenti. Nam si moyses & omnes propheta: Christum locuti sunt, & hunc per angustam portam passionis, in suam gloriam intraturum prædixerunt, quæ ratione gloriantur se Christianos, qui iuxta uirium suarum modulum, neque scripturas qualiter ad Christum perueniant inuestigant, neque ad gloriam quam cum Christo habere cupiunt, per passionēs tribulationum desiderant attingere? Act. 14. Quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum dei. Rom. 8. Non sunt condigne passionēs præsentis temporis, ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis. Quum hac obiurgatione cuncta dominus reddidisset eos attentiores, enarrauit illis scripturas omnes, quæ palam prædixerunt hoc futurum in Christo, quod iam euenerat. Act. 10. Huic omnes propheta: testimonium perhibent. Ioan. 5. Si crederetis Moysi, crederetis etiam & mihi, de me enim ille scripsit. Act. 3. Deus qui prænunciauit per eos omnium prophetarum pati Christum suum, impleuit sic. Fœlices qui talem habent interpretem. Psal. 118. Declaratio sermonum tuorum illuminat, & intellectum dat paruulis. Sicut, inquit, uidistis illum morientem ac sepultum, ita uidebitis rediuium, uidebitis ascendentem in cælum, postremo genus hominum uniuersum uidebit illum in maiestate patris, cunctum agminibus angelorum, iudicantem uiuos & mortuos. Hæc omnia prædicta sunt à prophetis, designata figuris Mosaicæ legis, magna ex parte præstita. nec oportet ad dubitare quin omnia suis temporibus sint exhibenda. Hic sermo domini Iesu non tantum feriens aures discipulorum, uerum etiam in animos penetrans, sic illos occupauit, ut nec uia sentirent laborem, nec faciem loquentis agnoscerent, nec ueniret ipsis in mentem ut apud se cogitarent, quis esset iste cui sic in promptu essent scripturæ sacræ, doctrina tota ac uita Iesu, quique eos tam

efficaci sermone suspēderet & afficeret. Iesus autē quā magis accēderet illorū desiderū, præ se ferebat quasi nollet in Emaunte commorari, eis talē se exhibēs foris, qualis erat in ipsorū mente. Discipuli verō quoniā auelli nō poterāt à tam facundo comite, precibus improbis cōpel- lunt. Greg. Quo exēplo colligimus, quod peregrini nō solū inuitādi, sed & cogēdi sunt ad hospitū. Sic Abrahā tres angelos, Genē. 18. Eia. 58. Frange esurienti panē tuum, & egenos vagōsque induc in domū tuā. Dū recumberet humiliter, tenuit modū consuetum quo cum agnoscerent. Sciebant enim hunc morē ipsi peculiare, vt ante cibū ageret grātiās patri, deinde suis manibus fractum, partiretur in discipulos: quare velut expergefācti, cōeperunt cogitare de Iesu. Dumque subitus quidē stupor corripit il- lorum animos, Iesus euanuit. Corpus enim gloriosum v- bicūque vult, protinus erit, vt dicit Augu. Paulatim enim & parcē faciebat sui corporis copiam à morte, vel quōd imbecillitas humana non ferret rediuiui corporis maie- statem, vel vt sensim assuescerent carere corporis cōspe- ctu, quod mox esset abducendum, quō iam amarent illū iuxta spiritum. Tenebantur oculi, quia nō credebāt, nunc absentem vident oculis fidei. Greg. Audiendo verba dei, illuminati non sunt, sed fauendo: quia non auditores le- gis iusti sunt apud deum, sed factores legis iustificabun- tur, Roma. 2. Theo. Sed & aliud innuit, quod scilicet su- mentibus sacrū panē, aperiuntur oculi vt eū agnoscant. magnā enim & ineffabile vim habet domini caro. Nisi dormitassemus, inquit, poteramus vel ex ipsius pariter colloquio, conuicere ipsum esse Iesum. Hic. 2. Nunquid non verba mea sunt quasi ignis, dicit dominus, & quasi malleus conterens petras? Gre. Ex audito quippe sermo- ne inardescit animus, torporis frigus discedit: fit mens in superno desiderio anxia, à cōcupiscentiis terrenis aliena: audire ei libet præcepta cælestia, & quot mādatis instrui- tur, quasi tot facibus inflāmur. Talis solet esse oratio do- mini Iesu iis qui simpliciter audiunt. Obserua tria homi- num genera. Vnum, quod à se Christum abiicit. Iob. 21. Qui dicunt deo, recede à nobis, scientiam viarum tuarū nolumus. Psal. 35. Noluit intelligere vt bene ageret. Hi re- sistunt inspirationi diuinæ, & data opera alienantur à

*Tria homi-
nū genera.*

deo, quibus dicit Efaia. 46. Redite præuaticatores ad cor. Ipsi autē nolunt. Hic. 8. Apprehēderunt mendacium, & noluerunt reuerti. attendi & auscultauī, nemo quod bonū est loquitur, nullus est qui agat pœnitentiā super pec- cato suo. Ideo Heb. 12. Contēplantes ne quis desit grātiæ dei. Alterū, eorum qui veniunt ad Christum, sed non per- manent. Luc. 8. Quia ad tēpus credunt, & in tēpore ten- tationis recedunt. 2. Ioan. 1. cap. Videte vosmetipsos, ne perdati s quæ operati estis, sed vt mercedē plenā accipia- tis. Hic. 17. Domine, omnes qui te derelinquunt, cōfundē- tur. recedentes à te, in terra scribētur, quoniā dereliquē- runt venā aquarum viuentiū dominum. Tertium, ipsorū qui secū Christum habēt, quos inhabitat per fidē. Eph. 3. Ioan. 15. Manete in me, & ego in vobis. 1. Ioā. 4. Deus cha- ritas est: & qui manet in charitate in deo manet, & deus in eo. Dum ergo sentis te propensum ad pristinos vitæ mores, atque ea tibi arridet, quā paulò antè reliquisti vi- ta, exclama: Mane nobiscū domine, mors imminet ani- mæ, & nox insensa optimis moribus. Amat rogari domi- nus, vt id faciat quod facit, libēter vt det promerentibus & dignis, vt ergo tanti gaudij reliquos quoque discipu- los redderēt participes. mutuaque collatione fides omnī cōfirmaretur. egressi sunt, & inuenerūt congregatos disci- pulos. Qui non expectata narratione duorū, vltro gaudio gestientes, indicabant illis, quōd post incertā spem quā mulieres primæ omnīū fecerant de domini resurrectione, cōpertū esset eum verē resurrexisse. Nam apparuerat Simoni Petro. Huius oratio quoniā inter apostolos quā- m sermo muliebris. Hunc enim primum consolari domi- nus voluit & confirmare sua præsentia, quem sciebat præter malum diffidentia malum, etiam abiurati do- mini conscientia grauari. Hoc nuncio læti duo discipu- li, & ipsi narrant quæ obtigerant in via, & mensa.

Dum autem hæc loquuntur, stetit Iesus in medio eorum, & dixit: Pax vobis. ego sum, nolite timere. Cō- turbati uerō & conterriti, existimabant se spiritum ui- dere, & dixit eis: Quid turbati estis, & cogitationes ascendunt in corda uestra? Videte manus meas & pedes

Luc. 24.

meos, quia ego ipse sum. Palpate & uidete, quia spiritus carnis & ossa non habet, sicut me uideatis habere. Et cum hæc dixisset, ostendit eis manus & pedes.

Quantum & in quibus diuinæ gratiæ illustratio operetur, & quàm variè & diligenter dominus resurrectionis suæ cõprobarit mysteriũ, ostenditur. Dum enim huiusmodi sanctis colloquis se vicissim consolatur & exhilarant, quibusdam credentibus, quibusdam etiãnum dubitantibus, stetit Iesus in medio tanquã mortis triumphator & salutis cõsummator, ac pacis reformator. vt omnes sua præsentia æquè consolaretur. Act. 10. Nõ est acceptio personarũ apud deum. Chry Nõ rex apud illum nobilior, nõ pauper inferior, nõ diues potetior, non dominus potior, sed omnibus cõæqualis deus & dominus, iudex iustus. Sap. 6. Pusillum & magnum ipse fecit, & æqualiter est illi cura de omnibus. Sic lignũ vitæ in in medio paradisi, Gen. 2. Fecit quod docuit. Matt. 10. In quacunque dominũ intraueritis, primũm dicite: Pax huic domui. & si ibi fuerit filius pacis, requiescet super eum pax vestra: si autẽ: ad vos reuertetur. Duplicem autẽ dominus distinguit pacem. Ioã. 14. Pacem relinquo vobis, pacem meã do vobis: nõ quomodo mũdus dat, ego do vobis. Est ergo pax malorum, contemnẽda, quia perniciofa. Greg. Sicut noxiũ esse solet si vnitas desit bonis, ita perniciosum si adsit malis. Prou. 1. Fili, si te laetauerint peccatores, ne acquiescas eis: si dixerint, veni nobiscũ, insidiemur sanguini, abscondamus tendiculas contra infontem frustra, deglutiamus eum sicut infernus viuentem & integrum, quasi descendẽtẽ in lacum, omnem preciosam substantiam reperiemus, implebimus domos nostras spoliis, sortem mitte nobiscum, marsupium sit vnum omnium nostrũ, filimi, ne ambules cũ eis. Talis est pax demonũ, qui in persecutionem hominũ consentiunt. Luc. 11. Si Sathanas in seipsum diuisus est, quomodo stabit regnũ eius? Ipse cum nullo pacẽ facit, nisi dextris erutis oculis, quibus caelestia & diuina contẽplantur. si rex Naas. 1. Reg. 11. Iabaonitis ait: In hoc feriã vobiscum fœdus, vt eruaũ omnium vestrum oculos dextros. 2. Cor. 4. Quod si opertũ est euangelium nostrum, in iis qui pereũt, est opertũ, in quibus deus huius

seculi excaecauit mentes infidelium, vt nõ fulgeat illis illuminatio euangelij gloriæ Christi. Hanc saluator venit soluere Matth. 10. Nõ veni pacẽ mittere, sed gladiũ. Tales enim, quantũcũque pacifici videãtur, nunquã tamẽ verã habet pacẽ Esa. 57. Non est pax impiis, dicit dominus. Marci. 9. Vermis eorũ non moritur, & ignis non extinguitur. Bonorũ amplectenda, quia salutifera. Bed. Pacem offert, quã quasi pignus eis speciale salutis ac vitæ cõmẽdauerat, & angeli ipso nato cecinerunt. Luc. 2. Gloria in altissimis deo, & in terra pax hominibus bonæ volũtatis. Vnde à propheta princeps pacis dicitur, Esa. 9. & apostolus Ephe. 2. Veniens euangelizauit pacem vobis qui longẽ fuistis, & pacẽ iis qui propè: quoniã per ipsum habemus accessum ambo in vno spiritu ad patrem. Ad deum, cõsistit in humili obediẽtia Iob. 9. Quis resistet ei, & pacẽ habuit? Ro 5. Iustificati ex fide, pacẽ habeamus ad deũ. 2. Cor. 5. Pro Christo legatione fungimur tanquã deo exhortate per nos, obsecramus pro Christo, reconciliamini deo. Ad seipsum, in simplici consciẽtia Pro. 13. Secura mēs quasi iuge conuiuiũ. Ro 8. Præsertim spiritus, vita & pax. Ad proximũ, in amabili paciẽtia. nisi enim iuxta apostolum, alter alterius onera portare studeat, Gal. 6. nunquã cõstabit pax. Vnde post fructũ spiritus, pacẽ sequitur paciẽtia, Gal. 5. Fructus autẽ spiritus, caritas, gaudium, pax, paciẽtia. Rom. 12. Si fieri potest, quo lex vobis est, cum omnibus hominibus pacẽ habentes. Matth. 5. Beati pacifici, quoniã filij dei vocabũtur, Per hæc peruenitur ad æternã pacẽ. Luc. 2. Nunc dimittis seruum tuum domine secundum verbũ tuum in pace. Esa. 32. Sedebit populus meus in pulchritudine pacis in tabernaculis fidutiæ, in requie opulenta. Chry. Discipulis dixit, pax vobis, quia præliũ inexpugnabile cum Iudeis habebãt: mulieribus, auete, gaudium annuncians, quia in tristitia erãt. Ego sum, inquit, nolite inordinato timore concuti. Notam edit vocem, quò cognoscant eundem ipsum, qui & antè dixit Iudeis, Ioan. 8. Antequã Abraham fieret, ego sum. Sic Exo. 3. Ego sum qui sum. & Matt. 14. Habete fidutiã, ego sum. nolite timere. Creatura enim nihil habet à se, nisi nõ esse: quia totum suum esse, & conseruationẽ habet ab illo, qui solus est suum esse. Sap. 11. Quomodo autem posset aliquid per

Pax ad deũ
in quo consistat.
Ad seipsum,
in quo.

manere, nisi tu voluisses? aut quod à te vocatū nō esset, cōseruaretur? Ad hāc vocem, quæ merito omnē propulsare debebat formidīnē, quorundā discipulorū imbecillitas, metu exanimata & expauescēta, nō credebatur esse Iesum, sed spiritū. Beda: Licet Christū ante passionē verā sciret carnē habuisse, non tamē illā credebant resurrexisse, sed spiritū in cruce emissum putabāt se videre, maximē quia Ioan. 20. dicitur, quod clausis venerit ianuis. Iesus igitur vt certā fidem faceret omnibus, se & viuum esse, & verum gestare corpus, nec aliud corpus quam quod antē gestauerat, obiurgans ait: Quid turbati estis, & diffidentia adhuc cogitationes vos conturbant? Bed. Perniciosa erāt discipulorum cogitationes in eo quod de Christi resurrectione dubitabāt, quia perdidisset Christus fructū suæ passionis, si non fuisset veritas resurrectionis. Obserua quod pharisa vis est inferior animi, quæ quādoque recta, quādoque est erronea: intelligentia autem vis superior, quæ semper recta. Malæ ergo cogitationes ascendunt de corde. Mat. 15. De corde exeūt cogitationes malæ. Inducunt enim ad malā delectationē, delectatio ad peccatū. Iac. 1. Vnusquisq; tētur à cōcupiscētia sua abstract⁹ & ille cū: deinde cōcupiscētia cū conceperit, parit peccatū: peccatū verò cū consummatum fuerit, generat mortē. Ideo Hic. 4. Vt quo morabuntur in te cogitationes noxiæ? Laua à malitia cor tuū. Bonæ desursum veniūt à patre luminū, à quo omne datum optimū, & omne donum perfectum est descēdens, Iac. 1. Nā. 2. Cor. 3. Non quod sufficientes simus cogitare aliquid à nobis tāquā ex nobis, sed omnis sufficientia nostra ex deo est. Phil. 2. Deus est qui operatur in nobis velle & perficere pro bona voluntate. O stendit ergo hoc ænigmate se deū, cui soli patent cordis secreta. 1. Reg. 16. Homo videt ea quæ patēt, de⁹ autē inuētur cor. Satisfacite omnibus sensibus vestris. Quod ingressus sum ianuis clausis, quod cū volo cōspicior, quū volo sum in conspicuus, non est præstigiū, sed de⁹ corporis iam immortalis facti. Talia erunt & vestra post resurrectionem. Aliquid palpabile est ex naturæ necessitate, vt corpus mortale, propter grossitiem & impuritatem, aliquid ex voluntatis libertate: sic corpus gloriosum, quod cū vult tangi, impellenti resistit, cū sit cor-

pus solidum: si non vult tangi, per effectum spiritualis potentia, hoc est, subtilitatis dotē, potest organum tact⁹ penetrare & ita latere. Beda: Non vultum, sed manus & pedes ad videndum offert, vt idem quod in cruce pependerit, ad veritatem resurrectionis ostenderet corpus, & ad maiorem certitudinem etiā palpandum. Hinc & vulnera non sanandi infirmitate, sed vt resurrectionis fidem astrueret reseruauit, & in iudicio redemptis misericordiæ & redemptionis signa ostenderet, ac malis iustæ damnationis causam aperiret, Apoc. 1. Zach. 13. Videbunt in quē transixerunt.

Adhuc autē illis non credentibus & mirantibus præ gaudio, dixit: Habetis hic aliquid quod manducatur? At illi obtulerunt ei partem piscis assi, & fauū mellis. Et cū manducasset coram eis, sumens reliquias dedit eis, & dixit ad eos: Hæc sunt verba quæ locutus sum ad uos, cū adhuc essem uobiscum, quoniam necesse est impleri omnia quæ scripta sunt in lege Moysi, & prophetis, & psalmis de me.

Ebrietas quædā laritiæ tenebat illorū animos, vt nec oculis, nec auribus satis fiderent. Ioā 20. Gaudiū sunt ergo discipuli viso domino. Quæ multū lata sunt, vix credi possunt, vt dicit Augu. Apparet enim ex verbis Thomæ, quod obreuerentiā non cōtigerint corpus, quū sine attractu vultum se crediturū negaret, Ioā. 20. Et hoc pro nobis faciebat. nā dominus pergebat probare, & omnib⁹ argumētis illorū incredulitati mederi, ne quid in nobis resideret diffidentia. Bed. Ad confirmandā resurrectionis fidē seipsum dominus viuū discipulis præbuit, verba exhortationis attulit: vestigia passionis non solum intus, sed & palpanda demonstrauit: sed infirma adhuc eorum precordia nouitatem tantæ potentia capere nequeunt, magisq; mirari præ gaudio quod videbant, quā credere quod docebatur, incipiunt. Sed ne quid ambiguitatis in eorum remaneret cordib⁹, sumptis epulis comedit corā eis. Hæc duo à nobis optat offerri, piscem assum per carnis mortificationē, fauū mellis per mentis deuotionē. Quod euidētius cognoscerent, reliquias illis porrigit ad manducan-

*Cherinthia
na heresis.*

dum. Act. 10. Hunc deus suscitauit tertia die, & dedit eum manifestū fieri non omni populo, sed testibus præordinatis à deo, nobis qui manducauimus & bibimus cū illo, postquā resurrexit à mortuis Bed. Cauenda est heresis Cherinthianoru, ne quis domitū post resurrectionē credat eguisse sustentaculo cibariorū, sed corpus ipsius immortale factū, nullā quidem necessitatē, attamē facultatē habuisse māducandi deoq; vbi oportunitas probandæ substantiæ naturalis exigebat, cibis esse refectum. Augu. Si cut aliter absorbet aqua terra sitiens, aliter radius solis calens, illa indigētia, iste potētia, sic Christus ante passionē indigentia māducauit post verō potestate. Bed. Omnes ambages aufert. visus est, tactus est, manducauit, & ne in aliquo sensus iudicasse humanos videretur, mittit manū ad scripturas, vt si magicis artibus videatur potuisse quod voluit, sicut dicūt pagani, saltē videant eum pphetare non potuisse, antequā natus fuerit. Hæc sunt que toties vobis inculcaui, quā adhuc mortalis agerē inter mortales, quoniā necesse, non necessitate coactionis, sed immutabilis præordinationis. Luc. 21. Et filius quidē hominis, secundum quod diffinitum est, vadit. Matt. 7. Iota vnum, aut vnus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant. Hinc Actu. 3. Deus autem qui prænunciavit per os omniū prophetarum pati Christum suum, impleuit sic. Hoc se verum ostendit deum & hominem eiudem animæ & corporis sicut ante passionem.

3 Tunc aperuit illis sensum, ut intelligerent scripturas, & dixit eis: Quoniam sic scriptum est. & sic oportebat patri Christū, & resurgere à mortuis tertia die, & predicari in nomine eius poenitentiam & remissionem peccatorum in omnes gentes.

Quoniā mysticæ literæ non intelliguntur nisi deus aperiat nobis mētem, aperuit illis cordis oculos, vt quod scriptum esset, legerent, crederent, & intelligerent. Non enim intelligit, nisi qui credit. Esa. 7. Nisi credideritis, nō intelligetis. gl'of. Post visum, post tactū, post commendatam legē, aperuit illis sensum, remouendo ignorantiam, infundendo scripturarū intelligentiam. Ipse enim habes

clauem David: claudit, & nemo aperit: aperit, & nemo claudit, Apo. 1. Ioan. 5. Scimus quoniam filius dei venit, & dedit nobis sensum, vt cognoscamus verum deū, & simus in vero filio eius. Hinc Act. 4. Videntes Petri cōstantiam & Ioannis, comperto quōd homines essent sine literis & idiotæ, admirabantur, & cognoscebant quoniam cum Iesu fuerant. Iob. 31. Inspiratio omnipotētis dat intelligentiam. Per ignominia & mortem crucis iter erat ad gloria, resurgendū erat tertia die, vt sciretis vos habere dominū & patronum viuū posthac nō moriturum. Apoc. 1. Ego sum primus & nouissimus, & viuus, & fui mortuus, & ecce sum viuens in secula seculorum. Hinc claret, me esse Christū promissum. Et predicari poenitentia antea vitæ. Act. 17. Et tēpora quidē huius ignorantia despiciens deus, nūc annūciat hominibus, vt omnes vbi que poenitentia agant, eodē q; statuit die in quo iudicaturus est orbē in æquitate, in viro in quo statuit, fidem præbens omnibus, suscitans eū à mortuis. Hinc Ioannes à poenitentia exorsus est. Mat. 3. Imō Christus. Mat. 4. Poenitentiam agite, appropinquabit enim regnū calorū, In omnes gentes, non in vnā tantum. 1. Ioā. 2. Ipse est propiciatio peccatis nostris: non pro nostris tantum, sed etiā pro totius mundi. Act. 13. Notum sit vobis fratres, quia per hunc vobis remissio peccatorū annūciatur ab omnibus quibus non potuistis in lege Moyfi iustificari. In hoc omnis qui credit, iustificatur. Actu. 10. Huic omnes propheta testimoniū perhibent, remissionem peccatorū accipere per nomē eius, omnes qui credunt in eū. Bed. Hic nimirū ordo erat necessarius, vt prius pro salute mūdi sanguis funderet, postque per eius resurrectionē & ascensionē pateferet hominibus cælestis ianua regni, & sic demū mitteretur qui cunctis per orbē nationibus verbū vitæ predicaret, ac sacramēta fidei, quibus saluari atque ad gaudia supernæ patriæ possunt attingere, ministraret. Quo enim aptius exēplo poterant homines ad finē participandæ glorie immortalis erigi, quā cum ipsum deū cognoscerent humanitatis ac mortalitatis suæ factū fuisse participem? Quo efficacius ordine ad toleranda pro sua salute aduersa quæque prouocarentur, q̄ cum authorē suum didicissent pro corū salute innumera ab impiis genera pro-

brorum, & ipsam mortis subiisse sententiã? Qua ratione congruentius spẽ resurrectionis acciperet, q̃ cum eius sacramentis ablutos & sanctificatos, eius corpori adunitos esse meminissent, qui p̃ ipsi morte gustata, citius exemplum resurgendi à morte præberet? Sequitur in Luca:

Incipientibus ab Hierosolyma. nos autẽ testes estis huius urum. Et ecce ego mitto promissum patris mei in uos.

Reclamabit mûdus vestro testimonio, quemadmodum mihi perpetuò reclamabat: sed ego mitto vobis à patre spiritum, quem olim per prophetas missurũ esse promissis reddet vos fortes & inuictos aduersus omnia mundi terculamenta. Idẽ addet eloquentiã, cui nemo poterit contradicere, Luc. 21. addet virtutẽ ad edenda miracula, vt sit efficax vestrum de me testimonium.

Cum ergo serò esset die illo, una sabbatorũ, & fores essent clausæ, ubi erant discipuli congregati propter metũ Iudæorum, uenit Iesus & stetit in medio, & dixit eis: Pax uobis. Et cum hæc dixisset, ostendit eis manus & latus. Gausi sunt ergo discipuli, uiso domino. Dixit ergo eis iterũ: Pax uobis. Sicut misit me pater, & ego mitto uos. Hæc cũ dixisset, insufflauit & dixit eis: Accipite spiritum sanctũ. quorum remisistis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt.

Nunquam deus infinita sua bonitate, desolatũ animis deest, præcipuè si sua causa exanimetur. 2. Cor. 1. Benedictus deus & pater domini nostri Iesu Christi, pater misericordiarũ & deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra. Ista pars est in præcedenti Luca euangelio posita: sed quum separatim in ecclesia legantur istæ partes, ideo segregatim ponuntur. Cõrigit enim ipso resurrectionis die sub uesperã, quum nondum robore spiritus accepto, ob metum occlusissent fores, obliuisci uerborum domini. Matth. 10. Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere. Augu. Ille solus intrare potuit ianuam clausam, quo nascete, inuiolata permansit uirginitas matris. Stetit in medio, quia mediator dei & hominum. 1. Tim. 2. Fecit enim

utraque

utraque unum, Ephe. 2. vt omnibus consolationẽ infunderet & operationem. Luc. 22. Ego autem in medio uestrum sum sicut qui ministrat. Quò ergo pauore metũque illis omnẽ adimeret, blandẽ, uoceque notã salutauit eos. glo. Qui pacem dedit, vno uerbo omnia bona dedit. Indigebant pace quo ad deum, à quo diffidendo recesserãt. Iob. 21. Acquiesce ei & habeto pacem, & per hæc habebis fructus optimos. Sic ad seipos, quia conterriti. Lucã. 24. Et ad Iudæos, cum quibus inextricabile bellum ipsis imminerebat. Mat. 10. Ecce ego mitto uos sicut oues in medio luporum. estote ergo prudentes sicut serpentes, & simplices sicut colũba. Phil. 4. Et pax dei quæ exuperat omnem sensum, custodiat corda uestra, & intelligentias uestras in Christo Iesu. Ne autem spectrũ esse suspicaretur, aut aliud corpus, ostendit manus. Chry. Hoc cõdescensionis fuit, vt discerẽt quoniã ipse idẽ erat qui fuerat crucifixus. Hac salutatione, hocque spectaculo confirmata fides est, & adẽptus mœror, & exhilarati discipulorũ animi. Nã id eis pollicitus fuerat Iesus, Ioan. 16. Iterũ uidebo uos, & gaudebit cor uestrum, & gaudium uestrum nemo tollet à uobis. Gausi sunt propter dominũ, intimè ipsi cõgaudendo, & propter seipos, uidentes se non fraudatos, spẽ sua Christum sequendo, omnibus relicis. Mat. 19. Ecce reliquimus omnia, & secuti sumus te. Aug. Iteratio pacis, cõfirmatio est. unde bis optat pacẽ, propter pacẽ peccatoris, & pacem æternitatis. Ro. 1. Gratia & pax à deo patre, & domino nostro Iesu Christo. 2. Cor. 13. Pacẽ habete, & deus pacis & dilectionis erit uobiscum. Qui ergo pacem & unitatem nõ seruant, Christiani nõ sunt. Ioan. 13. In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectione habueritis ad inuicẽ. Nec hæreditatẽ cum Christo habebunt. qui testamentum pacis non seruant. Exhilaratos, quò magis confirmaret, denuò pacis nomine salutauit eos, simulque mandat cũ authoritate summa prædicationem eorum quæ uiderant & audierãt. Ioan. 1. Quod uidimus & audiimus, annunciamus uobis, vt & uos societatem habeatis nobiscum, & societas nostra sit cũ patre & cum filio eius Iesu Christo. Ego, inquit, bona fide glorificauit nomen patris mei: uos simili fide consentientes inter uos, patris nomẽq; meum prædicabitis, Greg.

Klz

Ioan. 2. O.
P

Pater misit filium, quando hūc pro redemptione humani generis incarnatū cōstituit, quem in mundum ad passionem venire voluit: sed tamen amavit filium, quem ad passionē misit. Electos verō discipulos suos dominus nō ad mundi gaudia, sed sicut ipse missus est, ad passiones in mundū mittit. Quia ergo filius amatur à patre, & tamen ad passiones mittitur, ita & discipuli amantur à domino, qui tamē ad passionē mittuntur in mundo. Ioan. 15. Si me persecuti sunt, & vos persequatur: si sermonē meum serua uerunt, & uestrū seruabunt. Ad hāc functionē pręparate animos uestros, quando quidē ego perfunctus mea legatione, repero patrē, inde uobis missurus largiorē spiritus sancti copiā. Interim & ipse uobis pro captu uestro spiritū sanctū impartio, simulque cū dicto insufflauit in facie illorū. Quo significat spiritū sanctū ab ipso ad nos procedere: & quod non sit patris solū, sed & suus spiritus. Impartitus spiritū, addidit autoritatē remittendi peccata cūctis hominib⁹, qui per euangelicā p̄fessionē ac baptisimū sibi iungerentur, perque uitę prioris pœnitudinem uerē resipiscerent. Greg. Libet intueri, discipuli ad tāta onera humilitatis uocati, ad quantum eulmē glorię sint producti. Ecce nō solū de semetipsis securi fiunt, sed etiā aliene obligationis potestātē relaxandę accipiunt, principatum superni iudicis sortiuntur, ut uice dei quibusdam peccata detineāt, quibusdā relaxēt. Quauis solius dei sit peccata dimittere (Luc. 5. Quis potest peccata dimittere, nisi solus de⁹? Esa. 43. Ego sum, ego sum ipse qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorū tuorū non recordabor) sacerdotes tamē ministri ecclesię per spiritum in cōsecratione datū, autoritate cōmissa remittere dicuntur, quū sacramēta ministrant, quę deus instituit ad remissionem peccatorū, & retinere, in quātum retinēda iudicāt illius peccata, qui se indispositū & indignū exhibet remissioni peccatorū. Hoc autē per se scire non potest, nisi peccator cōfiteō peccata sua enarrarit. 1. Reg. 16. Homo uidet ea quę patēt, deus autē intuetur cor. Ergo hęc dicens, cōfessionē peccatorū instituit, & faciendā insinuat. Gre. Grandis honor ministrorū ecclesię, sed graue pōdus ipsius est honoris: durum quippe est, ut qui nescit tenere modamina uitę suę, iudex fiat uitę alienę. Oportet enim

Confitem-
di in eccle-
sia origo,
& ratio.

ut iudiciū ecclesię, diuino cōformetur iudicio, reatū seruādo p̄cessū, debitū clauū uisū: quia data est potestas nō in destructionē, sed in edificationē. 2. Cor. 13. alioqui domin⁹ cōqueritur per Eze. 13. Violabāt me ad populū meum p̄pter pugillū hordei & fragmē panis, ut interficerē aīas quę nō moriūtur, & uiuificarēt aīas quę nō uiuūt, meretricēs populo meo credēti mendaciis. Vide sacerdotū dignitatē quōd diuina sit. nā quis indigni sint, quid hoc diuinorū donorū ministri sunt, & gratia operatur per eos. Nōne per aīnā corripuit insipientiā Balaā? Num. 22. 2. Pet. 2. Et Caiphas cū esset pontifex anni illius, prophetauit quōd Iesus moriturus esset pro gente, Ioan. 11. Non enim indignitas nostra gratiam dei prohibet. atque ita quia per sacerdotēs gratia suppeditatur, honorandi sunt.

Thomas autem unus ex duodecim qui dicitur Didymus, non erat cum eis quando uenit Iesus. Dixerunt ergo ei alii discipuli: Vidimus dominum. Ille autem dixit eis: Nisi uidero in manibus eius fixuram clauorum, & mittam digitum meum in locum clauorum, & mittam manum meam in latus eius, non credam.

Vnus ē duodecim erat electis, quia pro tunc nō fuerunt nisi undecim, Iuda laqueo mortuo, Mat. 27. Thomas, Gręcē sonat didymus, Latinè geminum. Aug. Illi duo ex Emmaus reuersi, inuenerunt undecim simul, sed dū persisterent in sermone, Thomas exiit, indignans de facili credulitate cū nō cōtrectassent corpus, & cōtinuō uenit Iesus. Ecce quā malū deesse bonę cōgregationi. Saul inter prophetas simul prophetauit. 1. Reg. 10. Sic discipuli erāt omnes pariter in eodem loco dū spiritum sanctū recipe- rent, Act. 2. Hic Thomas tanto dono priuatus fuit. Igitur ubi uenisset, discipuli gestientes gaudio, renunciant illi quōd uidissent dominū, dolētes uices ipsius. Ille uerō suspicans illos iudicatos fuisse aliquo phantasmate, negat se crediturū, nisi testibus oculis & manibus. Non enim cōsiderauit dei potentiam, nec recordatus fuit uerborū domini, quibus passionem & resurrectionē suam predixit, Mat. 20. & 26. Atque hęc Thomę incredulitas dispensatione diuina profecit ad fidei nostrę firmitatem. Chryso.

Sicut simpliciter & citò credere, leuitatis est. Eccl. 19. Qui citò credit, leuis est cordis, ita supra modum inuestigare & multum circumferuari, grossissimæ mentis.

Et post dies octo tertium erant discipuli eius intus, & Thomas cum eis. Venit Iesus ianuis clausis, & stetit in medio, & dixit eis: Pax uobis. Deinde dixit Thomas: Infer digitum tuum huc, & uide manus meas: & offer manum tuam, & mite in latus meum: & noli esse incredulus, sed fidelis. Respondit Thomas & dixit: Dominus meus & deus meus. Dixit ei Iesus: Quia uidisti me Thomas, credidisti, beati qui non uiderunt, & crediderunt.

Non statim apparuit Thomæ, ut edoceretur à discipulis, & incredulitate fugata, desiderio uisenti Iesum inflammaretur, & sic firmior in futurum fieret. Chryl. Considera clementiam saluatoris, quomodo pro vno discipulo ostendit vulnera, & accedit ut tangat, ut licet superauerit passionem, non tamen compassionem amisit. Nam eius incredulitatem sciebat non ex malitia, quæ admodum pharisæorum & scribarum, sed ex infirmitate humana, puenire: ideo eam sanare dignatus est. Vnde non expectat à Thomæ prius rogari, nec audire quid tale, quale aliis dixerat, sed præoccupat eum, ostendens per hoc, quod & tunc cum hæc loqueretur ad cõdiscipulos, ipse aderat. Hinc eisdem usus est verbis, ac in replicatione eorum quæ dixerat Thomas, confundit eum, quatenus & deum, cui absentia ut presentia nota sunt, & hominem palpando agnosceret. q. d. Quando non tibi factus est Thomas, audisse à tam multis qui me uiderunt & audierunt, nisi tuis sensibus omnibus certa fiat fides, infer digitum tuum, & posthac noli aliis in rebus esse perinde in incredulus, sed fidem habe promissis meis quælibet incredibilibus iuxta cõmunem hominum sensum, posteaquam uideris hoc esse certum quod tibi uidebatur incredibile. Thomas ubi uidisset & cõtractasset, agnoscens & facie & solitam domini uocem, iam plena cõcepta fide, exclamauit: & quæ admodum fuit ad credendum difficilior, ita nemo clariùs deum & hominem professus est. Tanta itaque euidentiã ueritatis uisus, corde credidit ad iustitiam, & ore confessus est ad salutem, Rom. 10. Duplicem

in eo confessus est naturam humanam qua redemit. Sic enim ipsum nominare solebant Ioan. 13. Vos uocatis me, magister & domine, & bene dicitis: sum etenim, & diuinam, qua creauit. Gene. 1. In principio creauit deus caelum & terram. Heb. 1. Per quem fecit & secula. Aug. Hominem uidebat, & confitebatur deum, quem nec uidebat, nec tangebatur. Ioan. 1. Deum nemo uidit unquam. Chry. Quum aliquis iam isto tempore dicit, utinam fuissent temporibus illis, & Christum uidissem, cogitet quia beati qui non uiderunt, & crediderunt. Ergo si uolumus etiam diuini oris pronuntiatione esse beati, credamus, tamen non uiderimus, uisuri quandoque gloriosius quam Thomas & alij. 1. Petr. 1. In quem quoque nunc non uidentes, creditis: credentes autem, exultabitis lætitia inenarrabili & glorificata, reportantes finem fidei uestræ, salutem animarum uestrarum. Necessaria est fides, ut opera nostra deo sint accepta. Hebr. 11. Sine fide impossibile est placere deo. Ad hæc charitas, sine qua nec fides accepta est. 1. Cor. 13. Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum. Nam fides per dilectionem operans, est aliquid coram deo, Gal. 5. Jac. 2. Fides sine operibus mortua est.

Multa quidem & alia signa fecit Iesus in conspectu discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in libro hoc. Hæc autem scripta sunt, ut credatis, quia Iesus est filius dei, & ut credentes, uitam habeatis in nomine eius.

Multis quidem aliis indiciis dominus Iesus declarauit diuinam uirtutem suam apud discipulos suos, quæ ab aliis referuntur euangelistis: quædam uero uoce narrata sunt ab his qui uiderunt & audierunt. Non enim curæ fuit omnia scribere, quod erat immensum: sed tamen aliqua prodere literis, quod sum est operæ precium, ut ex his credatis fide formata, quod Iesus est Christus in lege promissus, ille filius dei naturalis. Matth. 16. Tu es Christus filius dei uiui. ut uitam, gratiæ & gloriæ. Psalm. 83. Gratiam & gloriam dabit dominus. Ioann. 10. Ego ueni ut uitam habeant, & abundantius habeant. Ego uitam æternam do eis. Interim iustus in fide sua uiuit. In nomine eius, dicit. Act. 4. Non enim est aliud nomen sub celo datum hominibus, in quo oportet nos saluos fieri. Matt. 1. Aocabis nomen eius Iesum,

Duplex
Christi natura.

Fidei necessitas
fides quarta
& charitas.

Ioan. 20.

ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum. Poſtea manifeſtauit ſe Ieſus ad mare Tiberiadis iterum. Manifeſtauit autem ſic: Erant ſimul Simon Petrus & Thomas, qui dicitur didymus, & Nathanael qui erat à Cana Galilææ, & filij Zebedæi, & alij ex diſcipulis eius duo. Dicit eis Simon Petrus: Vado piſcari. Dicunt ei: Venimus & nos tecum. Et exierunt & aſcenderunt in nauim, & illa nocte nihil prendiderunt.

Nunquam deus plenè ſibi fidètibz deest, quin & in ſpiritualibus & corporalibus oportum præſtet conſilium & auxilium. Dominus Ieſus quò magis ac magis cõfirmaret fidem ſuorum diſcipulorum, frequenter illis apparuit, colloquens nonnunquã, & vnà cibum capiens, ne qua ſuſpicio poſſit animis illorum inſidere, quòd præſtigij aut ſpectrum fuiſſet quòd viderant: nec tamen interim perpetuò verſatur cum illis, què admodum ante mortè ſolebat: vt confirmata illorum fide, corporis conſpectum in totum ab eis ſubduceret, iamquè ſpiritualiter apud ſuos verſaretur. Vnde poſt apparitiones in & prope Hieruſalè factas, iterum ſe diſcipulis manifeſtauit ad mare Tiberiadis, alio nomine ſtagnum Genezareth, & mare Galilææ dictum. Animati diſcipuli ex apparitionibus præcedentibus, in publicum prodire auſi ſunt, & ob victus neceſſitatem cogebantur, prouiſore corporaliter ablato. Lucæ 22. Quando miſi vos ſine ſacculo & pera, nūquid aliquid deſuit vobis? At illi dixerunt: Nihil. Reuerſus eſt petrus cum cæteris ad officium licitum & neceſſitatis, non autè Marthaus ad telonei lucrum & vanitatis, quòd raro ſine peccato fit. Illa nocte nihil ceperunt, quò locus daretur miraculo, ſimul velut ænigmate ſignificaretur, inanem eſſe operam euangelizantium, niſi Chriſtus hominis conatum bene fortunet. Sic & peccator in peccatis nocte de donis gratiæ nihil capere poteſt, ſed gratiæ lucæ præſente, in qua non infructuoſè laboratur. Permittit & deus ſuos electos in ſeculi huius nocte tribulationibus fatigari, quò tandem quietem ſortiti, plenius in domino iucundentur. Pal. 89. Latati ſumus pro diebus quibus nos humiliati, & nonis quibus vidimus mala.

Officia ab
apostolis
repetita
quæ.

Mane autè iam factò, ſtetit Ieſus in littore, non tamen cognouerūt diſcipuli quia Ieſus eſt. Dixit ergo eis Ieſus: Pueri, nūquid pulmētarium habetis? Reſponderunt ei: Non. Dixit eis. Mittite in dexteram nauigij rete, & inuocietis. Miſerunt ergo, & iam non ualebāt trahere illud præ multitudinem piſcium. Dixit ergo diſcipulus ille quem diligebat Ieſus, Petro: Dominus eſt. Simon Petrus cum audiſſet quia dominus eſt, tunica ſuccinxit ſe (erat enim nudus) & miſit ſe in mare. Alii autem diſcipuli nauigio uenerunt. Non enim longè erant à terra, ſed quaſi cubitis ducentis, trahentes rete piſcium.

Luce gratiæ ſplendente, iã Ieſus non in mari ambulat, ſed ſtat in littore, à mundi iã ſemotus miſeris, tamen ipſis in mari laborantibus aſtās & dans conſiliū. Chryſo. Nō ſtatim oſtendit ſe ipſis cognoscibile, propter miraculū & ſi dei firmitatem. Hinc & dulciter interrogat. Illi quum nec voce quidè agnoſcerent dominū, ſed ſuſpicarentur aliū quempia eſſe, qui veniſſet ad lacum mercaturus piſces, dixerūt ſe nihil habere. Et verè nihil homo habet quòd deo præſter. 1. Para. 29. Tua ſunt omnia, & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi. Iac. 1. Omne datum optimum, & omne donum perfectum, de ſurſum eſt, deſcendens à patre luminū. Tū Ieſus vt paulatim indicaret quis eſſet, lacite, inquit, rete in dexterā, prædicēs effectum contingētem futurum, nemini niſi ſoli deo cognitum. Eſa 41. Anunciāte quæ vêtura ſunt in futurum, & ſciemus quia diſi eſtis vos. Paruerunt iubenti. nam tedium fruſtrā ſumpti laboris, & auaritas capiendi ſpem addebant, nec paruum piſcium ceperunt multitudinem. Vnde ex nouitate rei factus arētior diſcipulus ille què diligebat Ieſus, (hoc indicio Ioannes ſape ſeipſum demonſtrat) agnouit Ieſum. Moxquè Petrum, qui totus erat in attrahendo reti occupatus, ſubmonet quòd domin⁹ eſſet is. Sic enim ſoliti fuerunt ipſum nominare. Ioan. 13. Vos vocatis me, magiſter & domine, & bene dicitis. Sed Lucæ. 6. Quid autem vocatis me, domine domine, & non facitis quæ dico? Petrus ſui non diſſimilis, vt intellexit eſſe dominum, obli-

Petrus quā Christi amore flagrans
 tus & retis, & piscium, arripuit interillum: nam antea nudus erat, & impatiens moræ, coniecit se in lacum. Miro enim amoris ardore flagrabat ad Christum, maximè post tantā expertus benignitatem, vt abneganti & deieranti, singulariter apparuerit, & haud dubie speciali & gratiarū & verborum dono cumulauerit. Rom. 5. Vbi abundauit delictum, superabundauit & gratia.

Vt ergo descenderunt in terram, uiderunt pramas positas, & piscem superpositū, & panem. Dixit eis Iesus: Afferte de piscibus quos prendidistis nunc. Ascendit Simon Petrus, & traxit rete in terram, plenum magnis piscibus centum quinquaginta tribus. Et cum tantis essent, non est scissum rete. Dixit eis Iesus: Venite & praedete, Et nemo audebat discumbentium interrogare eū, tu quis es? scientes quia dominus est. Et uenit Iesus, & accepit panem, & dabat eis, & piscem similiter. Hoc iā tertio manifestatus est Iesus discipulis suis, cum surrexisset à mortuis.

Rete nō scissum quid.
 Auxit miraculum hoc quoque, quod cū esset tāta multitudo piscium, eorumque ingētium, rete tamē non fuisset scissum onere. Erat enim hęc imago multitudinis hominū, quæ post apostolica prædicatione ex omnibus totius orbis linguis ac regionibus adiūgēda erat ecclesiæ. Quæ admodum autē ista piscatio electorum signat salutē, quia in dextera, nec rete per hæreses ruptum. Nā per Petri fidem quæ nunquā deficit, Luc. 22. in litus gloriæ cælestis trahuntur. Vnde & magni, Rom. 8. Quos prædestinauit, hos & vocauit: & quos vocauit, hos & iustificauit: quos autem iustificauit, illos & magnificauit. Ponitur & certus numerus. 2. Tim. 2. Nouit dominus qui sunt eius.

Piscationis istius & aliter apud Lucam describitur.
 Hinc ad dominum qui non iā in naue, neque in mari, sed in littore stabat, adducitur. Sic quæ apud Lucā. 5. ipso in naue & mari cū discipulis existēte, præsentem signat ecclesiam. vbi neque dextera neque sinistra nominatur, & vbi per hæreses rete rectæ fidei scinditur. 1. Cor. 1. Oportet hæreses esse, vt qui probati sunt, manifestentur in vobis. Boni tamē pisces nō elabuntur, & mali cū bonis permixti,

in finē vsque permanēt, & tūc separabūtur. Mat. 13. Simile est regnum cælorū sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium cōgreganti, quam, cū impleta esset, educētes, & secus litus sedētes, elegerūt bonos in vasa sua, malos autē foras miserunt. Sic erit in cōsummatione sæculi, Exhibunt angeli, & separabunt malos de medio iustorum, & mittent eos in caminum ignis. Ibi erit fletus & stridor dentium. Interim tamen vtrorūque contingit immutatio, quare curandū vt boni fiant semper meliores, & mali boni, & nō tanquā iumenta, putrescāt in stercore suo, Iohel. 1. Ideo bonū est sal, Mar. 9. Quod veriū se probaret hominem, inuitauit suos ad prandium paratū: & suo more distribuit illis panem manibus suis fractū, similiter & piscē. Pascit nos diuinitatis & humanitatis suæ cōtemplatione in cælestib⁹, hic pane vitæ & intellectus, Eccl. 15. Mar. 4. Non in solo pane viuunt homo, sed in omni verbo quod procedit de ore dei. Sic & corporis & sanguinis sui sacramento. Ioā. 6. Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Ipse enim piscis assus in cruce. Psal. 41. Arguit tanquā testa virtus mea. Psal. 22. Dominus regit me, & nihil mihi deerit: in loco pascuēribi me collocauit. Hoc etiā factō docuit, quos pastores ecclesiæ delegerat, vt gregē euangelicum sacra doctrina, sed ab ipso tradita, pascere. Hoc tertio discipulis apparuit, quia primò ipso sero paschæ. Luc. 24. Ioan. 20. Secūdo, in octaua paschæ, Thoma præsentē, Ioā. 20. & hic septē. Nā antè apparuerat Mariæ Magdalena, Ioan. 20. & Petro, Luc. 24. ac tertio duobus euntibus in Emaus, Luc. 24. & Mar. 16. Præ omnibus verò matri, quanquam euangelistæ non scribant, sicut nec quando Iacobo, vel quingentis fratribus, quod tamen apostolus. 1. Corinth. 17. dicit.

Cum ergo prandissent, dixit Simoni Petro Iesus: Ioan. 21. R. Simon oannis, diligis me plus his? Dixit ei: Etiam domine, tu scis quia amo te. Dixit ei: Pisce agnos meos.

Ostēdit dominus quales fideles suos esse velit, secūdu dāplicitē statū in ecclesia, nimirū charitate & innocētia præditos. Vnde peractō prædio, velut explicās quod factō significauerat, Petro pascēdas oues cōmittit: sed ter stipulatus amorē sui, vt inculcaret animis suorum, neminē esse pastore idoneū gregis euangelici, nisi qui talē amorē ge-

reret erga suæ custodiæ creditos, qualē Christus præstiterat erga suos, pro quibus impedit vitā suā. Quanquā deus sua sapiētia attingēs à fine vsque ad finē fortiter, disponat omnia suauiter. Sap. 3. & .11. Tu autē dominator virtutis cum tranquillitate iudicas, & cū magna reuerētia disponis nos. omnia tamē disposuit in mēsurā, & numero, & pōdere, Sap. 11. Vnde sicut synagogā per vicaris suos gubernauit, sic & ecclesiā gubernat, disponit, & cōseruat. Deut. 32. Dominus deus solus dux eius fuit. Hoc quomodo indicat? Psal. 76. Deducisti sicut oues populū tuū, in manu Moyſi & Aarō. Heb. 3. Et moyses quidē fidelis erat in tota domo eius, tanquā famulus in testimoniu eorū quæ dicēda erāt. Post hūc Iosue vocatus à deo per Moyſen, Deu. 31. Sic dominus ascēsurus ad patrē, Petro regēdā ecclesiā cōmisit, quā tamē ipse nō reliquit. Matt. 28. Ecce ego vobiscū sum omnibus diebus vsque ad cōsumptionē seculi. quanquā alio & alio modo & tūc & nūc. Hinc nomē ipsū imposuit. Ioā. 1. Tu es Simō filius Iona, tu vocaberis Cephas. Quod Syris saxū, Græcis solidū signat. Ephe. 4. Et dedit quosdā quidē apostolos, quosdā autē prophetas, alios verō euangelistas, alios autē pastores, & doctores, ad cōsumptionē sanctorum, in opus ministerij, in ædificationē corporis Christi, donec occurramus omnes in vnitatē fidei & agnitionis filij dei, in virū perfectum, in mēsurā ætatis plenitudinis Christi. Ecce quid donorū distributio & pastorum directio non deficiet, donec Christo in iudicio occurramus. Tria ergo ponit bonū pastorē concernētia. Primū, dilectio dei. Nō enim de scientia, quā accepturus erat per spū sancti donū (Ioan. 16. Cū venerit spiritus ille veritatis, docebit vos omnē veritatē) sed dilectione inter rogabat, quæ mēsurā est meritorū & præmiorum. 1. Cor. 13. Si linguis hominū loquar & angelorū, charitatem autē nō habēā, factus sum velut æsonās aut cymbalū tinniens. Secundū, humiliatio sui, ne se virtutū prærogatiua extollat. Bed. Notandū quā circumspectē domino sciscitāti, iam factus solito circumspectior de cæteris quidē quantum amarēt dominū, non respondet, quod aliorū animos exploratos nō haberet, de sua vnus cōscientia respōdet, cuius dominū etiā testem audet facere. Lapsus cautiorem reddidit eū: Nam temerarius de se præsumptor, & aliorū

Cephas
quid sonet.

Triapastoris
boni officia, quæ.

iudex. Matt. 26. Et si omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor, miserabiliter cecidit: hic totum iudicium domino relinquit: Tu qui nosti secreta mentium humanarum, scis quia amo te: quantum alij te amant, ignoro. O scilicet conscientia, quæ cōditori suo, cuius oculis nuda & aperta sunt omnia (Heb. 4.) dicere meruit: Domine, tu scis quia amo te. Sic dominus nimium de se præsumētes, nō nunquā in manifestum permittit ruere scādalum, quō ad sui cognitionem reducantur, & postea cautiore redantur. Bed. Huius cautela responſionis, nostræ est instructio locutionis cogitationisque, vt discamus huius exēplo minus de nostræ cōscientiæ puritate præsumere, minus temerē de fraternæ conscientiæ occultis iudicare, in dubiis maximē rebus, & quæ qua intētionē vel necessitate gerantur, inspicere nequimus. 1. Cor. 4. Nolite ante tempus iudicare. donec veniat dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarū, & manifestabit consilia cordium, & tunc laus erit vnicuique à domino. Quam casta & sancta anima, quæ & suam cogitationem domino patere nō dubitat, & se nil aliud quàm ea quæ dominus approbat, cogitare non ignorat. Prou. 15. In omni loco oculi domini contēplantur bonos & malos. Tertium, procuratio subditi. Pasce agnos meos, qui mihi charissimi sunt: & talē te præbe erga eos, qualem ego me præbui erga vos.

Dixit ei iterum: Simon Ioannis, diligis me? Ait illi: Etiam domine, tu scis quia amo te. Dixit ei: Pasce agnos meos. Dixit ei tertio: Simon Ioannis, amas me? Contristatus est Petrus quia dixit ei tertio, amas me, et dixit ei: Domine, tu omnia nosti, tu scis quia amo te. Dixit ei: Pasce oves meas.

Iterum interrogat, vt tenaciū memoriæ inhercat. Aug. Si diligis me, nō te, pasce agnos meos vt meos. nō vt tuos. gloriam meam in eis quære, nō tuam: lucrum meum, non tuum. 1. Cor. 13. Charitas nō querit quæ sua sunt. O preciosum depositum. 1. Cor. 6. Nō estis vestri, empri enim estis precio magno. 1. Pet. 1. Nō corruptibilibus auro vel argēto redēpti estis de vana vestra cōuersatione paternæ traditionis, sed p̄cioso sanguine quasi agni immaculati Iesu Christi.

*Pascere
oues Chri-
sti, quid.*

sti. Pasce ergo, in has declara quāti me facis, boni pastoris ex me exēplū sume. meæ sunt quas meo sanguine redemi, nunc rediturus ad patrem, tibi pascēdas committo. Sed heu. Phil. 2. Omnes quæ sua sunt quærunt, non quæ Iesu Christi. Hinc. 1. Pet. 5. Formā quam ipse a vero pastore accepit, aliis præscripsit, dicens: Pascite qui in vobis est gregē dei, prouidētes nō coactē, sed spontaneē secundū deū: ne que turpis lucri gratia, sed voluntariē: neque vt dominātes in cleris, sed forma facti gregis ex animo: & cū apparuerit princeps pastorū, percipietis immarcescibile gloriæ coronā. Beda: Quod hic dicit, pasce, hoc est vtique, quod ei ante passionē apertius dixerat, Luc. 22. Et tu aliquādo cōuersus, confirma fratres tuos Pascere ergo oues Christi, est credētes in Christū, ne à fide deficiāt, cōfirmare, & vt in fide magis magisque proficiāt operā dare. Eadē autē passio gregis dominici multimoda est solitudine gerenda. nā & terrena subsidia necesse est vt subditis, ne defint, rector diligēter prouideat. 1. Ioā. 3. Qui habuerit substantiā huius mundi, & viderit fratrem suū necesse habere, & clausit viscera sua ab eo, quomodo est charitas dei in eo? Filioli, nō diligamus verbo neque lingua, sed opere & veritate. Et exēpla virtutis simul cū verbo prædicationis eisdē sollicitus impēdat. Tit. 2. In omnibus te ipsum præbe exēplū bonorū operū, in doctrina, in integritate, in grauitate, Ioā. 10. Cū proprias oues emisit, ante eas vadit, & oues illum sequuntur, qui audiunt vocē eius. Et si quis aut spiritalibus aut etiā cōmunibus eorū cōmodis aduersantes deprehēderit, horū violētiæ quātum valet, obstat. 2. Cor. 12. Ego libētissimē impendā, & super impēdar ego ipse pro animabus vestris, ipsos quoque cū errauerint, subiectos corripiat in misericordia & increpet, neque oleo noxiæ cōsensionis eorū corda demulceat, nec eos qui bus præest, quasi proprios, sed vt domini sui gregē tractet. Vnde & solius Aarō virga præ cæteris floruit, frondit, & fructū fecit, Nu. 17. sic pastor virga esse debet per rectitudinē, frondere per sciētiam claritatē, fructificare per conuersationis exemplaritatē. 2. Cor. 2. Christi bonus odor sumus deo in omni loco. Hæc dominus tāta diligētia voluit esse inculcata discipulorū suorū animis, q̄ nō ignora ret exoriturus, qui nō amore Iesu, sed sui cōmodi gratia

curam populi christiani susceperent, vel arripere potius qui pro pastoribus ageret tyrānos ac prædones. Quare nō dominū eū facit, nō principē, nō regē, sed pastor ē iubet. Nā reges gētium dominātur eorū: & qui potestatem exercēt in eos, benefici vocantur. Pastorem, inquit, ages, nō dominū: & pascēs vt serues, nō mactabis aut deglubes vt perdas. Vnde semel est, regē: & bis, pasce. Sūt em̄ in ecclesia & agni, & oues, & hœdi: sed in sine hœdi separabuntur, Mat. 25. Agni autē tenelli lacte nutriēdi. 1. Cor. 3. Tāquā paruulis in Christo, lac vobis potū dedi, nō escā. 1. Pet. 2. Deponentes igitur omnē malitiam, omnem dolū, & simulationes, & detractiones, sicut modō geniti infantes rationabiles, sine dolo, lac concupiscite, vt in eo crescatis in salutē. Hinc dominus tertio stipulatus an ipsum diligeret, cōtristato scrupulū quendā ac mœrorē iniicit Petro. Quāquā enim sibi cōsciū esset q̄ vehemētē amaret dominū: tamē post tā magnificā pmissa ter abnegatus dominus faciebat, vt ipse quoque sibi diffideret. Respondit igitur sincere quidē, sed timidē ac modestē, iā tota fiducia translata in eū, cui soli oportet fidere. Chry. Tanquā trina negatione deleta, cōmittit ei præsentiam fratrum, sed negationē nō exprobrat, sed ait: diligis me? præstiter fratribus, & feruentē amorē quē per omnia demonstrasti, hinc ostēde: & aiā quā dixisti donaturū te pro me, da pro ouibus meis.

Amen amē dico tibi, cum esses iunior, cingebas te, & ambulabas quō uolebas: cum autem senueris, extēdes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quō tu nō uis. Hoc autē dixit, significās quā morte clarificaturus esset deū.

Præstabis fortior quod nunc profiteris. 1. Cor. 13. Cū essem paruulus, loquebar vt paruulus, sapiebā vt paruulus, cogitabam vt paruulus: cū autē factus sum vir, euacuaui quæ erāt paruuli. Non differt, moribus vel ætate esse puerū Sap. 4. Senectus em̄ venerabilis est, non diuturna, neque annorum numero cōputata. Cani enim sunt sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata. Vbi senue-

*Velle
mori &
non mori*

ad eò, q̄ nec senectus hunc affectum Petro auferre potuerit, qui & in domino demonstratus fuit. Mat. 16. Pater, si fieri potest, transeat a me calix iste. Sed Ro. 8. Ipse sp̄s adiuvat infirmitatem nostrā. Petrus autem admodum senectus ductus est ad crucem: quā vt libeter pertoluit ob immensam charitatem erga dominum, tamē horrebat imbecillitas humanæ naturæ. Bed. Clarificauit deum morte sua, quādo hoc in iudicio cunctis, quantum deus esset amandus colendusque, monstrauit, dum ipse data optione mallet crucis subire tormentum, q̄ à celestis verbi prædicatione cessaret. Clarificauit & vita. quia per omnia quæ gessit, non propriam, sed cōditoris sui voluntatē laudēque quærebat. Nec solū ipse, sed & cæteri apostoli, imò & omnis electorum turba vel viuēdo vel moriēdo deum, qui que suo tempore, clarificabant. Quorum vestigia nos sequi oportet, vt vitæ nostræ ordinem ad exempla honorū dirigendo, in proposita vitæ rectitudine ad mortē vsque persistamus, vt socij etiā remunerationis mereamur effici. Hoc autem ita perficiemus, si redemptorē nostrum debito affectu complectamur, & erga proximorū salutem fraternam sollicitudine vigilemus. Sicut autem deus per bona opera nostra magnificatur. Phil. 3. Magnificabitur Christus in corpore meo, siue per mortem, siue per vitam. Ioan. 17. In hoc clarificatus est pater meus, vt fructum plurimum afferatis, & efficiamini mei discipuli. Ita per mala nostra opera blasphematur. Ro. 2. Qui in lege gloriaris, per præuaricationem legis deum inhonoras. Nomen enim dei p̄ vos blasphematur inter gentes. Sed. 1. Reg. 2. Quicumque enim honorificauerit me, glorificabo eum: qui autem cōtemnunt me, erunt ignobiles. Ideo admonet Apostolus. 1. Cor. 6. Empti estis precio magno, glorificate & portate deum in corpore vestro.

Ioan. 21.
S

Et cum hæc dixisset, dixit ei: Sequere me. Cōuersus Petrus, uidit illum discipulum quem diligebat Iesus, sequentem, qui & recubuit in cœna super pectus eius, & dixit: Domine, quis est qui tradet te? Hunc ergo cum uideret Petrus, dixit Iesu: Domine, hic autem quid?

Summam Christianæ vitæ perfectionem ostendit, vt

omnib* posthabitis Christum sequamur. Ioā. 14. Ego sum via, veritas, & vita. Viam enim & verbo docuit, & exemplo monstrauit. 1. Ioan. 2. Qui dicit se in Christo manere, debet sicut ille ambulauit, & ipse ambulare. Eccl. 23. Gloria magna est sequi dominum. Longitudo dierum assumetur ab eo. Cœpit ergo Iesus ambulare, & ait Petro: Sequere me. rursus ad suæ charitatis ac mortis imitationem inuitans, quasi dicat: Tu qui olim dissuadebas mihi pro salute hominum pati (Mat. 16. Absit à te domine, nō erit tibi hoc) iam pro me non timeas mori. Haud dubium quin summo gaudio verba hæc animum affecerint, quum audiret dominum securē secuturum. Dixerat autē, sed humanæ infirmitatis inexpertus, vires ex animo metiens. Ioā. 13. Domine, quod vadis? Respondit Iesus: Quod ego vado, non potes me modò sequi, sequeris autē postea. Dixit ei Petrus: Quare non possum te sequi modò? Animā meā pro te ponam. Non autem sequela hæc accipienda est solū de passione, sed & de pastoralis officij commissione. Chryso. Quia ego prius pro tua redemptione crucis supplicium subire nō timui, ideo tu pro mei nominis honore & confessione illud formidare nō debes, sed loco mei gregem procurare, cui te vicarium, & imitorem, & successorem meum relinquo. Petrus ob nimium erga dominum amorem non capiens verbi mysterium, Christum euntem persecutus est pedibus: secutus est autem & Ioannes, sciens se diligi à Christo. Commendatur Ioannes hic: Primò à discipulatus honore, quia vnus ex duodecim electis, Marci. 6. Maximum est Christi verum esse discipulum. Ioannis. 12. Vbi ego sum, illic & minister meus erit. Sed Ioannis. 13. In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis adinuicem. Ioannis. 8. Si vos manseritis in sermone meo, verè discipuli mei eritis, & cognoscetis veritatem, & veritas liberabit vos. Secundo, à singulari dilectione. Non ad sui iactantiam toties commemorat se specialiter dilectum à Iesu, sed vt tanto beneficio gratus existat, & quia suauissimum sibi fuit recolere quam affectuosè & familiariter se Iesus habuit ad ipsam. Quia ergo Petrus diligebat Iesum, Ioannem quoque à Christo dilectum; multum amabat. Sed quem nō diligebat? Omnes se diligere probat, quibus

Quotupli-
citer hic Ioan-
nes cōmen-
detur.

*Quibus tri-
bus specia-
lia dilectio-
nis signa Ie-
sus osten-
derit.
Amicitia
vere indi-
cia quot.*

ante passionē ait, Ioā. 15. Sicut dilexit me pater & ego dilexi vos. Manete in dilectione mea. Si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea, sicut & ego præcepta patris mei seruauit, & maneo in eius dilectione. Diligebat ergo eū Iesus, non exclusiſ cæteris, sed præ cæteris, quæ specialis prærogatiua castitatis ampliori dilectione fecerat dignū: quia virgo ab eo electus, virgo in auum permāuit. Vnde tribus specialia quædam dilectionis ostendit signa, Petro, Iacobo, & Ioanni, tam ad læta quæ aduersa secreta eos admittēs, vt in suscitatione puellæ, Marci. 5. in transfiguratione, Mat. 17. in passionis agone, Mat. 26. Singularia tamen Ioanni exhibuit, vnde & famosum fuit inter discipulos ipsum dilectum Iesu nominari. Sūt enim quinque veræ amicitiaē indicia. Primum, mutua cōiunctio. Hinc in cœna super pectus Iesu recubuit, Ioā. 13. Nō parū in isto præclarissimo conuiuio vltimi vale, proximū esse Christo, quod cū selectis totius mūdi (nā duodecim discubuerūt cū illo, Lu. 22.) fecit, vbi & sacrosanctum corporis & sanguinis sui sacramentum instituit. De cuius præclaritate dominus ait, Luc. 22. Desiderio desiderauit hoc pascha māducare vobiscū, anteq̄ patiar. Ad eius præparationē Petrum & Ioannem, vt speciales misit. Secundū, secretorum reuelatio. Ioan. 15. Iam non dicam vos seruos, sed amicos: quia omnia quæ audiui à patre, nota feci vobis. Omnibus turbatis soli Ioanni indicauit, p̄ditorē. Ioā. 13. Ille est cui intinctum panē porrēxero. Ipse enim super pectus illud recubuit, in quo sunt omnes thesauri sapientiaē & sciētiaē reconditi, Col. 2. Vnde & sapientiaē & intellectu vberius luxit. quare altissimè super omnes de diuinitatis, & trinitatis scripsit mysterio, cui & status ecclesiæ in finem vsque reuelatus fuit, Apo. 1. Tertium, voluntatum consensio. Ioā. 15. Vos amici mei estis, si feceritis quæ præcipio vobis. Ipse autē ad domini vocantis vocē, & patris & nauim reliquit, Mar. 4. Sic & modō hic nihil de statu suo sollicitus, totū se domino cōmisit. Quartū, thesauri cōmissio. Vnde dominus preciosissimum & singularem thesaurum, de quo totius mundi sumpsit precium, matrē scilicet, in suo recessu tanq̄ fidelissimo amico cōmisit, Ioā. 19. O singulare depositū, vt virgo virgini seruiret, & Christo post mortē resurrectionēque cælos ascendente, nō deesset

deesset genitrici eius filius, cuius casta vita castis tueretur obsequiis. Quintum, aduersorum toleratio. Eccl. 6. Si possides amicum, in tentatione posside eum. Prou. 17. Omni tempore diligit qui amicus est, & frater in angustia comprobatur. Sic ipse assistit moriēti, Ioānis. 19. Exiliū in Patmos insulam, pro fide suscepit, Apoc. 1. Venenū bibit, dolium seruentis olei superauit. Nō parum est dilectum esse Iesu, quia Eccl. 9. Nescit homo utrū amore, an odio dignus sit, sed omnia in futurum seruātur incerta. Sed Proverb. 8. Ego diligentes me diligo. Ioan. 14. Qui diligit me, diligetur à patre meo: & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum. Sed vnde scimus an diligamus verē? Ioā. 14. Qui habet mandata mea, & seruat ea, is est qui diligit me. Hunc ergo quum vnice diligeret Petrus, & domino cæteris chariorem semper fuisse sciret, ac tum non iustus sequeretur Petro proximus, rogat dominum quid de illo futurum esset. Iam enim de sua morte cognouerat, & scire cupit an hunc mortis suæ comitem esset habiturus,

Dixit ei Iesus: Si cum uolo manere donec ueniam, quid ad te? Tu me sequere. Exiit ergo sermo inter fratres, quod discipulus ille non moritur. Et non dixit ei Iesus, quia non moritur: sed, si cum uolo manere donec ueniam, quid ad te?

Non negat dominus Ioānem per passionem sequi (cū Matth. 20. dicat: Calicem quidē meum bibetis, & Actu. 5. Ioannes inter eos fuit, quibus cæsis Iudæi denunciauerūt ne in nomine Iesu loquerentur) sed superuacua Petri curam corrigit. Vult enim deus vnumquemque sorte suæ cōtentum esse, nec curiosè indagare quid deus velit de proximo. Dei enim voluntas regula est iustitia. Hinc Matt. 23. Confiteor tibi pater domine cæli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudētibus, & reuelasti ea paruulis. Ita pater, quoniam sic placitum fuit ante te. Ideo quanquam deus mandauerit unicuique de proximo suo, Eccl. 17. & singuli debeamus quærere non quæ nostra, sed quæ aliorum. 1. Cor. 10. non vult nos diuinorum operum rationem indagare. Eccl. 3. Altiora te ne quaesieris, & fortiora te ne scrutatus fueris: sed quæ præcipit tibi

deus, cogita semper, & in pluribus operibus eius ne fueris curiosus. Non ergo fas est, vllum sollicitum esse & cupidū scire, quid deus facere velit de nobis vel de aliis, siue hoc, siue illud: sed quisque dicere debet, Fiat voluntastua. Si hunc, inquit, velim manere, quid ad te pertinet, cura videlicet vt me sequaris, oues meas pascendo, & animam pro eis ponendo. Credebant ex hoc discipuli, quod nō esset moriturus violenta morte, sed permanens in vita donec rediret dominus iudicatus viuos & mortuos, quod omnes tum breui futurum opinabantur, tamen Iesus non dixerat eum non moriturum, sed Petri curiositatem retundens, negauit ad illum pertinere, si vellet eum permanere vsque ad aduentum suum. Ideo Ioannes discipulorum opinionem corrigit, tanquam non intelligentium domini verbum, vt dicit Chrysostomus. Non enim magnum erat (vt ait Augustinus) domino, dare dilecto non mori, cum melius sit, dissolui & esse cum Christo, Philippenses. 1. Non ergo putandum quod non sit mortuus carne, quia nec dominus illud futurum de illo prædixit, sed potius ita intelligendum, quod cæteris discipulis per passionem consummatis, ipse in pace ecclesie suæ vocationis aduentum expectari, Hebræ. 9. Statutum est hominibus semel mori.

3 *Hic est discipulus ille qui testimonium perhibet de his, & scripsit hæc: & scimus quia verum est testimonium eius.*

Consuetudo est, cum valde certa dicimus, nostrum testimonium non negare. Sic apostoli Actu. 3. Quem deus suscitauit à mortuis, cuius nos sumus testes. Act. 4. Virtute multa reddebant apostoli testimonium resurrectionis Iesu Christi domini nostri. Scripsit hæc, quod certius ac latius ad omnium notitiam diffundantur: nec scripsit ab aliis audita, sed quibus ipse interfuit. Ioānis. 19. Et qui vidit, testimonium perhibuit. 1. Ioan. 1. Quod fuit ab initio, quod audiuius, quod vidimus oculis nostris, quod per speximus & manus nostræ contrectauerunt de verbo vitæ, & vita manifestata est, & vidimus, & testamur, & annunciamus vobis vitam æternam, quæ erat apud patrem & apparuit nobis. Hinc dominus Ioannis tertio:

Quod vidimus testamur.

Sunt autem & alia multa, quæ fecit Iesus: quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos qui scribendi sunt, libros.

Tantum literis, pditum est, quantum ad salutem consequendam satis est. Superest igitur, vt his credentes, & Iesus vestigiis inhaerentes, contedamus ad immortalis vitæ præmium, precantes nequãdo obliuiscamur doctorū factorūque Christi, sed reuoluamus scripta hæc, & obseruemus in his thesaurum positum in miraculis ac verbis Iesu, vt sic valeamus purificari, & vita & sermone consequamur in die reuelationis ineffabilia opera & mysteria, quæ nunc quãdiu in mundo sumus, capere non possumus: & perficiamur in Christo, qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo, Apoca. 1.

Vndecim autem discipuli abierunt in Galilæam, in montem ubi constituerat illis Iesus. Et videntes eum adorauerunt: quidam autem dubitauerunt.

Ostendit salutis humanæ profectum & modum. Quum enim nedum inter gentiles essent, qui impossibile dicebant resurrectionem, sed etiam inter Iudæos, vt pote Saducæi, Actu. 23. ideo dominus plurimis argumentis id in se factum probauit, per dies quadraginta apprensens discipulis, & loquens de regno dei, Act. 1. Hinc vndecim discipuli (Nan Iudas laqueo interierat, Matthæi. 27) profecti in galilæam, conscenderunt montem, quem illis designarat Iesus, vt omnes resurrectionis gloriã cernerent, cuius specimẽ tres ibi viderant, Mat. 17. Quia enī in Galilæa fuit conceptus, nutritus, & conuersatus, plurimæque operatus miracula, haud paucos illic habuit discipulos: ideo vt simul omnes in fide confirmaret, & vacillantes erigeret, in montem Tabor conscendere iussit, sicut prædixerat. Mat. 26. Postquàm resurrexero, precedam, vos in Galilæam. Apostolus. 1. Corin. 15. commemorat ipsum apparuisse plusquã quingētis fratribus, sed nec locū nec tēp^{us} specificat, quare pbabiliter credi potest quæ ista sit manifestatio, satis enī superq; vndecimi Hierusa-

In Galilæa
 cur Iesus
 potissimum
 migravit
 & aposto-
 los vocavit.

lem instructi & cōfirmati fuere. Nec deest mysterio quid in Galilæa, quo significaret se transmigraturum ad gentes, Actu. 13. necnon instrueret nos, primū de vitis ad virtutes transmigrare, si de præsentī miseria ad supernam gloriam transire cupimus. 1. Pet. 3. Christus semel p peccatis nostris mortuus est, iustus pro iniustus, vt nos offerret deo, mortificatos quidem carne, viuificatos autem spiritu. Rom. 6. Hoc sciētes quia vetus homo noster simul crucifixus est, vt destruat corpus peccati. vt vltra non seruiamus peccatō. Psal. 23. Quis ascendet in montē domini? aut quis stabit in loco sancto eius? Innocēs manib⁹ & mundo corde. Deum testari sunt, latræ cultum exhibēdo. Matth. 4. Dominum deum tuū adorabis, & illi soli seruiēs. sed quidā dubitauerunt, donec plurimis ac certissimis argumentis, & illis fides facta est.

Et accedens Iesus, loquutus est eis, dicens: Data est mihi omnis potestas in celo & in terra.

Dulciter allocutus eos, non habetis, inquit, authorē cui debeatis diffidere, nō habetis dominū pœnitendū. vt pro omniū salute sum mortuus, ita nulla est natio gentiū, quæ mei iuris non sit. glo. Vt qui regnabat in cælis, modō per fidem regnet in terris, vt impleatur illud Mat. 6. Fiat voluntas tua, sicut in celo & in terra. Obserua, q̄ ista potestas Christo homini data est ab instanti cōceptionis authoritatiuē, & exinde, cœpit ei dari quantum ad executionem & manifestationē paulatim, secundū moderatā dispositionis diuinæ præordinationē. Vnde supernaturaliter de vtero virginis egressus, multis miraculis fuit antequam pateretur. Luc. 6. Quia virrus de illo exibat, & sanabat omnes. Ioā. 3. Pater diligit filium & omnia dedit in manu eius. Sed quia primus aduentus occultus fuit & in infirmitate. (Esa. 45. Verē tu es de⁹ absconditus, deus Israel saluator. Esa. 53. Et vidimus eum, & non erat a spectus, & quasi absconditus vultus eius & despectus, vnde nec reputauimus eum) Ideo dicitur post resurrectionē data, quantum ad executionem & manifestationem: quia ex tunc cœpit in vniuerso mūdo, imō in inferno & in celo. In finali verō iudicio dabitur huius potestatis plenissima cōsummatio, quum inimici eius ponentur scabellum pedū

eius. 1. Cor. 15. Heb. 2. Vnde & factus est omnibus obrēperantibus sibi causa salutis, Hebr. 5. Matt. 10. Eum timec, qui potest & animam & corpus perdere in gehennam.

Euntes ergo, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, docentes eos seruari omnia quæcunque mandauimus uobis. Et ecce ego uobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi.

Ordo optimus. Primō docendi, vt conuertantur, si crediderint. si pœniterit vitæ prioris, si parati sint amplecti doctrinam euangelicam: tum tingendi aqua, vt hoc sacro symbolo confidant sese liberatos ab omnium peccatorum suorum sordibus gratuito beneficio mortis Christi, iamq; coaptatos in numerum filiorum dei. Dixerat ante, Mat. 10. In viam gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis, sed potius ite ad oues quæ perierunt domus Israel, quō ostenderet se missum Iudæus. Matt. 15. Non sum missus nisi ad oues quæ perierunt domus Israel. Nunc verō, Ite, docete omnes gentes. Psal. 18. In omnem terrā exiuit sonus eorū. Ioā. 15. Ego elegi vos, & posui vos vt eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat. Inuenimus baptismū legale, in emundationē carnis. Heb. 9. Hinc pharisæi mira hypocrisis calicum, manuum, vrceorum baptismata obseruabāt, spurcitas animi negligentes, Mat. 7. Mat. 15. Secundō mentalem. Luc. 3. Ego autē baptizo vos aqua, veniet autem fortior me post me, cuius non sum dignus soluere corrigiam calceamentorum eius; ipse vos baptizabit in spiritu sancto & igni. Hiero. Purgatione sanctificationis, vel spiritu qui sanctificat & accēdit amorem dei. Hic sufficit, casu quo alius haberi non potest. August. Potest quis saluari non percepto baptismi sacramento, sed non contempto. gloss. super illud Psalm. 57. Etenim in corde iniquitates operamini in terra. Quod non potest facere, & vis facere, deus factum reputat. Tertio, pœnalem. Luc. 12. Baptismo habeo baptizari, & quomodo coarctor donec perficiatur? gloss. Habeo tinctione proprii sanguinis perfundi. Mar. 10. Calicem quidem quem ego bibo, bibetis: & baptismo quo baptizor, baptizabimini. Hoc in-

Baptismus
 quotuplex.

Quatuor
in baptismo
considerari

nocentes occisi propter Christum, baptizati sunt, & multi martyrum. Aug. Baptismi vicem supplet aliquando passio, aliquando fides & in deum conuersio, si forte ad celebrandum mysterium baptismi, in angustiis temporum succurri non possit. Quarto, sacramentale. Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non potest introire in regnum dei. Vbi quatuor consideranda. Primum, materia, aqua elementaris. Secundum, forma, ut hic in nomine, quo designat essentiam unitatem patris, & filii, & spiritus sancti, quo indicat distinctionem & trinitatem in personis. In primitiua ecclesia baptizabant in nomine Christi Iesu. Act. 2. Penitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrum in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum vestrorum, & accipietis donum spiritus sancti, quia virtualiter includebatur pater vngens, filius vnctus, spiritus sanctus vnctio. Postea tamen nomine Iesu diuulgato & honorificato, rediit ecclesia ad formam institutam à Christo. Exigitur ergo verbum & elementum. Ephes. 5. Christus dilexit ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet ipse sibi gloriosam ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid huiusmodi, ut sit sancta & immaculata. Tertium, minister quilibet in necessitatis articulo, ideo per nullum ministrum vitiat, quia ipsi ministerium tantum exhibent. 1. Corinth. 3. Quid igitur est Appollo? quid verò Paulus? Ministri eius cui credidistis. Quartum effectus, peccatorum remissio & gratiæ collatio. August. A paruulo recēter nato, vsque ad decrepitū senem, sicut nullus prohibitus est à baptismo, ita nullus est qui in baptismo non moriatur peccato. Rom. 6. An ignoratis fratres, quod quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus? Cōsepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem, ut quomodo Christus resurrexit per gloriam patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Sic paruuli ab originali purgantur peccato, & dantur gratiæ & virtutes in habitu, siue in munere, siue in vsu. Secundò, facit filios dei. Omnes enim sumus in ortu filij iræ, Ephes. 2. sed per baptismum efficiamur filij dei, quia membra Christi. Gala. 3. Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis. Rom.

8. Si autem filij, & hæredes, hæredes quidem dei, coheredes autem Christi. In cuius signum cæli aperti sunt Christo baptizato, Mattha. 3. Marc. 1. Non enim ipsi tunc primùm patuere cælestia quæ nunquam reliquit. Ioan. 3. Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo, filius hominis qui est in cælo: sed nobis patere demonstravit. Sicut enim filij Israel per mare rubrum transierunt, in deserto manna cælesti cibati, & aqua de petra potati, in terram venerunt promissionis, sic nos per baptismum mundati, corpore Christi vegetati, & aqua sapientiæ salutaris potati, in hereditatem cælestem in introducimur. 1. Corinth. 1. Nolo enim vos ignorare fratres, quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt, & omnes in Moyse baptizati sunt in nube & in mari, & omnes eandem escam spirituales manducauerunt, & omnes eundem potum spirituales biberunt. Biberunt autem de spiritali conſequentem eos petra, petra autem erat Christus. Ioannis. 6. Non Moyses dedit vobis panem de cælo, sed pater meus dat vobis panem de cælo verum. Panis enim verus est qui de cælo descendit, & dat vitam mundo. Ego sum panis viuus qui de cælo descendi. si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum. Tertio, dat spiritum sanctum inhabitatorem. In cuius signum Ioannes viuus spiritum descendentem sicut columbam in ipsum, Ioannis primo: Titum. 3. Secundum misericordiam suam saluos nos fecit, per lauacrum regenerationis & renouationis spiritus sancti, quem effudit in nos, ut abundet per Iesum Christum saluatorem nostrum, ut iustificati gratia ipsius, hæredes sumus secundum spem vitæ æternæ. Ephes. primo: In quo credentes signati estis, spiritu promissionis sancto, qui est pignus hereditatis nostræ. Cæterum ne quis satis esse putet ad salutem, semel esse tinctum, ac profectum euangelicam fidem, rursus docendi sunt quibus modis tueri possint innocentiam, quibus rationibus progredi queant ad perfectionem euangelicæ pietatis. Ephesio. secundo: ipsius enim sumus factura, creati in Christo IESU, in operibus bonis quæ præparauit deus ut in illis ambulemus. Iacobi secundo: Fides sine operibus mortua est in semetipsa. Lucae sexto: Quid autem

vocatis me domine domine, & non facitis quæ dico? Omnia dicit seruare. Ioan. 14. Qui habet mandata mea, & seruat ea, is est qui diligit me. Eccle. 9. Qui in vno peccauerit, multa bona perdet. Sed ne causari possint supra vires esse quod iniungitur, promittit assistentiam, nõ solum apostolis, qui in finem vsque seculi mansuri non erant, sed omnibus qui per verbum illorum credituri erant. Ioã. 17. Non pro eis autem rogo tantum, sed & pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me. Quãquã secundum humanitatis passibilitatem apud nos non maneat, quia per immortalitatis stolam & resurrectionem iuit ad patrem in ascensione, manet tamen per gratiã, corda inhabitando fidelium, Ephesi. 3. Det vobis secundum diuitias gloriæ suæ virtutem corroborari per spiritum eius in interiori homine, Christum habitare per fidem in cordibus vestris. Ioan. 14. Si quis diligit me, sermonem meum seruabit: & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansio nem apud eum faciemus. Secundò, per sacramentalẽ præsentiam. Tertio, per cõtinuam prouidentiam, atque multiplicem efficientiam suæ potestatis & pietatis in nos. Leo: Qui ascēdit in cælos, non deserit adoptatos, & ipse deorsum confortat ad patientiam, quos sursum inuitat ad gloriam. Non est ergo aliqua natio tam grandis, quæ habeat deos appropinquantes sibi, sicut deus noster adest nobis, Deuteur. 4. Matt. 18. Vbi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Qui ergo nunc manet cum electis, ipsos dirigendo & confortando, post cum ipsis manebit æternaliter, remunerando. Apoca. 21. Ecce tabernaculum dei cum hominibus, & habitabit cum eis: & ipsi populus eius erunt, & ipse deus cum eis eorum deus erit. Et absterget deus omnem lachrymam ab oculis eorum, & mors vltra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit vltra, quæ prima abierunt, commemorat autem, secundum Chrysost. consummationem seculi, vt magis eos attrahat, & ne præsentia tantum attendant, sed futura & æternaliter mansura. q. d. Postquam corpore defiero esse vobiscum, tum efficacius adero vobis per spiritum meum, adero autem vsque in finem mundi. Porro quando sit futurus mundi finis, nec refert, nec expedit vos scire. Interim agite quod vobis

Quotifariã
Christus
maneat no
biscum.

mandatum est, semper in illum diẽ parari, qui quãdocun que venerit, tum vos quoque deposita mortalitate toti mecum eritis, consortes regni paterni, cuius nullus erit finis. Ioan. 4. Vado parare vobis locũ. Et si abiero & præparauero vobis locum, iterum venio & accipiam vos ad me ipsum, vt vbi sum ego, & vos sitis.

DE ASCENSIONE DO
mini, Marc. xvi. Luc. xxxiii.

ARTICVLVS XXXVIII.

NOUISSIMÈ autem recumbentibus illis undecim ap-
paruit, & exprobrauit incredulitatem illorum & duritiam cordis: quia his qui uiderant eum resurrexisse, non crediderunt. & dixit eis: Euntes in mundum uniuersum, prædicate euangelium omni creaturæ. Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit: qui uerò non crediderit, condemnabitur. Signa autem eos qui crediderint hæc sequentur: in nomine meo demonia euicent, linguis loquentur nouis, serpentes tollent: & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit: super ægros manus imponent, & bene habebunt.

Quã necessaria, efficax, & salutifera vera sit fides, ostēdit, sine qua impossibile est placere deo, Hebr. 11. Postremò igitur abiturus in cælũ, apparuit undecim. nec enim omnibus passim exhiberi debebat mortis ac resurrectionis spectaculum: verũ ad fidẽ euangelicã sufficiebat, rem semel per idoneos testes esse cõprobatam. Actu. 10. Hunc deus suscitauit tertia die, & dedit eũ manifestum fieri nõ omni populo, sed testibus præordinati a deo, nobis qui māducauimus & bibimus cũ illo, postquam resurrexit à mortuis. Ad veritatẽ ergo resurrectionis cõprobandã, comedit cum eis, Act. 1. Græ. Comedit, vt per effectum comestionis veritas patefieret carnis. Exprobrauit tarditatem intellectus, quia dicitur Esa. 7. Nisi credideritis, non intelligetis. & duritiã affectus. Eccle. 3. Cor durum malè habebit in nouissimo. Heb. 3. Videte fratres, ne

fortè sit in aliquo vestrū cor malū, incredulitatis, discedē di à deo viuo, sed adhortamini vosmetipfos per singulos dies, donec hodie cognominatur, vt nō obduretur quis ex vobis fallacia peccati. Hier. Increpat incredulitatē, vt succedat credulitas: exprobrat duritiā cordis lapidei, vt succedat cor carneū charitate plenū. Eze. 36. Auferā cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneū, & spiritū meum ponā in medio vestri, & faciā vt in preceptis meis ambuletis, & iudicia mea custodiat, & operemini. Hinc est quod martyriū cateruā mortē huius seculi libēter affectāt, quia nouerāt pro isto tēporali interitu perpetuū se esse victuros. Causam increpationis subinfert, quia testibus omni fide dignissimis non crediderūt. Mar. 16. Surgēs Iesus mane prima sabbati, apparuit primō Mariæ Magdalena, de qua eiecerat septē daemonia, illa vadēs nunciavit (ex mādato domini, Ioā. 20.) his qui cū eo fuerant, lugētibus & flētibus. Et illi audientes quia viuerent, & visus esset ab ea, nō crediderūt. Post hęc duobus ex his ambulātibus in villā, ostensus est in alia effigie: & illi eūtes nūciauerunt cæteris, nec illis crediderunt. Bed. Quadragesimo die quādo iam erat recessurus ab eis in cælū, hoc eis, maximè illo die exprobrare voluit, q̄ nisi ipsum viderēt, credere noluerūt, cū post ascēsiōē eius, prædicātibz illis euangeliū, gentes quæ non viderūt, credituræ essent: & vt verba quæ recedēs diceret, in cordibus auditiū arctius impressa remanerēt. Postea quam tandē vobis hęc omnia multis argumētis, ac certis, inquit, probata cōpertaque sunt, ite in mūdū vniuersum: Omnibus mortuus sum, omnibus resurrexi, prædicate euāgeliū. Ro. 10. Fides ex auditu, auditus autē per verbū. Christi Ro. 1. Nō enim erubescō euāgeliū: virtus enim dei est in salutē omni credēti. quod antē promiserat per prophetas suos in scripturis sanctis de filio suo. Hinc Mar. 13. Omnis scriba doct⁹ in regno cælōrum, similis est homini patrifamiliās, quid p̄fert de thesauro suo noua & vetera. Ecce quid prædicādū. Sed narrauerunt mihi iniqui fabulationes, sed nō vt lex tua, Psal. 118. 2. Ti. 4. Prædica verbū, ista opportunē, iportunē, argue, obsecra, increpa, in oī paciētia & doctrina. Erit enī tēp⁹ cū sanā doctrinā nō sustinebūt, sed ad sua desideria coaceruabūt sibi magistros, pruriētes auribus: & à verita-

te quidē auditū auertent, ad fabulas autē conuertētur. Omni, inquit, creaturæ. Homo enim virtualiter nō formaliter omnis creatura est, habēs quid cōmune cū omni creatura: quia omnes differētia rerū, seu cōiūcta genera entium, in ipso cōcurrūt. Ro. 10. Nō est distinctio Iu. Iai & Gregi. nā idē dominus omniū, diues in omnes qui inuocāt illū, Ro. 10. Nolo vos ignorare fratres mysteriū hoc, vt nō sitis vobis ipsi sapiētes, quia cæcitas ex parte cōtigit in Israel, donec plenitudo gētū intraret, & sic omnis Israel saluus fieret. Greg. Vt prius à Iudæa repulsa prædicatio, tunc nobis in adiutoriū fieret credulitatis, quū hęc illa ad dānationis suæ testimoniū superba repulisset. Act. 13. Vobis oportebat primū loqui verbū dei: sed quoniā repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce cōuertimur ad gētes. sic enim nobis præcepit deus. Esa. 49. Posuisti in lucē gentium, vt sis in salutē vsque ad extremū terræ. Audiētes autē gētes, gauisæ sunt, & glorificabāt verbū domini, & crediderunt quotquot erāt præordinati in vitā æternā. Quicumque crediderit euāgeliū, per quod omnibus in me fidētibus, per mortem meam offertur gratuita remissio peccatorū omnium, & huius gratiæ signum acceperit tinctus aqua, saluus erit. Ro. 10. Nō omnes credunt euāgeliū. Bed. Per alios paruuli credunt, sicut ex alijs ea quæ in baptismo eis remittuntur, peccata cōtra-xerunt. Sicut enim paruulis sufficiebat fides parentum in circūcissione, sic & in baptismo, quum tamē nihil ad perfectum adduxerit lex, Heb. 7. Legimus Hieremiā sanctificatū in vtero, Hic. i. Ioannē spiritus sancto repletū, Lu. 1. quis dubitare possit in baptismo habitū fidei infundi, qui donum est spiritus sancti. Cor. 12. Alij si fides in eodē spiritu Marc. 10. dicitur, quod dominus complexūs paruulos oblatos, & imponens manus super eos, benedicebat eos. Verè dicere potest dominus illud, Matth. 20. An nō licet mihi quod volo, facere? An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? Saluus erit in præsentī per gratiam. Ro. 8. Spe salui facti sumus. in futuro per gloriam. Præcedit ergo prædicatio, prædicationem subsequitur fides, fidem regeneratio, quæ est quædam dei (vt ita dicam) filiatio, quàm qui custodit, proculdubio saluabitur. Custodit autem qui credit: credit verò, qui dei fidem vitæ moribzsq;

comprobat. Gal. 5. In Christo Iesū neq; circuncisio aliquid valet neq; præputiū, sed fides quæ per charitatē operatur. 1ac. 2. Fides sine operibus mortua est in semetipsa. Salus ergo filiorū dei, gaudiū designat æternū: cōdēnatio in fidelīū, perēne suppliciū. Ioā. 3. Qui credit in filiū, habet vitā æternā: qui autē incredulus est filio, nō videbit vitā, sed ira dei manet super eū. O verbū obstupescēdū, Ira dei manet super eū. Heb. 10. Horrēdum est incidere in manus dei uiuentis. Ne verò prædicatio fide careat, addetur & miraculorū vis, si modo adsit euāgelica fiducia, & res ipsa miraculū poscat, vt probētur quæ humanā excedunt rationē. In noīe meo. Luc. 10. Dñe, in noīe tuo etiā dæmonia subii ciuntur nobis. Act. 19. Virtutes nō modicas faciebat deus per manū Pauli, ita vt etiā super lāquidos deferrētur à corpore eius sudaria & semicincta, & recedebant ab eis languores, & spūs nequā egrediebantur. Linguis. Act. 2. Cœperunt loqui variis linguis, prout spūs sanctus dabat eloqui illis, Sic & Act. 10. Serpētes. Act. 28. Paulus viperā excussit de manu in ignē, nihil læsus ab ea. Luc. 10. Ecce dedi vobis virtutē calcēdi supra serpētes & scorpiones, & super omnem virtutē inimici, & nihil vobis nocebit. Super ægros. Act. 3. Petrus claudum ex vtero matris manu alleuans sanauit. Imò vestimenti sui vmbra infirmi sanabantur. Act. 5. Huiusmodi verò signa quoniā ad confirmationem erant doctrinæ fidei, ideo hoc donum miraculorum nonnunq̄ & malis cōcedebatur. quia non faciebat sanctum, vt claret in Iuda, Hinc Matt. 7. Multi dicent mihi in illa die, Domine domine, nōne in noīe tuo prophetauimus, & in noīe tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? & tunc cōfitebor illis, quia nunquā noui vos, discedite à me oēs operarii iniquitatis. Grego. Nolite fratres amare signa, quæ possunt cum reprobis haberi communia: sed charitatis & pietatis miracula amate, quæ tantò securiora sunt, quantò & occultata: & de quibus apud dominum: eò maior fiet retributio, quò apud homines minor est gloria. Dæmonia eiiciēt quo ad se, per verā contritionē peccata eiiciēdo: quo ad alios, bonis exhortationibus malitiā auferēdo de aliorū cordibus. Linguis nouis peccata confitentur. Psal. Dixi, confitebor aduersum me iniustitiam meam domino, & tu remisisti

Miraculorū
dona quæ
lia.

impietatē peccati mei. Sic & veteribus reiectis, bona ac salutifera verba loquēdo. Eph. 4. Omnis sermo malus ex ore vestro nō procedat, sed si quis bonus ad ædificationē fidei, vt det gratiā audietibus. 1. Cor. 15. Corruptū bonos mores colloquia mala. Psal. 33. Benedicā dominū in omni tēpore, semper laus ei⁹ in ore meo. Serpētes tollēt, pranis doctrinis & exēplis viriliter resistēdo. Eccl. 21. Quasi à facie colubri fuge peccatū. 2. Ioā. 1. Si quis venerit ad vos, & hanc doctrinā non afferit, nolite recipere eū in domū, nec Aue ei dixeritis. Qui enim dicat illi Aue, cōmunicat operibus eius malignis. Et si quippiā mortiferū biberint, nō nocebit. Ro. 8. Diligētibus deū omnia cooperātur in bonū. Super ægros manus imponēt. Gal. 6. Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legē Christi. Tā spiritalia. Ro. 15. Debem⁹ autē nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere, & nō nobis placere: vnusquisq; pximo suo placeat in bonū, ad ædificationē. Quam tēporalia. 1. Ioā. 3. Qui habuerit substantiā huius mūdi, & viderit fratrem suū necesse habere, & clauerit viscera sua ab eo, quomodo charitas dei manet in eo? Sed quoniā hæc supra humanā erāt virtutē, assistentiā pmisit eis spūs dei. Lu. 24. Vos autē testes estis horū. & ego mittā pmisū patris mei in vos. Vos autē sedere in ciuitate, quoadusque induamini virtute ex alto. Act. 1. Et cōuescens, præcepit eis ab Hierosolymis nediscederēt, sed expectarēt pmisionē patris: quā audistis, iquit, p os meū. Ioā. 16. Ego veritatē dico vobis, expedit vobis vt ego vadā. si enim nō abiero, paracletus nō veniet ad vos: si autē abiero, mittā eū ad vos: cū autē venerit spūs ille veritatis, docebit vos omnē veritatē.

Et dominus quidem Iesus postquam locutus est eis, assumptus est in celum, & sedet à dextris dei.

Luc. 24. Eduxit autē eos foras in Bethaniā, & eleuatis manibus suis, benedixit eis. Et factū est dū benediceret illis, recessit ab eis, & ferēbatur in celū. Itaq; posteaq̄ variis argumētis cōfirmasset veritatē resurrectionis suæ, abduxit suos in Bethaniā: itaque abiturus in celū, sublati manibus benedixit illis, & in hoc patriarcharū ac Moyū referens exēplū. Ge. 49. Benedixit singulis benedictionib⁹ propriis, Iacob filiis. s. Deu 33. Hęc est benedictio quæ be-

nedixit homo dei filiis Israel ante mortem suā. Nec parū
Observan- momēti tales patrū erāt benedictiones, vt claret Gene.
da circa do- 27. Benedixit ei, & erit benedictus, ait Isaac de Iacob. Cir
mini ascen- ca domini ascensionem obseruandum primò, quomodo
sionē, que. ascendit, quia potenter propria virtute. Ioā. 3. Nemo al-
 cendit in cælū, nisi qui descendit de cælo, filius hominis
 qui est in cælo. Enoch trāsatus est. Gen. 5. Eccl. 4. 4. Enoch
 placuit deo, & translatus est in paradysum, vt det gen-
 tibus sapientiā. Elias igneo curru subuectus est. 4. Re. 2.
 Lazarus, ab angelis in sinum Abraham deportatus, Luc. 16.
 Nullus propria virtute ascendit in cælum. Leo: Hodierna
 festiuitas, dei nobis & hominis sub vna eademque perso-
 na sacramenta manifestat: in eo qui eleuat, diuinā potē-
 tiam: in eo qui eleuatur, humanā declarat sustāriam: Suis
 verò fidelibus pollicitus est, dicens Ioā. 14. Iterum veniā
 & accipiā vos ad me ipsum, vt vbi ego sum, & vos sitis. Pa-
 renter. Act. 1. Videntibus illis eleuatus est, & nubes suscep-
 it eum ab oculis eorū. Glo. Ideo patenter vidētibus illis
 ascendere voluit, quia ascensionis testes esse debuerunt,
 & vt ipsum sequi affectibus studerent. Cant. 1. Trahe me
 post te. Col. 3. Quæ sursum sunt quærite, vbi Christus est
 in dextera dei sedens: quæ sursum sunt, sapite, nō quæ su-
 per terrā. Gaudenter, Psal. 46. Ascendit deus in iubilo, &
 dominus in voce tubæ. Ipso nato angelus ait, Luc. 2. Ecce
 euāgelizo vobis gaudiū magnum quod erit omni popu-
 lo: quia natus est vobis hodie saluator, qui est Christus
 dominus. Si Abraham exultauit vt videret diem domini.
 (Ioā. 8.) quantū hodie cum omnibus lætatus est sanctis?
 Eph. 4. Ascendēs in altum, captiuam duxit captiuitatē.
 Gausi & angeli, quibus gaudiū super vno peccatore po-
 nitentiam agente, Luc. 15. oue errante iam reportata &
 inuenta, Mat. 18. Gaudio repleti discipuli, & oculis illum
 quo ad licuit prosequentes. Act. 1. Cumque intuerentur
 in cælum euntem illum, ecce duo viri assisterunt iuxta
 illos in vestibus albis, qui & dixerunt: Viri Galilæi, quid
 statis aspicientes in cælum? Hic Iesus qui assumptus est à
 vobis in cælum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum
 euntem in cælum, Luc. 24. Et ipsi adorantes regressi sunt
 in: Hierusalem cum gaudio magno: & erant semper in
 templo, laudantēs & benedicentes deum. Iam enim cer-

ta fides excusserat omnem morrorem, & certa spes pro-
 missorum addebat alacritatem. Interea frequentes erant
 in templo, iam tunc euangelicas victimas immolantes,
 laudibus ferentes diuinam bonitatem erga genus hu-
 manum, & gratias agentes ei, qui tanta beneficia decre-
 uisset per filium suum gratis largiri mortalibus. Secundo
 quò. Eph. 4. Qui descendit, ipse est & qui ascendit su-
 per omnes cælos, vt adimpleret omnia. Hebræorum. 1.
 Qui cū sit splendor gloriæ & figura substantiæ eius, por-
 tansque omnia verbo virtutis suæ, purgationem pecca-
 torum faciens, sedet ad dexteram maiestatis in excelsis,
 tanto melior angelis effectus, quanto differentiis præ il-
 lis nomen hereditauit. Cui enim dixit aliquando ange-
 lorum, filius meus es tu, ego hodie genui te? Ad quem di-
 xit aliquādo angelorum, sede à dextris meis, quoadiūque
 ponam inimicos tuos scabellū pedum tuorum, Psal. 109. Nōne
 omnes sunt administratorij spiritus, in ministerium missi propter
 eos qui hereditatem capiunt salutis? Aug. Si omnes sancti sunt
 in dextera, quia nulla ibi est sinistra, vbi nulla est miseria
 (Psal. 15. Delectationes in dextera tua vsque in finem) Christus
 tamen secundum quod homo, dicitur in dextera dei sedens,
 propter gloriæ singularis portionem. Eph. 1. Suscitans illum à
 mortuis, & cōstituens illum ad dexteram suam in cælestibus,
 supra omnem principatum, & potestatem, & virtutē, & domi-
 nationem, & omne nomen quod nominatur, non solum
 in hoc seculo, sed etiam in futuro: & omnia subiecit sub
 pedibus eius, & ipsum dedit caput super omnē ecclesiam,
 quæ est corpus eius, & plenitudo eius, qui omnia in om-
 nibus adimplet. Tertio, quare. Ad captiuorum liberatio-
 nem. Psal. 67. Ascendisti in altū, cepisti captiuitatem. Spi-
 ritus sancti missionē. Ioan. 16. Si enim non abiero, paraclē-
 tus non veniet ad vos: si autē abiero, mittam eum ad vos.
 Eph. 4. Dedit dona hominibus. Nō animalibus. 1. Cor. 2.
 Animalis homo nō percipit ea quæ sunt spiritus dei. Sap. 1.
 In maleuolā animam nō introibit sapientia. Nostrā in-
 terpellationē. Heb. 9. Introiuit in ipsum cælum, vt appa-
 reat vultui dei pro nobis. Ro. 8. Christus Iesus qui mortu⁹
 est, imò qui & resurrexit, qui est ad dexteram dei, qui &
 interpellat pro nobis. Hinc. 1. Ioā. 2. Si quis peccauerit, ad

Quo Chri-
 stus ascen-
 derit.

Cur ascen-
 derit.

PARS SECVNDA.

uocatum habemus apud patrē Iesum Christum iustū : & ipse est propiciatio pro peccatis nostris , & non pro nostris tantum , sed etiā pro totius mundi. Nostrā glorificationē . i. Pet. 3. Quod & vos nunc similis formæ saluos facit baptisma , non carnis depositio sordium , sed conscientie bonę interrogatio in deū , per resurrectionē Iesu Christi à mortuis , qui est in dextera dei , deglutens mortē , ut vitę eternę hæredes efficeremur , profectus in cælum , subiectis sibi angelis & potestatibus , & virtutibus.

3 *Illi autem profecti , prædicauerūt ubique , domino cooperante & sermonē confirmante , sequentibus signis*

Accepta spiritus sancti gratia , prædicauerunt vbiq̄ secundum præceptū domini. Act. 1. Et cōuolucens præcepit eis , ab Hierosolymis ne discederēt , sed expectarēt , p̄missionem patris : quam audistis , inquit , per os meum , quia Ioannes quidem baptizauit aqua , vos autem baptizabimini spiritu sancto non post multos hos dies. Igitur qui conuenerant , interrogabant eū , dicentes : Domine , si in tēpore hoc restitues regnū Israel ? Dixit autē eis : Non est vestrum nosse tēpora vel momenta , quæ pater posuit in sua potestate : sed accipietis virtutē superuenientis spiritus sancti in vos , & eritis mihi testes in Hierusalē , & in omni Iudæa & Samaria , & vsque ad vltimum terræ. Successit res , licet aduersante mundo , videlicet domino Iesu per spiritū suum vim suā exerente per apostolos , & quod illi verbis promittebant , miraculis vbiq̄ paratis confirmante. Cū enim talia sunt in testimonium veritatis doctrinæ , & deus testis non possit falsitatis esse , cōprobata est veritas euangelicæ doctrinæ coram regibus & principibus mundi. Heb. 2. Propterea abundātius oportet nos seruare ea quæ audiimus , ne fortē pereffluamus. Si enim qui per angelos dictus est sermo , factus est firmus , & si omnis præuaricatio , & inobedientia accepit iustam mercedis retributionē , quomodo nos effugiemus , si tantam neglexerimus salutē ? Quę cū accepisset initiū enarrādi per dominū , ab eis qui audierūt , in nos cōfirmata est , cōtestante deo signis & portentis & variis virtutibus , & spiritus sancti distributionibus secundū suā voluntatem.

FINIS PARTIS II.

